CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 26
ROME (ITALY)

PONT. INSTITUTUM UTRIUSQUE IURIS
:: BIBLIOTHECA ::
9 - C.
22 Bis

TRACTATUS CANONICUS

DE

SANCTISSIMA EUCHARISTIA

TRACTATUS CANONICUS

DE

SANCTISSIMA EUCHARISTIA

AUCTORE

PETRO GASPARRI SACERD.

SS. D. N. Leonis PP. XIII Praelato Domestico,
in Instituto Catholico Parisiensi textus canonici professore,
olim Romae professore institutionum canonicarum in Collegio Urbano de Propaganda Fide,
et sacrae theologiae sacramentariae in scholis Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinarem

Hic est panis
ipso manducave

#6024
2634
G249
THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 19197

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

VOLUMEN SECUNDUM

DELHOMME ET BRIGUET, EDITORES

PARISIIS
Via vulgo dicta : rue de Rennes, 83.

LUGDUNI
Via vulgo dicta : Avenue de l'Archevêché, 3

1897

Tous droits de propriété et de traduction réservés.

ERRATA

Pag.	Lin.		Corrige
5	33	favore.	in favorem
27	38	adciscant. . . .	adsciscant
30	27	particularis . . .	particulari
41	22	illud	illum
42	6	tessutum. . . .	textum
43	21	dioecesum . . .	dioecesium
44	15	*cap. XIII* . . .	*cap. XIII* et *XX*
	16	adventus et. . .	adventus ac dominica quarta quadragesimae et
45	25	ea una	ex una
	27	quem colorem. .	quae colorem
49	9	indutus	induto
50	16	in ipsam et. . .	in ipsamet
51	6	eaque.	aeque
60	13	acto	facto
74	30	illud	illum
78	17	demum Cardinalis subdiaconus. .	demum subdiaconus
80	27	aurea vel vitrea. .	aerea vel vitrea
89	2	depositum..involutum.	depositus... involutus
89	4	usus	usum
91	9	forum.	foramen
95	36	insignis	insigne
108	33	usus praedictus .	usum praedictum
118	31	aliquod	aliquem
	34	incoeptam . . .	inceptam
	36	ex qua	ex quo
126	15	clear	chlear
127	28	contigit	contingit
128	16	vigilantiam . . .	vigilantia
135	22	fermentatur. . .	fermentetur
136	5	incoeperit . . .	inceperit
154	22	incoepta	incepta
170	24	eis.	eo

Pag.	Lin.		Corrige.
177	7	duplicibus ac . .	duplicibus primae classis ac
181	11	Hujus.	Hujusmodi
192	15	celebrantibus . .	celebrantes
193	15	*collectio*, in. . .	*collectio* vel *collecta*, in
202	25	mox	mos
228	10	aliisque	aliique
234	15	flui	fluere
240	14	hortare	hortari
247	25	servavit	servat
263	14	te	tu
264	33	cooperietur. . .	cooperiatur
266	24	altare.	altari
283	27	intus	intra
297	27	Prosperis . . .	Prosperi
303	4	eliminandum . .	eliminandam
	25	deferentem debere	deferentem, praeter velum humerale, debere
307	26	benedictionem . .	expositionem
	32	cum eo	cum ea
310	19	*ad 13*um ; alba . .	*ad 13*um, et in actu benedictionis velum humerale ; alba
311	13	(*n. 1106*). *Alleluia.*	(*n. 1106*) et Instructioni Clementinae (*Allegat. IV*, § *31*), *Alleluia*
312	15	praebet	praebeat
320	11	alterae	alteri
326	37	nullo... alio. . .	nulli..... alii
341	2	debeat, requiritur.	debeat (etsi non sub gravi S. Alphonsus, *VI*, *n. 285*), requiritur
349	12	uno	uni
351	22	asperitate . . .	asperitatis
353	1	invitare	invitari
363	16	Servandum . . .	Servandam
368	13	degustent . . .	degustet

TRACTATUS CANONICUS

DE

SANCTISSIMA EUCHARISTIA

CAPUT V

DE SACRIS UTENSILIBUS.

Articulus I

De sacris utensilibus in genere.

653. *Utensilis* nomen, quod ab utili apud Varonem derivatur, adeo late patet, spectata vi nominis, ut omnia ea quae usui nostro necessaria sunt aut utilia complectatur. In jure civili romano aliquando usurpatur pro esculentis et poculentis, aliquando pro supellectili, ita ut idem sit utensile ac supellex. In sacris litteris haec vox in numero plurali significat omnia accessoria quae requirebantur ad sacrificia legis Mosaicae, uti *Exod.*, *XXX*, *27* ; *XXXIX*, *36* ; *Num.*, *I*, *50* ; *III*, *26* ; *1° Paral.*, *IX*, *29*. Eodem sensu, nos hanc vocem sumimus, idest per *utensilia sacra*, seu *sacram supellectilem* intelligimus vasa, vestes aliaque quae ad sanctissimae Eucharistiae sacrificium et sacramentum necessaria sunt, licet ad alias quoque christianae religionis caeremonias inserviant (1).

654. Origo sacrorum utensilium circa sanctissimam Eucharistiam adhibendorum, si calicem excipias, est mere ecclesiastica, licet non omnibus eadem, ut patebit ex dicendis in

(1) Vocabulum *utensilia* hunc sensum habet in *can. 2. dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, qui tamen est apocryphus *n. 153*).

art. sequ. Certe Christus D., primum Missae sacrificium celebraturus, praecepit discipulis ut pararent coenaculum stratum grande, illudque in calice obtulit, sed ornamenta coenaculi minime determinavit, et Eucharistiam instituit usitata veste indutus. Pariter Apostoli pro Missae celebratione non habuerunt specialia utensilia, et nominatim non habuerunt vestes formae et coloris particularis : tantum inquirunt eruditi utrum usi fuerint quotidiana veste, an specialem adhibuerint ; de qua re infra.

655. Dubitari potest num ex rebus profanis confici possint sacra utensilia, e. g., planeta ex veste mulieris. Glossa in *can. 43, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, haec habet : « Argumentum quod ex veste alicujus dominae vel alterius non debet fieri casula vel aliquis ornatus ecclesiae ». Exinde nonnulli canonistae propositae quaestioni negative respondendum esse censuerunt, putantes id minime decere divinissimum sacrificium (1). Accedit Sixtum IV concessisse religiosis Ordinis Minorum privilegium convertendi tuta conscientia in paramenta et usus ecclesiasticos vestes et pannos profanos. Sed haec sententia rigida est et deserenda. Nam ex una parte, in cit. *can. 43* concilium Aurelianense prohibet ne sacra utensilia ad nuptias vel alios usus profanos adhibeantur ; quod tamen a casu nostro longe distat, et ideo Glossa ex citato canone illud argumentum immerito deducit. Ex alia vero parte, praxis universalis Ecclesiae recens et antiqua contrarium suadet. Nonne enim Ecclesia consuevit templa et delubra falsorum Deorum in cultum veri Dei convertere ? Nonne etiam hodie fideles solent vestes aliaque profana utensilia Ecclesiae offerre ut exinde utensilia sacra efficiantur, et praesides, doctrina et pietate praestantes, has pias voluntates exequuntur ? Scilicet si quid profanum est in re quae usibus profanis inservit, per benedictionem qua cultui divino dedicatur, omnis macula abstergitur, et res efficitur sacra. Nec magnam difficultatem facessit privilegium a Sixto IV Minoribus

(1) Abbas in *cap. 4, De religiosis domibus, n. 5* ; Zabarella in *Clement. 1us, De celebratione Missarum* ; Imola, *ibidem*, aliique.

concessum ; nam forte illud elargitus est ad sedandos illorum scrupulos putantium id non licere (1).

656. Praeterea illicitum minime est in sacris utensilibus imagines sacras apponere : quaeritur utrum apponi possit nomen donatoris seu proprietarii aut ejusdem gentilitium stemma. Haec quaestio respicit praesertim planetam, cappam, calicem, candelabra, ostensorium, etc. Jamvero magis profecto probandum ut nec nomen nec stemma donatoris aut proprietarii appingatur ; et donator majus ex occulta donatione meritum apud Deum habebit. At nisi stemma aliquid indecens praeseferat, id non est prohibitum a lege, et non est illicitum in se, dummodo fiat absque ulla superbia et absque ullo ostentationis animo (2). Id aperte deducitur ex *Urbinaten., 29 Jan. 1752* (n. 4224), ubi proposito dubio : « 12° An in insigniis et armis suae familiae appositis vel apponendis paramentis sacris aliisque rebus ecclesiam concernentibus loco mitrae vel una cum ipsa pileum apponere valeant (canonici ecclesiae cathedralis Urbinatensis) » : S. R. C. reposuit : « Ad 12um : Affirmative quoad mitram tantum et amplius ». Et gentilitium donatoris stemma sacris utensilibus appositum removeri non posse et forte remotum esse restituendum removentis expensis, pluries declaravit S. Rota et S. C. EE. et RR., apud de Albertis, *l. c., n. 125 sequ.* Accedit responsio S. R. C. in *Reatina, 7 Dec. 1844* (n. 4989), ubi « precibus sacerdotis Sebastiani Ricci, canonici cathedralis Reatinae ecclesiae, exquirentis an removere debeat stemma gentilitium familiae suae impressum tam ostensorio quam nobilibus aliis suppellectilibus a se donatis cathedrali ecclesiae, ut expositio SSmi Sacramenti in cathedrali solemniori apparatu fieret, quam quidem remotionem induxit Rmus Episcopus » ; S. C. reposuit : « Quum non obstent decreta, nihil esse innovandum ».

(1) De Albertis, *De sacris utensilibus, cap. IV, n. 119,* plures auctores citans.

(2) Benedictus XIV, *De serv. Dei beatif. et beatorum canoniz., lib. III, cap. XL, n. 14 sequ.*, pluribus relatis exemplis etiam Sanctorum ; De Albertis, *l. c., n. 129 sequ.*, contra Natalem Alexandrum et nonnullos alios.

terum nomen et stemma donatoris debet esse impressum modo simplici et modesto ad extremitatem sacri utensilis et infra sacras imagines. At numquam licet sacris utensilibus imprimere nomen aut stemma alicujus, e. g., episcopi, qui eadem non donavit nec est eorumdem proprietarius; et si forte apposita fuerunt, esse removenda expensis illius qui eadem apponere fecit, edixit S. C. C. in *Milevitana*, *12 Dec. 1705*, ubi propositis dubiis: « An sit locus remotioni insignium et stemmatum gentilitiorum Rmi Episcopi in casu, etc.; 2° An idem Episcopus teneatur reintegrare fabricam de expensis factis pro dictis insignibus et stemmatibus gentilitiis in casu, etc. »; S. C. reposuit: « Ad 1um: Affirmative. Ad 2um: Teneri illos qui subscripserunt ordines ».

657. Quamquam vero sacrae supellectili nomen et stemma donatoris vel proprietarii apponi valeat, tamen quoad hujus supellectilis usum prae oculis habenda est responsio S. R. C. in *Incerti loci*, *15 Dec. 1632* (n. 971), ubi proposito dubio: « An liceat canonico habenti supellectilem valde pretiosam cum propriis insignibus pro celebratione Missarum ea uti in celebratione Missarum privatarum necnon et Missarum solemnium cum diacono et subdiacono in altari majori per turnum suae hebdomadae »; S. C. censuit: « Abstinere debere quando celebrat solemniter praesentibus canonicis et aliis de capitulo ».

658. Si quis ex propria culpa sacra utensilia ad aliquam ecclesiam pertinentia consumpsit, debere eadem ecclesiae restituere, evidens est. Praescindendo ab hoc casu, quaeritur quinam teneatur sacram supellectilem pro cultu necessariam suppeditare ecclesiae quae eadem caret. Statuendum est generale principium onus reparandi ecclesiam secumferre etiam onus suppeditandi sacra utensilia necessaria (1); proinde qui illud habet, et hoc etiam habere dicendum est, licet onus suppeditandi ecclesiae sacra utensilia ex speciali titulo oriri etiam possit. Porro cuinam incum-

(1) De Albertis, *op. cit.*, *cap. XII*, *n. 7*; Lucidi, *De vis. sacr. lim.*, *tom. I*, *pag. 69*; Benedictus XIV, *Inst. Ecc. C*, *n. 21*; S. C. C, in *Castellanetensi*, *Expensarum*, *24 Julii 1858*.

bat onus reparandi ecclesiam, vide *n. 132 sequ.* Ab allato principio unica est exceptio, nempe const. *Pius et misericors*, quam Benedictus XIII dedit *IV id. Maii 1725* pro Italia et insulis adjacentibus (*n. 132, 133*) ita respicit cathedralium et collegiatarum fabricam, ut ad sacram suppellectilem non extendatur, uti reposuit S. C. C. in *Tusculana*, *20 Dec. 1727*.

659. Valde praestat determinare cuinam juxta sacros canones cedant episcopi vel sacerdotis defuncti sacra utensilia, quae *spolium* appellari solent. S. Pius V in const. *Romani Pontificis*, *3° Kal. Sept. 1567*, constituerat « omnia et singula paramenta et ornamenta ac vasa, nec non missalia ac gradualia ac cantus firmi et musicae et alias res sacras etiam auri et argenti et quaecumque alia bona per quoscumque patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates seu commendatarios et alios quoscumque quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, saecularia, quorumvis ordinum regularia, in titulum, vel in commendam, aut alias quomodolibet obtinentes, quocumque nomine vel titulo censeantur, etiamsi de illis et eorum qualitatibus specialis et expressa mentio habenda foret, ad usum et cultum divinum etiam in eorum privatis aedibus et capellis vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento vel ab intestato relicta » non pertinere ad Reverendam Cameram Apostolicam ratione spoliorum, nec comprehendi sub quibusvis facultatibus et indultis, sed pertinere pleno jure ad respectivam ecclesiam. Haec constitutio non comprehendebat S. R. E. Cardinales, quorum utensilia ex const. Urbani VIII *Aequum est*, *21 Julii 1642*, pontificio sacrario attribuuntur; sed de facto omnibus Cardinalibus S. Sedes tribuere solet indultum testandi de bonis propriis per apostolicas litteras incipientes *De benignitate Sedis Apostolicae*, et indultum disponendi de sacris utensilibus favore alicujus ecclesiae, seu capellae, vel loci pii, per litteras Apostolicas incipientes *Cum fel. rec. Urbanus VIII*, licet Benedictus XIV in const. *Inter arduas*, *22 Apr. 1749*, vehementer hortetur Cardinales ut praeferant eas ecclesias sive metropolitanas, sive cathedrales, sive abbatiales, aut ecclesias-

tica beneficia quae gubernaverint et obtinuerint. Cum vero circa haec omnia, quoad Cardinales et episcopos, nonnullae quaestiones agitarentur, Pius IX, ad eas removendas, tulit const. *Quum illud, 1 Julii 1847*, quae hac in re prae oculis habenda est.

660. In hac constitutione Pius IX decernit et mandat :

« 1° Cardinales episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in constitutione S. Pii V incipiente *Romani Pontificis*, exceptis tamen Cardinalibus episcopis suburbicariis, necnon exceptis pariter Cardinalibus abbatibus *Nullius*, qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta cit. const. *Aequum est* Urbani VIII, praedecessoris Nostri, ad pontificium sacrarium spectabunt.

« 2° Firmis remanentibus clausulis derogatoriis constitutionis S. Pii V cujus initium *Romani Pontificis providentia*, in litteris in forma Brevis incipientibus *De benignitate Sedis Apostolicae* apponi solitis, in altero Brevi quod incipit *Cum fel. rec. Urbanus VIII*, auferatur clausula qua salva edicitur eadem Piana constitutio ejusque loco substituantur ea quae sequuntur : *Quod si ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prouti jam Benedictus XIV, praedecessor Noster, in sua constitutione incipiente* Inter arduas *Cardinales hortabatur, ut in praedictis rebus disponendis eas ecclesias prae oculis habeas ceterisque praeferas.* Quae vero hoc in articulo praescripsimus, ea ad singulos Cardinales extendimus qui ante praesentium litterarum publicationem enuntiatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis expressa essent.

« 3° Sacra utensilia quae vigore constitutionis S. Pii V incipientis *Romani Pontificis*, ecclesiis cathedralibus debentur, haec esse edicimus : Mitras, scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus et his similia ; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales,

alterum cui titulus *Canon Missae* ; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quae sunt, etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata ; exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis quae legitime probentur ab episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiae fuisse donata. Volumus praeterea teneri ac debere episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium in quo pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint, et speciatim describant quae ex Ecclesiae reditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia reditibus Ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli Summi Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae redituum quibus comparata fuerint, et praeter ea quae in constitutione Urbani VIII incipiente *Aequum est* in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pyxides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum et his similia, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis.

« 4° Quando episcopus duas vel plures Ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, juxta constitutionem S. Pii V incipientem *Romani Pontificis*.

« 5° Ubi vero aliquis episcopus simul praefuerit duabus vel pluribus Ecclesiis unitis vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant capitulum et cathedralem ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem Ecclesiarum unitarum seu in perpetuam administrationem concessarum reditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione fructuum.

« 6° Quod si constet episcopum qui per translationem duabus Ecclesiis successive praefuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia reditibus tantum unius Ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioecesis ex cujus episcopalis mensae proventibus fuerint acquisita ».

661. Haec, ut patet, pertinent ad interpretationem citatae constitutionis S. Pii V, quae ceteroquin in suo vigore permanet; proinde omnibus beneficiatis sunt applicanda. Modo igitur indubium est hanc constitutionem non comprehendere nisi sacra utensilia reditibus ecclesiasticis acquisita; quod non pauci antiqui canonistae negabant. Hinc sacra utensilia, acquisita bonis ecclesiasticis a defuncto clerico, cedunt pleno jure ecclesiae juxta Pianam constitutionem, exceptis annulis et crucibus pectoralibus; acquisita vero bonis patrimonialibus vel quasi-patrimonialibus, cedunt haeredibus. Praesumptio autem est sacra utensilia acquisita fuisse bonis ecclesiasticis, nisi aliud constet vel ex inventario facto a defuncto clerico beneficiato, vel ex aliis argumentis. Haec confirmantur ex responsione S. C. EE. et RR. in *Feretrana, Spolii, 4 Apr. 1851*. Nam episcopus defunctus inventarium facere praetermiserat; sed constabat sacra utensilia acquisivisse antequam ad Feretranam cathedram ascendisset ideoque cum bonis ad eam ecclesiam minime pertinentibus. S. C. stetit pro haeredibus contra canonicos ecclesiae cathedralis, facto verbo cum SSmo ad cautelam, qui resolutionem confirmavit, sed haeredibus

significari jussit rem sibi gratam facturos, si certa quaedam paramenta cathedrali Feretranae remitterent (1).

De reliquia autem verae crucis quam episcopi in cruce pectorali habent, vide *n. 730*.

662. Utensilia quae eucharistico sacrificio et sacramento inserviunt, sunt reipsa *sacra* lato tantum sensu, si nec consecrata nec benedicta sunt, e. g., candelabrum, etiam sensu stricto, si sunt consecrata aut benedicta, e. g., calix. Proinde nos eis debemus honorem et venerationem. Nonnulli docent sacris utensilibus tribuendum esse cultum latriae qui Christo D. sub speciebus sacramentalibus debetur (2). Id verum esse non potest de utensilibus lato sensu sacris; et nec de utensilibus sacris stricto sensu, sed vacuis, quae nempe actu non continent Corpus aut Sanguinem Domini; quis enim, e. g., unquam adoravit calicem purificatum? Tandem id verum est de utensilibus sacris stricto sensu, continentibus Corpus aut Sanguinem Domini, sed tunc latriae cultus dirigitur ad Corpus et Sanguinem Domini, non autem ad utensile.

663. Cum igitur utensilia, Eucharistiae inservientia, sacra sint, de eis repeti debent quae de aliis rebus sacris praedicantur. Scilicet in primis adhiberi non possunt ad usum profanum etiam licitum. Jam diximus (*n. 655*) in *can. 43, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, concilium Aurelianense prohibere ne sacra utensilia adhibeantur ad nuptias vel alios profanos usus. Si ad usus profanos licitos adhibentur utensilia nec consecrata nec benedicta, e. g., candelabrum, non videtur esse peccatum, nisi fiat ex aliquo contemptu, saltem implicito, ut si semper et indifferenter illis utaris; si utensilia consecrata aut benedicta, e. g., calix, est grave sacrilegium reale, etiam citra formalem contemptum, ejusque gravitas diversa est pro diversis utensilibus diversaque eorumdem sanctitate (3). Atta-

(1) Lucidi, *De vis. sacr. lim., t. I, p. 74, n. 65.*

(2) De Albertis, *op. cit., cap. VII, n. 6 sequ.*, alios citans.

(3) Scavini, *II, n. 278, 279*; Icard, *Praelect. jur. can., n. 734*, in fine; De Albertis, *l. c., n. 102*; S. Thomas, *2. 2. q. 99, a. 3*, alique passim.

men haec sacra utensilia usu profano foedata consecrationem aut benedictionem non amitterent et nec reconciliatione indigerent. Praeterea utensilia consecrata aut benedicta carius emi-vendi nequeunt ratione consecrationis aut benedictionis absque simoniae crimine. Proinde ratione periculi simoniae non decet ut vestes sacerdotales aut vasa prius benedicantur aut consecrentur, et deinde venumdentur a fabricatoribus. At simoniacum non foret aliquid ultra justum pretium exigere pro expensis habitis causa consecrationis et benedictionis, e. g., ut utensilia ad episcopum consecrantem aut benedicentem mitterentur. Insuper si utensile consecratum aut benedictum furto auferatur e loco etiam non sacro, e. g., e domo parochi, est grave peccátum sacrilegii, praeter peccatum furti ; item si utensile nec consecratum nec benedictum furto auferatur e loco sacro, idest ex ecclesia aut sacristia, non autem si furto auferatur e loco non sacro. In *can. 21, caus. 16, q. 1*, in Decreto, dicitur sacrilegium committi « auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro » ; et licet haec pars canonis qui a Gratiano tribuitur Johanni VIII, Romano Pontifici, non sit genuina (1), tamen doctrina ibidem tradita accurata est.

Tandem sacra utensilia nitida et munda conservari debent ; qua in re, magis practica, paulo fusius insistendum est.

664. Sacra utensilia debere esse munda et integra, ipsa rei natura suadet. Nimis longum esset omnia referre quae habent Concilia tum generalia tum particularia, Patres et Romani Pontifices ut nitorem et munditiam in sacris utensilibus inculcent. Ut unum vel alterum attingamus, Innocentius III in *cap. 2, De custodia Eucharistiae, chrismatis, et aliorum sacramentorum*, arguit illos qui profanas supellectiles, praeter casum necessitatis, in ecclesiam inferunt, et illos qui « non solum ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii et vestimenta ministrorum ac pallas altaris, nec non et ipsa corporalia tam immunda relin-

(1) Berardi, *Canones Gratiani, etc., p. II, cap. LXXVIII.*

quunt, quod interdum aliquibus sunt horrori » ; et praecipit « ut oratoria, vasa, corporalia, et vestimenta praedicta munda et nitida conserventur ; nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere quae dedecerent etiam in profanis ». Vide etiam *Clement. 1. De celebratione Missarum.* S. Antoninus, *Summa, part. II, tit. I, cap. XXI, § 1* : « O quam detestabilis est injuria quorumdam clericorum qui calices permittunt rubigine destrui, tobaleas et pallas altaris et corporalia turpissima remanere, casulas et alia paramenta totaliter dilacerari ; et tamen ipsi miserrimi non paterentur talibus vestibus indui, aut similibus tobaleis mensam suam parari. Et quid sunt ista nisi sacrilegia ? » Et Pius VI in encyclica ad omnes episcopos data die *25 Dec. 1775*, seu anno jubilaei : « Quam absonum domum mundiorem esse et elegantius ornatam quam sit sacrificii domus, sanctitatis hospitium, aula Dei vivi ! Quam absurdum sacras vestes, altarium ornamenta, atque universam supellectilem vel vetustate squalentem et conscissam, vel sordibus foedatam intueri, mensam autem episcopi splendide paratam, sacerdotis indumenta nitidissima et ad multam venustatem composita ! Quantae confusionis opprobrium est, ut praeclare scripsit S. Petrus Damiani, *lib. IV, epist. 11, tom. I Op. ed. Rom., an. 1606*, quod nonnulli in squalido linteo dominicum corpus et offerant et involvant, et quod non dignaretur potens quilibet qui tamen vermis est, propriis admovere labiis, in hoc isti corpus non verentur imponere Salvatoris ». Qui ita se gerunt, fidei admodum debilis et nullius amoris erga D. N. J. C. sub speciebus sacramentalibus latentem argumentum evidens praebent.

665. Exinde doctores docuerunt culpae lethalis reos esse illos ad quos pertinet sacrorum utensilium cura, si vestes sacerdotales, vasa sacra, altaris mappae, etc., quae in divinis adhibentur officiis et praesertim quae SSmae Eucharistiae inserviunt, enormi fractura aut immunditia deturpentur. Idem dicatur de Missam celebrantibus ; sed celebrantes in alienis ecclesiis facilius excusantur. Difficultas autem est quandonam sacra utensilia dici queant notabiliter immunda seu lacera vel fracta. Pasqualigus, *De sacrif.*

novae legis, *quaest. 815*, *n. 5*, quem approbat De Albertis, *op. cit.*, *cap. IX*, *n. 26*. assignat hoc criterium : « Censerem tunc esse notabiliter immundas aut laceras, quando si tales essent vestes communes, dedecerent nobilem virum ». Ratio habenda quoque est loci et qualitatis ecclesiae, cui sacra utensilia inserviunt, nam quae sunt notabiliter immunda ac lacera pro ecclesia in qua nobiliori modo tractari solet cultus divinus, talia non erunt pro ecclesia paupere, respectu cujus immunditia et consumptio magis conspicua debet esse. Proinde id relinquendum judicio prudentis viri; et S. Alphonsus, *VI*, *n. 376*, animadvertit hanc enormem immunditiam quae culpam gravem secumfert, difficulter verificari.

666. Igitur sacra utensilia oportet suis in locis accurate servare, praeter illa quae continuo altare exornant; exinde non extrahere nisi pro divinis officiis; post divina officia statim in suis locis reponere; quando necessitas alicujus reparationis apparet, statim reparare; suis temporibus lavare, aliaque munda substituere. S. Carolus Borromaeus in variis suis conciliis provincialibus accurate describit sollicitudinem habendam circa singula sacra utensilia; et ea quae tradit, transcribunt Gavantus, *op. cit.*, *p. V*, *cap. ult.*, et De Albertis, *l. c.*, *n. 29 sequ.* Jure communi custodia sacrorum utensilium in ecclesiis cathedralibus et collegiatis pertinebat ad *sacristam*, et ad *custodem* qui erat sacristae minister, uterque autem erat sub dependentia archidiaconi. Vide titulos *De officio archidiaconi*, *De officio sacristae*, *De officio custodis*, *XXIII*, *XXVI*, *XXVII*, *lib. I Decret.* Hodie sacrista appellari solet *sacrista major*; custos *sacrista minor*. In aliis autem ecclesiis inferioribus ipse parochus aut ecclesiae rector est sacrista major. In praesenti igitur disciplina cura sacrorum utensilium sacristae majori incumbit; qui tenetur non solum de dolo et culpa lata, sed etiam de culpa levi, imo et levissima; et sacra utensilia debet in ecclesiae sacrario aliove decenti loco ad ecclesiam spectante servare, non autem ad suas aliorumve privatas domos deferre. Porro episcopus in dioecesis per-

lustratione non negligat sacra quoque utensilia visitare et abusus, si qui sunt, corrigere.

667. Ceterum si ecclesia habet sacra utensilia diversi valoris, in sacris functionibus et Missae sacrificio magis vel minus pretiosa adhibenda erunt et ecclesiae ornatus magis vel minus splendidus esse debebit pro dignitate celebrantis et solemnitatis, ut docet *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I, cap. XII*. In *Vasionen.*, *12 Julii 1777* (n. 4383), proposito dubio : « 1° An et in quibus festivitatibus et ecclesiasticis functionibus assumi debeant nobiliora sacra celebrantium indumenta et altaris respective pretiosiora ornamenta, in casu » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Indumenta sacra nobiliora celebrantium et altaris pretiosiora ornamenta esse assumenda in festivitatibus primae classis et functionibus solemnioribus ad formam *Caeremonialis*, exclusis tamen a solemnioribus diebus expositione SSmi occasione orationis quadraginta horarum et octava SSmi Corporis Christi.

668. Sacra utensilia etiam consecrata et benedicta possunt utique ab ecclesia divite commodari ecclesiae pauperi aut etiam locari sub aliquo parvo pretio. At vero episcopus ex una parte nequit cogere ecclesiam ut sua utensilia commodet alteri, ut reposuit S. R. C. in *Viennen.*, *10 Jan. 1597* (n. 104), et S. C. EE. et RR. in *Romana*, *30 Apr. 1779*, et ex alia parte potest prohibere ne rector sacra ecclesiae indumenta commodet aut locet alteri ecclesiae sine sua licentia expressa et scripta sub poena peragendi spiritualia exercitia per octo dies in domo religiosa ab eodem Ordinario designanda, ut eadem S. C. EE. et RR. rescripsit in *Romana*, *29 Jun. 1788*. Quod si patronus piusve fidelis sacra utensilia alicui altari taxative donaverit, e. g., crucem et candelabra, rectorem ecclesiae, absque donatoris consensu, non posse eadem transferre ad ornatum aliorum altarium etiam ejusdem ecclesiae, declaravit S. C. C. in *Ravennaten.*, *17 Aug. 1734*. Tandem in alienatione sacrorum utensilium, si haec ad ecclesiam pertinent, ea servanda sunt quae sacri canones constituunt pro alienatione rerum ecclesiasticarum quaeque canonistae fuse exponunt in titulo *De rebus ecclesiae alienandis vel non*, *XIII, lib. III Decret.*

669. In multis dioecesibus aut ecclesiis est *taxa pro utensilibus* solvenda ab illis quibus ecclesia subministrat sacra utensilia aliaque necessaria pro Missae celebratione. Varia est pro variis locis, determinata ab episcopo vel a consuetudine, et nefas est eamdem augere. Videamus num ecclesia teneatur sua utensilia subministrare sive episcopo sive aliis sacerdotibus sacrificium offerre volentibus ; et num sacra utensilia subministrans, possit taxam utensilium exigere. De jure naturae aequum esset ut omnes in genere taxam utensilium solverent ; sed lex ecclesiae potuit aliquos quandoque excipere.

670. In primis capitulum ecclesiae cathedralis debet e suo sacrario paramenta aliaque necessaria utensilia subministrare episcopo exercenti pontificalia vel etiam Missam privatim celebranti in ecclesia cathedrali aut in capella episcopali, quin aliquid exinde exigere possit. Hinc in *Terracinen. et Setina* propositis dubiis : « 3° An praedicti canonici teneantur subministrare episcopo pontificalia exercenti et ordines conferenti supellectiles et alia sacra ornamenta in casu : 4° An iidem canonici debeant subministrare supellectiles et alia ornamenta etiam pro ornatu ecclesiae et cathedrae episcopalis nec non candelas cereas pro ara maxima, dum episcopus pontificalia exercet in casu » ; S. C. C. reposuit die *14 Dec. 1771* : « Ad 3um : Affirmative, dummodo celebret in cathedrali vel in capella episcopali, et ad mentem. Mens est ut episcopus provideat sacrarium ecclesiae juxta praescriptum in litteris apostolicis et amplius. Ad 4um : Quoad supellectiles et ornamenta cathedrae episcopalis, ut in tertio : quoad ornatum ecclesiae, affirmative, quatenus adsit et juxta solitum ; in reliquis, affirmative et amplius ». Ad idem tenetur capitulum, licet episcopus pontificalia exerceat in alia ecclesia civitatis episcopalis extra cathedralem et sacellum episcopale. Revera in *Vercellen., 14 Mart. 1645* (n. 1441), proposito dubio : « 5° An liceat episcopo pontificalia exercenti in civitate, sed extra cathedralem, invitis canonicis, pro se et suis assistentibus et inservientibus paramenta e cathedrali desumere » ; S. R. C. reposuit : « Ad 5um : Episcopo licere ». Quod si

capitulum renuit sacra utensilia episcopo, ut supra, praebere, non solum episcopus potest jubere ut e sacrario cathedralis, invitis canonicis, desumantur, sed insuper canonici aliqua poena plecti possunt, ut reposuit S. C. C. in *Casalen.*, *11 Maii 1708*. Neque haec obligatio capituli cessat ratione distantiae palatii episcopalis aut ecclesiae a cathedrali, ut desumitur ex *Alben.*, *19 Sept. 1710*, in qua palatium episcopale distabat quatuor centum passibus. Ceterum paramenta subministranda episcopo debere esse proportionata dignitati episcopi et solemnitati functionis, jam supra dictum est. Sed praeter citatos casus, ex una parte episcopus jus non habet ad sacra utensilia alicujus ecclesiae extra illam : ex alia autem parte quaelibet ecclesia, etiam regularium, debet episcopo in eadem ecclesia pontificalia exercenti aut sacrum facienti, subministrare sacra utensilia aliaque obsequia ipsi debita praestare : secus episcopus potest ecclesiam, etiam regularem, interdicto submittere, ut rescripsit S. C. C. in *Venafrana*, *Interdicti*, *26 Jan. 1697*.

671. Beneficiatis aut capellanis, in ecclesia celebrantibus titulo beneficii aut capellaniae, ecclesia debet utensilia aliaque necessaria subministrare, sed jure potest ab eisdem utensilium taxam exigere, nisi conventio particularis obstet. Id pluries SS. CC. RR. declaraverunt ; e. g., in *Auximana*, *23 Febr. 1726*, proposito dubio : « An rectores beneficiorum, capellani aliique celebrantes in ecclesia collegiata Cingoli teneantur solvere utensilia capitulo dictae ecclesiae » ; S. C. C. reposuit : « Rectores beneficiorum, capellanos perpetuos, canonicos obtinentes ultra canonicatus capellanias perpetuas et ipsum capitulum pro rata onerum perpetuorum teneri ad solutionem utensilium sacristiae ad rationem unius oboli pro qualibet Missa, exceptis tantum a solutione utensilium Missis adventitiis, et amplius ». Isti omnes tenentur, etsi ecclesia pauper non sit et alios habeat reditus : nam hic erat praecise casus in cit. *Auximana*, ut patet ex ipsamet responsione, quia si ecclesia est pauper et alios non habet reditus, neque Missae adventitiae a taxa utensilium excipiuntur, uti mox dicemus. Haec intelligimus etiam de parochorum vicariis qui in ecclesia celebrant titulo vicariatus.

672. Alios sacerdotes extraneos qui in ecclesia celebrare petunt, parochus non tenetur admittere, eisdemque sacra utensilia praebere. In *Egitanien.*, *10 Jun. 1602* (n. 147), ad dubium : « 3° An episcopus possit cogere rectorem parochialium ecclesiarum suae dioecesis ut vinum, hostias, paramenta et cetera ad celebrandum necessaria subministret presbyteris in eorum parochiis commorantibus et in eorum ecclesiis celebrare volentibus, juxta antiquam consuetudinem » ; S. R. C. reposuit : « Ad 3um : Episcopum non posse cogere praedictos rectores, sed hortari, et rectores recte facturos, si monitionibus et hortamentis episcopi pareant ». Hanc responsionem eadem S. C. confirmavit in *Soanen.*, *31 Maii 1698* (n. 3473) ; in *Nebbien.*, *31 Martii 1703* (n. 3643). ac alias. Excipe si presbyter extraneus raro ex devotione aliave causa petat in ecclesia celebrare, ut cum Giraldi diximus *n. 373*. Parochus autem vel ecclesiae rector, hos sacerdotes extraneos admittens, eisdemque sacra utensilia praebens, si quidem ecclesia egestate non laborat, nequit taxam utensilium exigere ; si ecclesia egestate laborat, potest illam expetere. In *Derthonen.*, *6 Julii 1726*, proposito dubio : « An archipresbyter ecclesiae collegiatae oppidi Pontis Curani fuerit et sit obligatus subministrare vinum, ceram et hostias capellanis aliisque presbyteris de clero celebrare volentibus vel obligatis ad celebrandam Missam in eadem ecclesia » ; S. C. C. reposuit : « Archipresbyterum non teneri ad subministranda utensilia de quibus agitur, illis qui celebrant in sua ecclesia ex obligatione beneficii sive capellaniae, exceptis illis cum quibus habet conventiones particulares ; et quoad Missas adventitias, teneri ad dictam subministrationem quatenus permittat eos in sua ecclesia celebrare, nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes ». Porro Benedictus XIV qui tunc temporis erat secretarius S. C. et ideo sensum hujus responsionis prae aliis omnibus cognoscere debebat, doctrinam expositam tradit in *Inst. Ecc. XLVI, n. 13*, eumque sequitur De Albertis, *op. et loc. cit.*, *n. 30*.

673. Dantur autem nonnulli casus in quibus ecclesiae

rector subministrare debet sacra utensilia etiam illis quibus de jure eadem non deberet. Id verificatur in primis si quis fundavit in ecclesia beneficium aut capellaniam, ecclesia fuit haeres fundatoris aut participavit de illius bonis, et beneficiato aut capellano nil superest praeter statutam Missarum eleemosynam ; uti reposuit S. C. C. in *Nicien., Capellaniae, 15 Apr. 1758.* Item si sacerdos aliquis sive ex conventione sive ex concessione pontificia accedere debet ad Missam celebrandam in aliena ecclesia ; de quo casu actum est in *Imolen., Jurium parochialium, 20 Dec. 1760, ad 2um*. Quod si sacerdoti solum jus est in ecclesia Missam celebrandi, attendenda est sive specialis conventio, sive consuetudo omnibus requisitis praedita. Tandem regulares tenentur sacra utensilia subministrare presbyteris saecularibus qui in eorum ecclesia Missam celebrare debent pro adimplendis legatis ac beneficiorum obligationibus, ut SS. CC. pluries reposuerunt, apud De Albertis, *l. c., n. 47 sequ.*

674. Dubitatur num ecclesia ex eleemosynis seu fundatis seu manualibus quas praebet celebrantibus, detrahere possit taxam utensilium. Doctores probati non docent unum idemque. Nam S. C. C. interrogata : « An permittendum sit administratoribus ecclesiarum ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium » ; reposuit, probantibus Urbano VIII et Innocentio XII : « Permittendum non esse ut ecclesiae ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem, retineant ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca alios non habent reditus quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint ; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae sacrificio necessario sunt subeundae ; et nihilominus eo etiam casu curandum esse ut ex pecuniis quae supersunt, expensis, ut supra, detractis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus elee-

mosynas ». Vide in *Allegat. III*, § *21*ª, *ad 7*ᵘᵐ. Jamvero Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XLVI, n. 12*, et *De syn., lib. V, cap. IX, n. 3*, censet vi hujus decreti nil detrahi posse ex eleemosynis Missarum manualium ; ex eleemosynis vero Missarum perpetuarum tunc tantum aliquid detrahi posse, cum ecclesia alios reditus ad hoc non habet. E contrario De Albertis, *op. cit., cap. XIII, n. 12*, putat hoc decreto detractionem permitti ex eleemosynis omnium Missarum sive manualium sive perpetuarum, si ecclesia pauper est ; secus prohiberi absolute pro omnibus item eleemosynis. Haec interpretatio nobis videtur conformior responsioni citatae S. C. C., quam intelligimus tum de eleemosynis perpetuis, quod patet ex ipsis verbis responsionis, tum de eleemosynis manualibus, uti colligitur ex verbis dubii (*Allegat. III*, § *21*, *1*°) et decreti (*l. c.*, § *5*ª), ad quod responsio refertur. Ceterum si ecclesia pauper pro taxa utensilium aliquid expetere potest ex ipso stipendio quod presbyter extraneus in ecclesia celebraturus aliunde habuit, uti tradit Benedictus XIV, cit. *Inst. Ecc. XLVI, n. 13*, in fine, occurnam non poterit aliquid detrahere ex eleemosyna manuali quam ipsamet sacerdoti praebet ?

675. Quodlibet sacrum utensile suum habet usum, et nos non possumus illud adhibere ad actum sacrum ad quem non est destinatum. Hinc, e. g., bursa calicis adhibenda non est ad colligendas eleemosynas in ecclesia ; velum calicis, bursa, purificatorium, palla, etc., non debet supponi mento communicaturi ; sed de hac re suo loco. Haec vero peccatum veniale non excedere, facile admittimus. Pariter sacerdos non potest, sacris vestibus indutus pro celebratione Missae, confessionem recipere (1), aut propria peccata alteri sacerdoti confiteri, sed debet prius sacra indumenta, albam quoque et amictum, deponere. Tandem Rituale Romanum, in rubrica *De exequiis* expresse indicat vestes sacras quibus indui potest et debet cadaver sacerdotis, diaconi, subdiaconi et clerici in minoribus ordinibus

(1) Gavanti, *part. II, tit. I, sub litt. A* ; De Albertis, *op. cit., cap. VII, n. 144*.

constituti : alia autem sacra utensilia addere, e. g., calicem, etsi ligneum, aut Missale, non licet, ut verius docet De Albertis, *l. c., n. 140.*

676. Sacra utensilia nec possunt nec debent omnia adhiberi in cujuscumque Missae celebratione aut a quocumque sacerdote ; nam nonnulla non adhibentur nisi in Missa solemni aut ab episcopo aliove sacerdote cui ab Apostolica Sede eorumdem privilegium concessum est. Operae pretium est referre hac in re privilegia praelatorum inferiorum, eorum qui usum *insignium pontificalium* habent, tandem protonotariorum apostolicorum.

677. In *decreto circa usum pontificalium praelatis episcopo inferioribus concessorum a S. R. C. habita coram SSmo D. N. Alexandro PP. VII emanatum, 27 Sept. 1659* (n. 2003), recensentur privilegia praelatorum inferiorum :

« 1° Super altari in quo sacrum erunt facturi, septimum nequaquam apponant candelabrum.

« 2° Cathedram, seu sedem fixam, et permanentem in eorum ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus, quibus ex antiquis decretis tantummodo pontificalia celebrare est ipsis permissum, mobili sede seu cathedra utantur, quam nihilominus simplici sericeo panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt non auro contexto, aut phrygio, aut basylico opere exornato.

« 3° Baldachinum adhibere supra sedem poterunt non pretiosum aut aureum, sed simplex, et eo, quod altari superimponitur, materia et opere inferius ; ad ipsam autem per duos tantum gradus in presbyterii superficie stratos ascendatur.

« 4° Non abacum alium praeter parvam mensam et in cornu epistolae parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon mitra, calix, missale, thuribulum, navicula et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur ; prope vero mensam eamdem parieti haerens baculus pastoralis aptetur.

« 5° Dies vero in quibus solemniter ipsis operari conceditur, sint de praecepto festivi, vel alii in quibus ipsis pon-

tificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe patroni loci, fundatoris Ordinis, tituli, et dedicationis ecclesiae. Abstineant autem ab hujusmodi pontificalium usu in officiis et Missis defunctorum quocumque die etiam festivo et de praecepto.

« 6° Ad ecclesiam accedentes, licet pontificaliter divina peracturi iisdemque absolutis ab altari recessuri, a suis canonicis, vel monachis (ut mos est episcoporum) ne associari se sinant.

« 7° Praeter duos sacrificii ministros, diaconum nempe evangelii et subdiaconum epistolae, duo alii tantum diaconi cum dalmaticis et unicus presbyter cum pluviali his assistant. Duo insuper capellani qui de mitra et baculo, ac totidem acolythi pro candelabris inserviant. Praeterea sex alii canonici, vel monachi, duo scilicet pluvialibus, duo planetis, totidemque tunicellis induti, divinis hujusmodi interesse valeant, qui tamen non in sedibus seu stallis choralibus, sed in scamnis absque postergalibus panno viridi laneo coopertis, situ congruo accomodatis, moxque illico removendis consideant.

« 8° Mitram pretiosam, nisi illis expresse a S. Sede indultam, non adhibeant. Sub mitra pileolum nigri tantum coloris induant. Baculum pastoralem albo velo appenso deferant; ab iisque et aliis pontificalibus etiam de Ordinariorum licentia extra ecclesias sibi subjectas prorsus abstineant, et neque in processionibus quae ab eorum ecclesiis per vias extra ambitum vel parochiam ducuntur, insigniis praedictis utantur, vel penes se perferri faciant.

« 9° Regulares rochettum non deferant, nisi ex tali Ordine fuerint cui indumentum hujusmodi competat.

« 10° Invitati ad ecclesiam exemptam, nec in illa pontificalibus uti valeant : nec ii, qui non fuerint abbates perpetui, vel benedicti in propriis ecclesiis uti possint privilegio perpetuis abbatibus, vel alias benedictis indulto.

« 11° Sacras vestes ex altari non sumant, nisi pontificaliter divinis vacaturi.

« 12° Indulgentias impertire vel publicare non audeant, absque expresso S. Sedis indulto.

« 13° Pontificales benedictiones cum trina crucis productione in Missis tantum pontificalibus, necnon vesperis, et matutinis pontificaliter itidem celebratis licere sibi tantum meminerint. Privatim vero populis, quamvis pleno jure subjectis, nisi expresse ipsis permissum fuerit, etiam pontificalibus induti per ecclesiam incedentes benedicere non praesumant.

« 14° Praesente episcopo, sine speciali Sedis Apostolicae permissu, etiam pontificaliter celebrantes, a benedictionibus cessent.

« 15° Si episcopus aderit, ipsius sedes in cornu evangelii uno solum gradu eminentior abbatiali est erigenda: haecque altero gradu humilior, ut dictum est, in cornu epistolae collocetur. A latere episcopi canonici cathedralis, prope abbatem canonici vel monachi monasterii abbatialis ecclesiae consideant. Confessionem cum celebrante episcopus faciat, isque thus thuribulo imponat. Evangeliorum textum osculetur, et populo solemniter quamvis abbas ipse pontificaliter celebret benedicat; episcopus propterea trino ductu, et immediate canonici cathedralis duplici, moxque abbas (nisi celebret) pariter duplici, ac subinde canonici, vel monachi abbatialis ecclesiae unico tantum ductu thurificentur.

« 16° Abstineant tamen episcopi, ubi consuetudo contraria non viget, a frequenti hujusmodi accessu ad ecclesias exemptas in similibus actibus, ut liberius abbates valeant suis uti privilegiis.

« 17° In ordinationibus canonicorum, clericorum, monachorum necnon in vestitionibus monialium, et emissione professionis earumdem, etiam pleno jure sibi subjectarum, in benedictione sacrae supellectilis, ceterisque actibus Missarum, vesperarum, matutinarum solemniis ter tantum in anno, ut praefertur, exceptis, neque in ecclesiis, oratoriis, aliisque locis tam publicis quam privatis, quantumvis exemptis, eisdemque abbatibus pleno jure subjectis, mitram, baculum et quaevis alia pontificalia insignia, nisi de expressa Sedis Apostolicae concessione, adhibeant.

« 18° Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum benedicant.

« 19° Reliqua pontificalia extra loca ipsis abbatibus subjecta, vel pro servitio alienae ecclesiae, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant, puta campanarum benedictionem, calicum, et similium in quibus sacra adhibetur unctio, nec non minorum ordinum collationes.

« 20° Concionatoribus, qui eorum subditis verbum Dei praedicandi onus acceperint, benedictionem elargiri non praesumant, sed episcopis, quibus jus hujusmodi privative competit, omnino dimittant.

« 21° In Missis privatis quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, et benedictionis largitionem a simplici sacerdote non discrepent, ac proinde sacras vestes induant in sacristia, neque utantur cruce pectorali, unico sint contenti ministro, aquam cum pelvi et urceolo argenteis sibi ministrari non sinant, duasque tantum candelas super altare adhibeant.

678. In decreto diei *27 Aug. 1822* (n. 4593), probato a Pio VIII per const. *Decet Romanos Pontifices*, *4 Jun. 1823*, S.R.C. determinat quinam gaudeant jure insignium pontificalium, et, quando hoc indultum a Sede Apostolica conceditur, quid nomine insignium pontificalium intelligi debeat :

« 1° Sacra peragere ritu pontificali de jure inhaeret dumtaxat episcopali dignitati.

« 2° Praelati episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori, statutis tantum diebus, in propriis ecclesiis ab episcopali jurisdictione exemptis, et tenentur in reliquis communibus adamussim servare generalia decreta Alexandri VII a Benedicto XIV confirmata.

« 3° In ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

« 4° Dignitates, canonici, rectores ecclesiarum quocumque nomine insignium, prohibentur ritus et caeremonias pro episcopis et praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere aut ornatum aliquem pontificalem induere, absque speciali Apostolicae Sedis privilegio.

« 5° Quodcumque privilegium ad augendum insignium

quarumdam ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede dignitatibus, canonicis, rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati episcopali, de jure strictissime est interpetrandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia quae singillatim descripta non fuerint.

« 6° Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aeque competunt, sed discrimine est opus inter celebrantem et assistentes cum insigniis pontificalibus.

« 7° Nam celebranti quaedam competere possunt pontificalia insignia, non item assistentibus, dum dignitates, canonici, rectores, etc., sacra sumere debent indumenta.

« 8° Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat, ex pluries decisis a Sacra Congregatione, caligae, sandalia nec auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, dalmatica, tunicella, annulus cum unica gemma, crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

« 9° Hisce omnibus uti poterit solummodo dignitas, canonicus, aut rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia haec, sed aliqua dumtaxat insignia permittat.

« 10° Qui vero in Missa solemni diaconum vel subdiaconum agunt, etiamsi sint dignitates, canonici, etc., nec mitram nec ullum aliud pontificale indumentum, nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad evangelium et ad epistolam adhibere poterunt.

« 11° Dignitatibus, canonicis, rectoribus, etc., Missam cum insigniis pontificalibus solemniter celebrare liceat iis dumtaxat diebus in quibus celebrant vice episcopi absentis, vel impediti, vel vita functi, aut in quibus episcopus assistit, vel assistere deberet cum pluviali et mitra. In reliquis diebus etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

« 12° In ecclesiis civitatis et dioecesis cum insigniis pon-

tificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in majoribus solemnitatibus, assentiente episcopo et assistente capitulo.

« 13° Nunquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet episcopus assistat cum pluviali et mitra, sed celebrent more solito.

« 14° Si dignitas vel canonicus, etc., ab episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum, vel novitia, expleto tyrocinio, ad solemnem professionem, pontificalibus insigniis uti nequeat, nisi de expressâ episcopi licentia; qua obtenta, iis tantummodo utatur quae actioni conveniunt.

« 15° Cum pontificalibus indumentis celebrans, nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete vel panno coloris qui officio diei respondeat.

« 16° Nequit praeterea tam in solemni, quam in Missa privata sacras vestes sumere ex altari, uti canone, palmatoria, presbytero assistente, salutare populum cum verbis : *Pax vobis*, loco : *Dominus vobiscum*, aut trinam dare benedictionem post Missam, vel cum Sacramento, et si quae sunt alia quae solis competunt de jure episcopis, et ex privilegio praelatis inferioribus, dum his pontificalia peragere statis diebus concessum est.

« 17° Dignitates, canonici, rectores, etc., quando parati assistunt episcopo pontificaliter celebranti, mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris indumentis, videlicet vel pluviali, vel casula, vel dalmatica amicti, in processionibus SSmi Corporis Christi, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, etiamsi has functiones peragat dignitas vel canonicus loco et vice episcopi absentis, impediti, aut vita functi.

« 18° Assistentes episcopo tam in altari quam in cathedra, quando ministrant vel cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

« 19° Solemniter celebrantes dum episcopus sacra assumit indumenta aut solium ascendit, stent sine mitra.

« 20° Non liceat eis uti pulvino sub genibus, episcopo praesertim assistente.

« 21° Non adhibeatur acolythus ad tenendam mitram cum

oloserico velo e collo pendente, nisi pro dignitate, canonico, rectore, etc., solemniter celebrante vel Sacramentum in processionibus deferente.

« 22° Dignitates, canonici, rectores, in processione SSmi Corporis Christi, sacris indumentis amicti, mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

« 23° Praeterea reliqua omnia, quae non sunt in privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

« 24° In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, a simplicibus sacerdotibus non differant : sumant proinde sacras vestes in secretario, non utantur cruce pectorali, unico ministro contenti sint ; non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duo tantum candelae luceant in altari.

« 25° Defuncti nequeunt in loculo efferri nec tumulari cum mitra.

« 26° In eorumdem funeribus seu anniversariis super tumulo erigi solito non apponatur mitra.

« 27° In insigniis seu stemmatibus familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu quo expresse concessum sit in litteris apostolicis.

« 28° Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad Sacram Congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii providebit.

« Si quae vero capitula amplioribus ac praeter hujusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in Sacram Congregationem perpendenda deducant ; ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur ».

679. Tandem privilegia protonotariorum apostolicorum ad instar participantium tradit Pius IX in const. *Apostolicae Sedis officium*, *IV kal. Sept. 1872*, quam etiam protonotariis apostolicis participantibus applicandam esse putamus :

« 1° Protonotarii apostolici ad instar participantium, a Summo Pontifice ad hunc honorem evecti, inter praelatos domesticos eo ipso accensentur.

« 2° Licet illis habitu praelatitio uti, nimirum : veste ta-

lari caudata, fascia et palliolo seu mantelleto violacei coloris cum collari et caligis item violaceis ac biretto, quod tamen omnino nigrum esse debet.

« 3° Hunc habitum praelatitium cum rochetto subtus palliolum adhibere poterunt in publicis supplicationibus aliisque sacris functionibus; in reliquis vero rochettum dimittant: simulque sciant nunquam sibi licere, praeterquam in celebratione Missae pontificalis crucem pectoralem et annulum deferre.

« 4° Habitu privato incedentibus, fas erit iisdem protonotariis, retento usu collaris et caligarum violacei coloris, induere vestem talarem nigram fimbriis globulisque rosaceis ornatam, circumcingere illam ad lumbos parva fascia violacea, pallium item violaceum superimponere ac pileo nigro vittam seu chordulam rubri coloris, auro tamen non intertextam, adiungere.

« 5° Habitu praelatitio induti, quoscumque clericos, presbyteros, canonicos singillatim sumptos, necnon praelatos superiores Ordinum regularium quibus pontificalium privilegium non competat, praecedunt; minime vero vicarios generales vel capitulares, canonicos collegialiter unitos et abbates.

« 6° Si in habitu praelatitio sacris functionibus assistant, non genuflectant, sed caput cruci inclinent, uti fieri solet a canonicis ecclesiarum cathedralium, duplici ductu thurificentur et consideant juxta ordinem nuper indicatum.

« 7° Si forte canonicatu aut dignitate in aliqua ecclesia potiantur, habitum ibi gestent sui ordinis proprium, non praelatitium: excepta tantum veste talari, quae violacea esse poterit, eoque consideant et incedant loco qui ipsis ratione beneficii competit. Quod si habitu praelatitio uti nihilominus velint, sedem occupent ipsis superius assignatam et pro ea vice distributiones quotidianas amittant, quae sodalibus accrescant.

« 8° Indulto gaudeant privati oratorii ab Ordinario visitandi atque approbandi, in quo, diebus etiam solemnioribus, in consanguineorum et affinium secum habitantium necnon famulorum suorum praesentia, Missam vel per se celebrare,

vel per quemcumque sacerdotem saecularem vel cujusvis Ordinis regularem rite probatum celebrare facere, libere possint et valeant.

« Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

« 9° Jus habent assistendi capellis pontificiis ibique sedendi post protonotarios participantes.

« 10° Conficere possunt acta de causis beatificationis et canonizationis servorum Dei, quo tamen privilegio uti nequeant, si eo loci alter sit e collegio protonotariorum participantium.

« 11° Rite eliguntur in conservatores Ordinum regularium, in judices synodales, in commissarios apostolicos et judices a Summo Pontifice adsciscendos pro causis ecclesiasticis et beneficiariis. Item apud ipsos professionem fidei recte emittunt, qui ex officio ad eamdem adstringuntur. Item coram ipsis pensiones transferri possunt ab iis qui eo gaudent privilegio.

« 12° Meminerint tamen protonotarii apostolici ad instar participantium, minime obstantibus privilegiis superius recensitis, ipsos a locorum Ordinariis eorumque jurisdictione minime esse exemptos, sed iisdem Ordinariis, juxta communis juris regulas, omnino subjectos, nec proinde sine expresso illorum assensu unquam posse pontificalia exercere.

« 13° Impetrata autem Ordinarii venia, qui ea tribuere poterit quoties et pro quibus solemnitatibus voluerit, et si Missa solemnis celebranda sit in ecclesia exempta, obtento insuper assensu praelati cui haec ipsa ecclesia subest, non idcirco memorati protonotarii fas sibi esse putent solemne sacrum iisdem prorsus ritibus et pompa peragere, qui episcopali tantum dignitati conveniunt. Plura siquidem sunt quae illis omnimode, prout sequitur, interdicuntur.

« 14° Itaque ad ecclesiam ubi rem divinam sint solemniter celebraturi, privatim accedant. Non cappam magnam nec pileum pontificale audeant assumere, ne unum quidem presbyterum vel clericum superpelliceo indutum sibi comitem adsciscant : non in templi vestibulo ab ecclesiae clero associari

se sinant; non denique populum lustrali aqua ibidem aspergere, nec ipsi intra ecclesiam benedicere manu praesumant.

« 15° Item abstineant ab usu septimi candelabri super altari, sacras vestes non ex eo, sed in sacrario assumant et deponant, non in faldistorio eove minus in throno sedeant; sed una cum ministris in scamno cooperto tapete vel panno coloris officio diei respondentis, non baculo pastorali, non canone, non palmatoria, non presbytero assistente utantur; manus nonnisi semel post offertorium ad altare lavent.

« Denique nec dicant: *Pax vobis*, loco: *Dominus vobiscum*, dum populum salutant, nec in fine Missae trinam benedictionem impertiantur.

« 16° Quoad ornamenta pontificalia hisce tantum uti poterunt, scilicet: caligis et sandaliis sericis nec auro nec argento ornatis, sericis item chirothecis sine opere phrygio aureo vel argenteo, dalmatica, tunicella, annulo cum unica gemma, cruce pectorali sine ullis gemmis cum chordula serica violacei coloris, ac pileolo nigri coloris, attamen nonnisi sub mitra adhibendo.

« 17° Haec ipsa vero pontificalia ornamenta assumere nequibunt in Missis pro defunctis, in processionibus et in quibuscumque aliis ecclesiasticis functionibus, nisi forte Missam solemnem immediate praecedant, vel subsequantur, at semper depositis in ejusmodi functionibus a Missa distinctis, chirothecis cum dalmatica et tunicella.

« 18° In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, cereorum lucentium numerum, a simplici sacerdote non differant, adeoque nullum prorsus ex ornamentis pontificalibus pro Missa solemni tantum sibi indultis adhibeant, atque ab omnibus et singulis ritibus in ipsa Missa solemni sibi vetitis penitus abstineant.

« 19° Verum cum protonotarii ad instar participantium nequeant in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, pontificalium privilegium exercere, hinc illis Romae permittitur ut, juxta vigentem ibi usum, possint in Missis privatis, dummodo habitu praelatitio sint induti, sese ad Missam praeparare, eaque absoluta, gratiarum actiones persolvere coram altari in parvo genuflexorio sine strato cum duobus pulvinaribus

tantum, altero sub genibus et altero sub brachiis ; sacras vestes ex eodem altari sumere, palmatoria uti ac presbyterum superpelliceo indutum adhibere, qui missalis folia illis evolvat : salvis tamen quoad patriarchales basilicas peculiaribus statutis et consuetudinibus ibidem laudabiliter observatis, et cauto semper ut abstinere omnino debeant ab annulo et cruce pectorali, ab usu pileoli, a salutatione populi per verba : *Pax vobis*, a trina benedictione in fine Missae et ab aliis quibuscumque ritibus et caeremoniis, nonnisi S. R. E. Cardinalium et episcoporum propriis.

« 20° Recensita hactenus privilegia illa sunt, quibus dumtaxat protonotarii ad instar ab Apostolica Sede donantur. Verum non aliter illa exercere licebit iis qui hujusmodi honorem rite fuerint consecuti, nisi antea apostolicas litteras vel legitimum diploma suae nominationis in officio secretarii collegii protonotariorum participantium exhibuerint, cujus erit in codicem referre nomen, cognomen, aetatem, patriam et qualitates novi protonotarii ad instar, necnon diem expeditionis praedictarum litterarum apostolicarum seu diplomatis ; nisi insuper coram decano protonotariorum participantium vel per se, si Romae versentur, vel etiam per legitimum procuratorem, si alibi commorentur, fidei professionem et fidelitatis juramentum praestiterint, et nisi denique de sua legitima nominatione necnon de fidei professione et fidelitatis juramento a se ut supra praestitis authenticum documentum, nomine totius collegii protonotariorum participantium ab hujus decano et secretario subscribendum et collegii ipsius sigillo muniendum, Ordinario praesentaverint, una cum notula typis impressa honorum, privilegiorum et praerogativarum protonotarii ad instar inhaerentium ad formam praesentis decreti, iisdem prorsus quibus supra subscriptionibus et sigillo munita.

« 21° Qui secus facere aliisve, praeter memorata, privilegiis et juribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso protonotariatus honore privatos se sciant.

« 22° Quae supra de usu pontificalium et de modo Missam privatam celebrandi quoad protonotarios ad instar

participantium decreta sunt, a ceteris etiam Romanae Curiae praelatis, quibus ex constitutionibus aliisve specialibus indultis apostolicis privilegium pontificalium competat, erunt adamussim servanda. Si qui vero praelati et praelatorum collegia amplioribus hac in re praerogativis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria sua jura in Sacrorum Rituum Congregationem deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.

23° Cum autem inter privilegia quibus a Romanis Pontificibus nonnulla cathedralium aliarumve insignium ecclesiarum extra Urbem capitula decorata fuerunt, illud quoque fuerit identidem concessum, ut praedictarum ecclesiarum canonici titulo gaudeant protonotariorum ad instar participantium, attente perpendant istiusmodi capitula ex nudo hoc titulo singulis canonicis pontificia benignitate tributo, minime deduci posse privilegia quoque ipsis indulta fuisse eorumdem protonotariorum propria, sed juxta regulam a S.R.C. in generali Decreto *diei 27 Aprilis 1818* traditam et a s. mem. Pio VII, *Idibus Decembris* ejusdem anni in constitutione *Cum innumeri* confirmatam, meminerint « Leges et conditiones, in apostolicis indultis praefinitas, accurate diligenterque servandas, neque ulli fas esse concessionis limites pro suo arbitrio praetergredi, vel in Romana Curia id genus insignia deferre, vel sibi singulatim et extra collegii functiones attributa existimare, quae corpori tantummodo sunt collata ».

« 24° Ceterum, praedicta Congregatio particularis hoc decreto nihil detractum voluit de juribus, privilegiis et exemptionibus collegio protonotariorum participantium juxta constitutiones apostolicas, ac praesertim juxta litteras in forma Brevis *Quamvis peculiares facultates*, die *9 Februarii 1853* datas quoquomodo spectantibus ».

680. Quaeri potest quid faciendum de sacris utensilibus quae ad usum inepta evaserunt. In *can. 39, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, statuitur altaris pallas, cathedram, candelabrum, et velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio danda esse et cineres immittendos in baptisterium, aut in parietem, aut in fossis pavimentorum. Hic canon

quem Gratianus tribuit Clementi, Romano Pontifici, est apocryphus, desumptus ex epistola 2ª S. Clementis ad S. Jacobum fratrem Domini, a pseudo Isidoro conficta (1). Hoc igitur canone seposito, sequentia statuenda esse videntur. In primis sacra ecclesiarum utensilia, ad usum inepta, tradi utique possunt et debent artifici pro reparatione. Requiriturne ad hoc praevius Ordinarii consensus? Praecise ratione reparationis certe non requiritur; ut artifex sacrum utensile tangere possit (*n. 757*), nec requiri putamus, quia a prohibitione tangendi excusat rationabilis causa (cit. *n. 757*), et causa reparationis est certe rationabilis. Quoad corporalia, res est adhuc facilior; nam cum post lotionem haec linteamina quisque tangere possit (cit. *n. 757*), sufficiet haec linteamina prius lavare ut artifex ea sine ullo scrupulo tangat. Praeterea possunt vendi aut permutari, servatis his omnibus, quae sacri canones constituunt pro alienatione rerum ecclesiasticarum (*n. 688*). Tandem possunt etiam destrui. Optandum est ut lege dioecesana constituatur ne sacra ecclesiarum utensilia, sub praetextu quod jam sint ad usum inepta, destruantur, eorumque forma mutetur sine consensu Ordinarii vel alterius ab Ordinario delegati; nam si id in libertate relinquatur, non levia possunt oriri incommoda in rei sacrae et religionis nocumentum, eo vel magis quod haec destructio alienationi non immerito comparetur. Jamvero melius certe est sacra utensilia ita destruere eorumque formam mutare ut in alia sacra utensilia convertantur; e. g., ex calice et patena fiat novus calix novaque patena, pyxis, vas pro sacris oleis, etc.; ex planeta fiat stola, manipulum, etc.; ex cappa fiant planetae, stolae, etc.; ex alba fiant corporalia, pallae, etc.; idque Ordinarius ejusve delegatus praecipiat, ne ecclesia in sacris utensilibus evadat pauperior. Quod si sacra ecclesiarum utensilia, e. g., manipulus, stola, planeta, corporale, etc., adeo sint lacera ac vetustate consumpta ut nequeant reparari, vendi, permutari, aut in alia converti, religio exigit ut comburantur. Demum sacra utensilia, ad usum inepta, si pertineant ad

(1) Berardi, *Canones Gratiani, etc., p. II, cap. I, p. 20.*

aliquam personam particularem, haec pro lubito potest eadem reparare, alienare, destruere ; forma penitus mutata, e. g., fuso calice, nil vetat quominus ex materia quae sacra non est, res profana conficiatur (1) ; sed specie aliquo modo remanente, religio vetat ne utensile sacrum, utcumque ineptum, ad usus profanos adhibeatur. Episcopus, praesertim in dioecesis perlustratione, sacra utensilia ad usum inepta *suspendat*, idest prohibeat ne amplius adhibeantur, congruo fortasse assignato tempore ; de qua re legendus est De Albertis, *op. cit.*, *cap. X*, *n. 42 sequ.*, qui S. Caroli Borromaei dispositiones refert et illustrat.

681. In *Dubiorum*, *20 Apr. 1822* (n. 4588), expositum fuit : « Usus sensim invaluit ut quoties calices aliaque vasa, sacra unctione consecrata juxta ritum Pontificalis Romani, artificis opera indigeant, quippe reficienda vel fundenda iterum sint, non antea eidem tradantur quam per sacerdotem vel directe et manu vel aliquo mediante instrumento fuerint execrata. Utrum vero execratio haec modusque illam peragendi rationi Ecclesiaeque ritibus sit consentanea, vel potius abusiva, nullique innixa principio, cum dubitaverit R. D. Archipresbyter Ferdinandus Valeriani, dubia quae sequuntur humillime exposuit sapientissimo EE. PP. S. R. C. praepositorum judicio, enixe postulans eorum solutionem :

« 1° Utrum rite, vel potius ex errore passim fiat hujusmodi execratio.

« 2° Si rite, utrum ab episcopo, vel a quocumque sacerdote sit peragenda ».

S. C. reposuit : « Ad 1um : Negative ad 1^am^ partem, Affirmative ad 2^am^. Ad 2um : Provisum in primo ».

Ratio est quia si vasa sacra consecrationem amiserant, haec execrationis caeremonia est absurda ; si consecrationem non amiserant, injuria quodammodo infertur vasis sacris, quae exinde minime execrantur, ita ut nec debeant nec possint denuo consecrari, donec ex alia causa execrata non evaserint. Parisiis idem viget usus in casu publicae

(1) Vide Gardellini in nota ad responsionem mox citandam S. R. C.

venditionis vasorum sacrorum ; antequam, e. g., calix qui ad defunctum sacerdotem pertinebat, publice venditur, defertur ad parochum ; hic illum manu aut aliquo instrumento tangit ; et ita calix exsecratus habetur. Non inficiamus praecedentem responsionem esse applicandam ob eamdem rationem. Haec etiam de vestibus sacris repetenda sunt.

682. Tandem nonnulli putant sacra utensilia pollui, ad instar ecclesiae (*n. 251, 252*), per voluntariam ac graviter peccaminosam humani seminis aut sanguinis effusionem, et polluta esse reconcilianda (1). Huic opinioni non subscribimus, putantes sacra utensilia humano semine aut sanguine pollui quidem materialiter, sed non juridice, et ideo reconciliatione opus non esse. Ratio est quia canones tradunt ecclesiam his actionibus pollui, et cum sint strictae interpretationis (*n. 249*), non sunt extendendi ad sacra utensilia. Accedit Pontificale et Rituale Romanum silere de reconciliatione sacrorum utensilium pollutorum, et ritus quem tradunt, reconciliationis ecclesiae pollutae, sacris utensilibus pollutis applicari non potest. In casu practico, antequam sacra utensilia polluta, praesertim vestes aut vasa, rursus in eucharistico sacrificio adhiberentur, ab re non esset S. R. C. consulere. Ceterum sacra indumenta non esse iterum benedicenda, si presbyter degradatus, eisdem indutus, Missae sacrificium celebraverit, statuitur expresse in *cap. 2, De sacramentis non iterandis*.

Articulus II.

De sacris utensilibus in specie.

683. Omnia sacra utensilia Latinae Ecclesiae in tres classes dividi posse videntur. Nam alia ad ipsos ministros attinent eaque nomine *ornamentorum sacerdotalium* comprehendimus. Alia sunt [illegible]

(1) De Albertis, op. cit., cap. XI, n. 74 seqq.; [illegible], De sacrif. Missae, part. V, cap. VI, n. 19; [illegible] *res. 82, § 1.*

accessoriis. Alia tandem respiciunt *altaris ornatum*. Ecclesia Orientalis habet nonnulla sacra utensilia Latinis ignota, scilicet *spongiam* quae locum tenet nostri purificatorii; *lanceam* qua panem consecrandum ab integra panis massa secant; *asteriscum* qui duobus arcubus constat et hostias consecrandas tegit, ne vela eas tangant et ordinem particularum turbent; *dicerion* et *tricerion*, quod est cereus bifulcus aut trifulcus quo episcopus celebrans saepe populo benedicit et utrumque frequenter manibus gestat; *labidam* seu cochlear ad porrigendam fidelibus communionem; *flabella* ad muscas aliasve bestiolas abigendas, ne sacra tangant. Antiquitus etiam Ecclesiam Latinam in Missae sacrificio flabella adhibuisse, probat Card Bona, *Rer. Liturg.*, *lib. I, cap. XXV, n. 6*. Hodie in ecclesia Romana cum Summus Pontifex solemniter celebraturus procedit, duo flabella ex pennis pavonum compacta hinc inde portantur, sed nullus eorum intra Missam usus est. Modo de singulis Ecclesiae Latinae sacris utensilibus seorsim agendum est.

§ 1. — *De ornamentis sacerdotalibus.*

684. Jam diximus (*n. 654*) ornamenta sacerdotalia et nominatim vestes sacras habere originem mere ecclesiasticam, sicuti cetera sacra utensilia, excepto calice; solum eruditi inquirunt utrum Apostoli pro Missae celebratione usi sint veste quotidiana ad exemplum Christi D. in ultima coena, an distinctam habuerint, licet formae et coloris recepti apud omnes. Evidens est reverentiam erga tantum sacrificium exigere, ut, si fieri potest, sacerdos Missam celebrans non eamdem adhibeat vestem qua utitur domi degens, aut per vias et compita deambulans. Ad rem S. Hieronymus in *caput XLIV* Ezechielis: « Habet religio divina alterum habitum in ministerio altaris, alterum usu vitaque communi ». Facile admittimus Apostolos id servasse, quoties magna paupertas et continua peregrinandi necessitas eis permitterent vestem sacrificio Missae reservare. Nonnulli indicium desumunt ex *2ª ad Tim., IV, 13*: *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, ve-*

niens affer tecum et libros, maxime autem membranas. Sed minime probatur nomine penulae venire vestem et multo minus vestem reservatam sacrificio Missae (1). In genere vestes sacrae quibus hodie clerici utuntur in sacrosancto Missae sacrificio aliisque sacris functionibus, ab initio fuerunt forma et colore communes tum clericis tum laicis: tractu temporis usus vulgaris harum vestium cessavit, sed Ecclesia illas retinuit pro sacris ministeriis ob rationem superius verbis Concilii Tridentini indicatam (*n. 55*), licet postea plures gravesque successivae modificationes factae sint. Sed haec ex dicendis pro singulis vestibus melius patebunt.

685. Ornamenta sacerdotalia adhibenda circa sanctissimam Eucharistiam sunt sequentia: *Amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, planeta, cappa, dalmatica et tunicella, velum humerale, caligae cum sandaliis seu calceis, gremiale, pallium, crux pectoralis, chirothecae, mitra, annulus baculusque pastoralis, birretum, superpelliceum.* Ex his vestes sacrae quae requiruntur omnino in Missae celebratione ita ut nec necessitatis casus ab eisdem excuset, appellantur *majores*; reliquae *minores* (2).

686. 1° Ad amictum quod attinet, *amictus* a verbo *amicire* quod operire significat, ante saeculum VIII in usu non fuit (3). Laici enim et clerici ad eam usque aetatem nudum collum habuerunt: quod cum indecorum videretur praesertim in eucharistica oblatione, ideo amictus inductus fuit ad collum operiendum, duobus funiculis ad corpus sacerdotis hodie alligatus, antiquitus fibula ante pectus. In antiquis Ordinibus et Missalibus appellatur etiam *anaboladium, anabolagium, humeralis, superhumeralis.* Olim etiam Graeci habuerunt amictum, sed deinde Ecclesia Graeca hanc vestem dereliquit. Sacerdotes ab initio amictum ponebant super albam, sicut et hodie Maronitae et Ambro-

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXI, n. 6.*

(2) De Albertis, *op. cit., cap. III, n. 112 sequ.* Nos non loquimur de indumentis propriis unius Romani Pontificis, nempe de *falda*, de *fanone* seu *orali*, de *subcingulo* seu *subcinctorio*, de *tiara*.

(3) Lebrun, *Explication littérale, historique et dogmatique des cérémonies de la Messe, tom. I, p. 42*; De Albertis, *op. cit., cap. II, n. 11.*

siani, imo aliquando etiam super planetam, et tunc saepe amictus auro vel gemmis ornabatur. Praeterea antiquitus sacerdos, ad altare accedens, cum non haberet birretum, amictu caput obnubebat, et Missam incipiens illum, sicuti adhuc religiosi Ordinum Mendicantium, in humeros rejiciebat. In ordinatione subdiaconi etiam nunc episcopus amictu caput ordinandi cooperit, qui illum deinde sibi ad humeros rejicit. Quo tempore consuetudo obsoleverit ut sacerdos amictu caput obnuberet accedens ad altare et mos sit introductus ut potius amictum collo circumponeret, prouti hodie receptum est, nos latet. Non est prohibitum parvis fimbriis ornare extremitates amictus ; et *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. IX*, exigit parvam crucem quam deosculatur sacerdos amictum assumens. Sacerdos igitur, amictum considerans uti galeam ad praelianda praelia Domini, dum illum assumit, orat : *Impone, Domine*, etc. (1).

687. Amictus debet esse albus ; et ad materiam quod attinet, debet esse (sicuti alba, corporale, purificatorium, palla, mappa altaris) ex lino vel ex cannabe. Id antiquitas constanter retinuit ; et S. Gregorius M. in Ezechielem, *lib. I, hom. XI*, ait : « Grossiora quippe vestimenta sunt lanea ; sed cum sacerdos ad sacrum ministerium accedit, idest cum intus per compunctionem ingreditur subtiliori intellectu, necesse est quod ipse quasi lineo vestimento vestiatur ». S. R. C. pluries prohibuit has vestes ex gossipio (italice *mussolo*, gallice *mousseline*) aut ex lino et gossipio confectas. Ita in *Pisauren.*, *15 Mart. 1664* (n. 2267), proposito dubio : « An amictus, albae et tobaleae altarium, necnon pallae et corporalia confici possint ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, quem vocant *mussolo* » ; S. C. reposuit : « Lectum ». Cum vero nihilominus haec praxis in pluribus ecclesiis retineretur, eadem S. C. die *19 Martii 1819* (n. 4563), sequens tulit generale decretum a Pio VII probatum : « Quamvis S. R. C. sub die *15 Martii 1664* reprobaverit morem qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi amictus, albas, tobaleas alta-

1) In antiqua lege erat *ephod* ; quod tamen a nostro amictu longe distabat. Lebrun, *l. c., p. 39.*

rium, necnon corporalia et pallas ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit abusus ut in ecclesiis non alia adhibeantur supellectilia vel ad sacrificandum vel ad altarium usum nisi ex simplici gossipio confecta. Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam studia converterunt Emi et Rmi DD. Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi. Solliciti ideirco ut quod usque ab Ecclesiae primordiis quoad sacra indumenta et supellectilia ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur, et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt ab antiquo more sub quolibet praetextu, colore ac titulo non esse recedendum, et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex lino aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem aemulante et aequante. Aliqua tamen indulgentia utentes, permiserunt ut amictus, albae, tobaleae, mappulae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea possint, usque dum consumentur ; sed cum hujusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, praeceperunt. Districte vero jusserunt ut corporalia, pallae ac purificatoria, post lapsum unius mensis a praesentis decreti publicatione, linea omnino sint, vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu quae ex gossipio supererunt... ». Hoc decretum S. C. confirmavit in *Asculana in Piceno, 17 Dec. 1875* (n. 5649 ; et in *Goana, 23 Julii 1878, ad 1um* (n. 5727). Simili decreto in *Placentina in Hispania, 13 Aug. 1895*, prohibuit has vestes ex tela quae in Hispania appellatur *nipis* seu *nipa*. Nam ad dubia : « Utrum ex tela sive panno, vulgo *nipis*, possint confici corporalia, pallae, aut saltem amictus et mappae ; 2° Quatenus negative ad primum : Utrum uti liceat iis jam confectis » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Negative ad utramque partem. Ad 2um : Affirmative tantum quoad albas, amictus et mappas, usque dum consumentur ». Etiam funiculi et fimbriae sint ejusdem materiae et coloris, sed quoad funiculos non videtur absolute neces-

sarium. Sunt qui amictui ex holoserico vel aurea textura plagulam assuunt colori et opificio casulae sive stolae consimilem ; sed Card. Bona, *l. c.*, *cap. XXIV, n. 3*, ait se hujus assumenti nullum vestigium reperire apud antiquos scriptores.

688. 2° Longe antiquior est origo *albae*. « A Rome, ait Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *cap. XI*, au cinquième siècle, le costume de ville des personnages officiels se composait essentiellement d'un vêtement de dessous, tunique avec ou sans manches, et de la *penula*, immense pardessus sans ouvertures sur le devant et sans manches : on passait la tête par une ouverture ménagée au milieu du vêtement et on le relevait sur les bras quand on voulait se servir de ses mains ». Igitur etiam clerici has vestes adhibebant sive sacras functiones peragentes sive in vita ordinaria. Jam vero alba quam assumunt episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus in sacris functionibus, est praecise antiqua vestis inferior quae, brevi derelicta in vita ordinaria, reservata fuit sacris ministeriis. In antiquis libris liturgicis appellatur etiam *tunica*, *linea*, *camisia*, *camisium*, *camisile*, et cingulum appellatur *zona* vel *baltheum*. Clerici inferiores albam mutaverunt in superpelliceum, quod est veluti parva alba (1). Etiam in Oriente episcopus, presbyter, diaconus albam, quam appellant *poderem*, deferunt in sacris functionibus, sed alba diaconi renibus non est alligata, sicuti in antiqua liturgia Gallicana (2).

689. Alba debet esse coloris albi, ut ipsum nomen indicat, ex lino vel ex cannabe (*n. 687*). In *Lauden.*, *23 Junii 1892*, ad dubium : « 2° Albae veteres ex gossipio acu pictae permitti possunt donec consumantur » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Pro gratia donec consumantur ». Minime prohibentur albae habentes manicas, pectus, humeros, lacinias phrygio opere (*merletto*, *dentelle*) variatas ; imo in *Goana*, *16 Junii 1893*, ad dubium : « 12° Utrum canonicis Missam celebrantibus solemnio-

(1) Apud Fratres Praedicatores acolythus in sacris functionibus adhuc defert albam loco superpellicei. Ex eadem veste inferiori procedit quoque per varias transformationes *rochetum* canonicorum.

(2) Duchesne, *l. c.*

ribus diebus cum vel sine assistentia episcopi, liceat uti alba ornata fimbriis seu reticulo a cingulo deorsum »; S. R. C. reposuit: « Ad 12um : Tolerari posse ». Haec, inquam, minime prohibentur, dummodo ejusmodi ornamenta quae in extremitatibus albae locum tenent, sint ex lino aut cannabe et albi coloris. Sub manicis et laciniis, phrygio opere variatis, licet ponere fundum nigrum, qui imitatur nigram vestem talarem. In *Ordinis S. Joannis de Deo, 17 Aug. 1833* (n. 4718), ad dubium: « 5° An liceat ubique terrarum in fimbriis et manicis albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum rubrum mittere, vel an sit privilegium peculiare Italiae, Hispaniae, etc. »; S. R. C. reposuit: « Ad 5um : Negative ». Hanc responsionem deinde confirmavit in *Syren., 5 Dec. 1868* (n. 5419), ubi ad dubium: « 6° An liceat in fimbriis et manicis albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum coloratum et praesertim rubrum mittere; et in tobaleis altarium, in albis et in superpelliceis tolerari possint vela transparentia quae repraesentent cruces, ostensoria, calices cum hostia, figuras Angelorum et alia similia sacra objecta »; S. C. reposuit: « Ad 6um : Quoad primam dubii partem, detur decretum diei *17 Aug. 1833* in una *Ordinis S. Joannis de Deo*; quoad secundam posse permitti ». Alba, habens manicas et fimbrias cum supposito fundo rubro, adhiberi potest a S. R. E. Cardinali, si defert in celebrando vestem talarem rubram; et fortasse etiam si de facto in celebrando vestem talarem rubram non habet, quia hoc in casu fundus ruber imitatur vestem talarem rubram, quam celebrans defert aut deferre potest. Haec repetantur de fundo violaceo quoad illas personas quae vestem talarem violaceam deferendi jus habent. Expedit ut etiam vittae sint ex lino vel cannabe et coloris albi; sed putamus id non esse absolute necessarium; quod et praxis confirmat. Albedo vestis de qua agimus significat puritatem cordis, quam sacerdos Missam celebraturus praeseferre debet: unde albam assumens, orat: *Dealba me*, etc.

Quinam albas deferre nequeant, vide *n. 705*.

690. 3° *Cingulum* eamdem originem habet ac alba;

nam antiqua vestis inferior (*n. 688*) saepius erat ad renes cingulo alligata, ne nimis diffluens gressum impediret. Potest et solet esse coloris albi, sicuti alba ad quam refertur; sed potest esse etiam coloris paramentorum, idest manipuli, stolae, planetae. Revera in *Bracharen., 8 Jun. 1709* (n. 3809), proposito dubio: « 4° An cingulum, tertium indumentum sacerdotale, possit esse coloris paramentorum, an necessario debeat esse album »; S. R. C. reposuit: « Ad 4um: Posse uti cingulo coloris paramentorum ». Item congruentius est ut sit ex lino, vel cannabe, sicut alba; sed cingulum sericum aut laneum non prohibetur. Hinc in *Congregationis Montis Coronae, 22 Jan. 1701* n. 3575), ad dubium: « 7° An sacerdotes in sacrificio Missae uti possint cingulo serico »; S. R. C. reposuit: « Ad 7um: Congruentius uti cingulo lineo ». Et in *Ordinis Carthusianorum, 23 Dec. 1862* (n. 5326), proposito dubio: « Quum in quibusdam ecclesiis, in Gallia praesertim, inter sacerdotalia paramenta pro Missa celebranda cingula lanea adhibeantur, Procurator Generalis Ordinis Carthusianorum a S. Sede declarari petiit utrum cingula ex lana adhiberi licite valeant in celebratione sacrosancti Missae sacrificii »; eadem S. C. reposuit: « Nihil obstare quominus cingula in precibus enunciata adhiberi possint ». Extrema cinguli absolvi solent (sed necesse non est) globulis et filamentorum manipulis appensis ejusdem materiae et coloris. Meratus, *ad Gavantum, tom. I. p. V, pag. 504*, reprobat cingulum in quo hinc inde pendent globuli e latere sacerdotis cum vittis quibus re ipsa cingitur alba; « est enim, ait, ejusdem omnino formae cum succinctorio papali, quod adhibetur, addito manipulo, ad cingendam albam Papae et nonnisi in ejusdem Missa papali: ergo non debet esse communis haec forma cuicumque celebranti » (1). Cingulum significat continentiam, et ideo sacerdos, dum eodem renes ligat, orat: ***Praecinge me, Domine***, etc.

691. 4° *Manipulus* quem assumunt in sacris functionibus episcopus, presbyter, diaconus et subdiaconus, in vetustis li-

(1 Vide etiam De Albertis, *op. cit., cap. V, n. 114*; Card. Bona, *l. c., cap. XXIV, n. 15.*

bris liturgicis appellatur etiam *mappula*, *pallium linostimum*, *sudarium*, *cingulum brachiale*, *fanon* vel *pianetum*, *mantile*, *mappa parva*, *linteum*, etc.(1). Vestis enim, ex lana et lino confecta, super brachium sinistrum hinc inde pendens, primitus ad pituitam oculorum, narium et oris detergendam *mouchoir*, *serviette*, postea ad ornamentum deferebatur a laicis in solemnioribus circumstantiis, e. g., a consule ludos circenses inaugurante, et subinde a clericis majoribus in sacris functionibus; et haec vestis, tractu temporis ornata et modificata ita ut ad primitivum usum inservire amplius non possit, est manipulus. In musaicis et picturis antecedentibus saeculum XI et clericos sacris vestibus indutos referentibus, hoc insigne non conspicitur, licet jamdiu in usu esset, quia nempe manipulus nondum inter liturgicas vestes receptus erat. « La *mappula*, ait Duchesne, *l. c.*, comme insigne liturgique, ne se rencontre pas en dehors de Rome; mais en Orient et dans les pays gallicans on portait des manches (*manualia*, *manicae*, *χειρίδια*) ou étoffe précieuse qui recouvrait la tunique aux extrémités des bras ». In manipulo debent esse tres cruces, una in qualibet parte anteriori et una in medio, quam dum assumit minister illud assumens et deponens. Merati, *p. II, tit. I, n. 27*, ait: « Certum est apud omnes firmam hanc esse manipulum aciculis aut chordulis ne decidat e brachio sacerdotis ». Manipulus significat compunctionem cordis quam sacerdos celebraturus habere debet; unde illum assumens, precatur: *Merear, Domine*, etc.

692. Manipulus debet esse, sicuti stola, planeta, dalmatica vel tunicella, pluviale, bursa, velum calicis ex tela serica. Olim usque ad saeculum XIII haec sacra indumenta fuere ex lino et lana; deinde ex serico tunc temporis introducto confici ceperunt et haec materia postea ex consuetudine praescripta fuit. Attamen S. R. C. in *Gnesnen. et Posnanien., 23 Martii 1882* (n. 5838, consulta), an attenta ecclesiarum paupertate liceat pro ornamentis sacris praeparandis illud adhibere panni genus, quod ex parte externa

(1) Merati ad Gavantum, *part. I, tit. I, p. 130*; Card. Bona, *l. c.*, *n. 5*.

et oculis intuentium apparente ex filo serico integre contegitur, habet tamen operis textilis fulcimentum in gossypio, lana vel in lino » ; reposuit : « Attenta ecclesiarum pauperate, panni genus de quo in casu pro sacris ornamentis tolerari posse ». Praeterea in *Ceneten.*, *15 April. 1893*, rescripsit tessutum quoddam ex serico et mori fibris pro sacris paramentis efficiendis « posse adhiberi, dummodo textum de quo agitur numquam adjecta materia immutetur ». Tandem tela aurea vel argentea permittitur ratione pretiositatis, ut patet ex responsione S. R. C. in *Papien.*, *20 Nov. 1885*, quam infra *n. 694* citamus. Sed prohibetur textura vitrea mixta auro et argento. Nam in *Atrebaten.*, *11 Sept. 1847* (n. 5099), expositum fuit : « Paucis abhinc annis mos invaluit in Gallia telas sericas vitreas texendi, quibus vestes ecclesiasticae sacrificio Missae aliisque divinis officiis inservientes conficiuntur. Earum textura ex gossipio aut simili materia solida componitur, cui superius posita sunt filamenta serica et vitrea, quae aurea certe dici valerent, si ex vitro lux auro simillima produci posset : vitrum enim in filamenta subtilissima redactum inseritur filis sericis eodem ferme pacto quo filamenta aurea vel argentea inseruntur telis aureis vel argenteis nuncupatis, vel etiam ad modum operis phrygii disponuntur super telam eadem filamenta. Quum autem haec facili negotio in minutissimas partes frangi possint et delabi in calicem cum probabili periculo valetudinis illius sacerdotis qui has partes cum Jesu Christi sanguine deglutiat. Emus et Rmus Dominus Cardinalis Hugo Robertus de la Tour d'Auvergne Lauraguais episcopus Atrebatensis S. R. C. humillime sequens proposuit dubium enodandum, videlicet : an licitum sit ad celebrandam Missam ornamentis uti quorum textura vitrea est mixta auro vel argento ». S. R. C. reposuit : « In voto magistri caeremoniarum, seu negative ad propositum dubium, propterea que praedictis ornamentis uti non licet ». Pariter prohibetur tela gossipii, aut lini, aut lanae. Hac de re est in primis responsio S. R. C. in *Ordinis Minorum de Observantia*, *23 Maii 1835* (n. 4750), ubi proposito dubio : « An in decreto generali s. m. Pii Papae VII quo interdicitur usus

sacrarum supellectilium sacrificio Missae deservientium ex gossipio confectarum comprehendantur etiam casulae ex eodem gossipio contextae »; S. C. reposuit: « Non comprehendi ». At si juxta hanc declarationem citatum generale decretum *n. 687* casulas, manipulos et stolas non comprehendit, non ideo sequitur telam gossipii in hisce sacris paramentis permissam esse. Nam in *Mutinen., 22 Sept. 1837* (n. 4814), proposito dubio: « VIII... 3°: Num planetae, stolae et manipuli possint confici ex tela linea vel gossipio, vulgo *percallo*, coloribus praescriptis tincta aut depicta »: S. R. C. reposuit: « Ad VIII... Quoad 3um: Servetur rubricae et usus omnium Ecclesiarum quae hujusmodi casulas non admittunt ». Tandem eadem S. C. die *28 Julii 1881* sequens tulit generale monitum: « Etsi S. C. R. saepe illicitum declaraverit usum casularum aliorumque similium sacrorum paramentorum ex tela gossipii, aut lini, aut etiam lanae confectorum, attamen a nonnullis fabricatoribus harum telarum paramenta hujusmodi ita venumdantur quasi ab ipsa S. C. nunc eadem permissa fuerint. Ad omnimodam igitur tollendam in re tam gravi falsam opinionem, monentur Rmi Ordinarii dioecesum decreta jam emanata quoad hanc rem ab eadem S. C. in sua plena permanere vi ac robore neque ullam existere nuperrimam dispositionem quae aliquo modo eadem modificaverit »[1]. Item prohibetur materia non textilis *tapisserie, tricot*, cum rubricae et decreta seu responsa S. R. C. semper de materia *texta* loquantur. Tandem prohibetur tela ex falso auro aut argento idest ex aluminio *cuivre* aureo vel albo. Quod si agatur non de ipsismet planeta, stola, manipulo, sed de eorum accessoriis *galons, broderies, medaillons, croix*, videntur haec confici posse etiam ex gossipio, lino, lana, ex materia non textili, vel tela mixta falso auro vel argento, cum nullibi id inveniatur prohibitum et usus receptus id

(1 *Acta S. Sedis, vol. XIV, pag. 144.* Hoc monitum non legitur in collectione Gardelliniana qua utimur. In *Senen., 18 Dec. 1877, ad 5um* (n. 5715), S. C. rursus declaravit usum Ecclesiarum laneas casulas non admittere; quod decretum confirmavit in *Lauden., 23 Junii 1892, ad 4um*.

ferat. Ceterum dummodo haec paramenta serica sint aut auro vel argento contexta, non prohibetur eadem ornare frondibus floribusque pictis acu vel penicilli ope, ut declaravit eadem S. C. in *Cuneen.*, *2 Jun. 1883, ad 15um* (n. 5874), et in *Brunen.*, *30 Mart. 1885* (n. 5933).

693. Pro manipulo aliisque ornamentis supra enumeratis, rubricae quinque principales colores commemorant, nempe album, rubrum, viridem, violaceum, nigrum. Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. I, cap. VIII, n. 16 sequ.*, originem historicam explicans horum colorum, docet, pluribus allatis testimoniis, initio saeculi IV non alias vestes quam coloris albi adhibitas fuisse (1); deinde vero hos quinque colores paulatim esse introductos, ita ut inde a saeculo XIII ubique locorum recepti essent. Ex *Caeremoniali episcoporum, lib. II, cap. XIII,* color rosaceus permittitur tantum in tertia dominica adventus et in ejus defectu violaceus. Color flavus prohibetur. Ita in *Marsorum, 12 Nov. 1831* (4669), proposito dubio : « 54° Potestne continuari usus illarum ecclesiarum quae pro colore tam albo, quam rubro, viridi et violaceo utuntur paramentis vel flavi coloris vel mixtis diversi coloris floribus; praesertim si colores a rubrica praescripti in floribus reperiantur. In rubrica Missalis Fratrum Ordinis Praedicatorum *n. 6*. legitur : *In diebus vero illis solemnibus... uti possumus pretiosioribus paramentis cujuscumque sint coloris, dummodo non sint nigri* » ; S. C. reposuit : « Ad 54um : Servetur strictim rubrica quoad colorem paramentorum ». Imo cum in *Marsorum, 7 Aprilis 1832* (n. 4684 , episcopus petiisset ut, attenta ecclesiarum paupertate, casulae ex variis coloribus assutae vel flavi tantum coloris tolerari possent, donec consumerentur, S. C. stetit in decisis. Vide etiam *Veronen., 16 Mart. 1833. ad 4um* (n. 4707) ; *Mutinen., 22 Sept. 1837, ad 8um* (n. 4815) : *Adrien., 29 Martii 1851, ad 5um* (n. 5152); *Syren., 5 Dec. 1858 ad 5um* (n. 5419), etc. Pariter vetatur color caeruleus. Hinc in *Congregationis Oblatorum B. M. V., 23 Febr. 1839* (n.

(1) Laicorum autem penula quae evasit planeta clericalis (*n. 688*) erat subobscuri vel violacei coloris.

4847), ad dubium : « 2° An usus coloris caerulei in sacris paramentis permitti possit pro colore albo, uti fieri assolet in Missis B. M. V., vel potius violaceo » ; S. C. reposuit : «Ad 2um : Negative in omnibus et usum caerulei coloris, veluti abusum, eliminandum ». Nihilominus nonnullis dioecesibus et ecclesiis Sedes Apostolica permisit caeruleum colorem in Missa Immaculatae Conceptionis B. M. V. ; quo in casu privilegio stricte standum est, et vide *Palentin.*, *12 Febr. 1881* (n. 5906). Item prohibentur paramenta multicoloria, in quibus scilicet unus color non praevalet ; quod ex relatis responsionibus satis apparet. At ex responsione in *Vicen.*, *19 Dec. 1829* (n. 4655), episcopus haec multicoloria paramenta permittere potest in ecclesiis pauperibus, donec consumantur. Quod si unus color dominetur in paramento, vestis reputanda est coloris dominantis et ut talis adhibenda, e. g., planeta quae habet fundum album, habetur uti alba. In praxi passim receptum est, praesertim in Galliis, ut idem manipulus, eadem stola, eadem planeta ex una parte habeat unum colorem, ex adversa alium. De Albertis, *op. cit.*, *cap. IV*, *n. 141*, citans Corsettum et Barufaldum, tradit haec paramenta esse contra rubricas. Id clarum non est, et contrarium colligitur ex responsione S. R. C. in *Tarnovien.*, *26 Mart. 1859* (n. 5285), ubi ad dubium : « 7° Utrum in administrando sacramento Baptismi licite sacerdos uti possit stola bicolori ea una parte violacea et ex altera alba, juxta opportunitatem ex ea parte invertenda quem colorem praeferat a Rituali praescriptum » ; S. C. reposuit : « Ad 7um : Affirmative ». Proinde putamus haec paramenta posse retineri, donec S. R. C. aliud edixerit.

694. Porro unus aliusve color in celebratione Missarum adhiberi debet juxta praescriptum Rubricarum. Hinc Rubrica Missalis, *Rubricae Generales Missalis*, *tit. XVIII*, *n. 1* : « Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum debent esse coloris convenientis officio et Missae dici secundum usum Romanae Ecclesiae » ; et deinde rubrica determinat quandonam unus aliusve color adhiberi debeat. Sed haec obligatio levis est, remoto scandalo, ita ut ab omni peccato excuset rationabilis causa et satius sit sacrum facere in colore inde-

bito quam illud omittere (1). Paramenta aurea inserviunt pro colore albo et rubro; paramenta ex tela argentea pro colore albo. Licet enim S. R. C. in *Syren., 5 Dec. 1858, ad 5*um (n. 5419), admiserit paramenta ex auro contexta non solum pro colore albo et rubro, sed etiam pro colore viridi (excluso nigro et violaceo) et in *De Guadalaxara, 20 Apr. 1866* (n. 5363), reposuerit tolerandam esse hanc consuetudinem, tamen in *Papien., 20 Nov. 1885* (n. 5953), declaravit paramenta ex auro confecta non posse inservire nisi pro colore albo et rubro. Nam propositis dubiis : « 2° In dictis paramentis tela aurea admitti potest pro coloribus tum albi tum rubri, vel distinctus color pro distinctis solemnitatibus respective adhibendus est; 3° Quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam, potestne permitti tela argentea pro paramentis albi coloris » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Potest tolerari tela aurea pro coloribus albo et rubro tantum ratione pretiositatis. Ad 3um : Affirmative ».

695. Quod attinet ad Ecclesiam Graecam, Goar, *Rituale Graecorum, pag. 113*, haec habet : « Obvios autem quosque quamvis sine delectu plerumque videantur Graeci assumere (colores), candidus tamen et rubeus, propter Canticorum verbum, illis in pretio videntur esse, et candido quidem passim per totum annum, rubro vero quadragesimae tempore utuntur ». Idem dicatur de aliis Orientalibus Ecclesiis.

696. 5° *Stola* clericalis quae in antiquis codicibus liturgicis *orarium* appellari solet, juxta nonnullos ab initio fuit linteum circa collum positum ad abstergendum sudorem (2). Potius videtur semper fuisse insigne seu distinctivum dignitatis inde a saeculo IV concessum episcopis, presbyteris, diaconis, et ab eisdem continuo deferendum (3), sicuti hodie a

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 378*, in fine.

(2) Lebrun, *l. c.* Vocem *stola* apud profanos sacrosque scriptores significare muliebrem vestem ad talos usque dimissam, et etiam quodcumque vestimenti genus, vide apud Card. Bona, *l. c., n. 6*.

(3) In *Capitularibus Caroli Magni et Ludovici Pii, cap. 81*, statuitur : « Presbyteri sine intermissione utantur orario propter differentiam sacerdotii dignitatis ». Et in concilio Moguntino (an. 847 *can. 28* : « Ut presbyteri stolam deferant sine intermissione ». Et Roterius Veronensis epis-

Romano Pontifice continuo defertur, donec tandem evasit vestis stricte liturgica. Romae autem hoc insigne receptum non fuit ante saeculum X, et etiam postquam receptum fuit, cum simile esset archiepiscoporum pallio, a Romanis Pontificibus pallium deferentibus non assumebatur, ne duplex simile insigne deferre viderentur. Est etiam antiquissimus mos quo diaconi stolam deferunt ab humero sinistro ad latus dexterum fluentem, episcopi vero et presbyteri hinc inde e collo pendentem, aut si alba cum cingulo adhibetur, e collo ante pectus ductam ad modum crucis. At stola latior qua utuntur diaconi in Missis solemnibus tempore adventus, quadragesimae aliisque jejuniorum diebus, recentioris est institutionis, et in Ecclesia Romana saeculo XV nondum receptam fuisse docet De Albertis, *op. cit.*, *cap. II*, *n. 25*. Etiam in stola tres cruces sunt, una in qualibet parte exteriori pendente, et una in medio, quam deosculatur minister stolam assumens et deponens, quaeque sola necessaria est. In *Venetiarum*, *25 Sept. 1852* (n. 5180), ad dubium : « 7° Utrum stola latior qua utitur diaconus, dum tempore adventus et quadragesimae deponit planetam plicatam, debeat habere intextas tres cruces, sicuti habentur in stola communi » ; S. R. C. reposuit : « Ad 7um : Negative ». In extremitatibus stola habet lacinias seu fimbrias ; stolae sacerdotali nil appenditur, diaconali ab utraque media ejus parte duo funiculi cum flocculis laciniatis ad illius recte connectendae usum. Porro stola sacerdotalis significat innocentiam quam sacerdos debet sacrificio eucharistico, et ideo dum illam assumit, orat : *Redde mihi, Domine*, etc.

697. Ex dictis facile apparet quam absona sit nonnullorum opinio qui censent stolam esse signum jurisdictionis. Nam, inspecta ejus origine, est insigne dignitatis episcopa-

copus *epist. synod.*, *tom. II, Spicileg.* : « Ut nullus sacerdos sine stola in itinere incedat ». Diaconi autem primo solum anno stolam continuo deferebant, ut docet Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif.*, *lib. I*, *cap. VIII*, *n. 8*. De Albertis, *op. cit.*, *cap. VII*, *n. 109*, hanc opinionem appellat imbecillem, et putat canones, dum praecipiunt stolam seu orarium semper deferre, nomine stolae vel orarii intelligere talarem vestem. Doctus auctor audiendus non est.

lis, presbyteralis, diaconalis, tractu temporis inter vestes liturgicas receptum ; et nullibi legitur quod delatio stolae habeatur etiam ut signum jurisdictionis (1).

698. Hinc stola deferri non potest nisi in confectione et administratione sacramentorum et in sacramentalibus juxta Rubricarum et Ritualis dispositiones, et in concionando, si adest immemorialis consuetudo. Praetermittendo anteriores declarationes, S. R. C. jam tulerat *Decretum generale, 7 Sept. 1816* (n. 4524) : « Stolam non esse adhibendam praeterquam in collatione et confectione sacramentorum ideoque consuetudinem in contrarium (eam deferendi in canendis divinis officiis) esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum ». Hoc decretum eadem S. C. confirmavit in *Oritan., 14 Junii 1845* (n. 5027), et in *Maurianen., 9 Maii 1857* (n. 5237). Postea in *Tlascalen., 26 Sept. 1868* (n. 5412), interrogata quibus in casibus a sacerdotibus sit adhibenda stola, reposuit : « Stolam a sacerdote adhibendam esse cum conficit aut administrat sacramenta, aut officium aliquod facit quo stola adhibenda sit, aut etiam cum concionatur, si in eo loco adest immemorabilis consuetudo ». Tandem cum ex relato generali decreto et responsione in *Maurianen.*, nonnulli putarent stolam adhiberi non posse « in exponendo et reponendo SSmo Sacramento, vel eodem transferendo de uno in aliud altare, ac in elargienda cum ipso benedictione, in commendatione decedentis animae, in exequiis mortuorum, in exorcismis, in facienda aqua benedicta, in benedictionibus mulieris post partum, domorum in sabbato sancto, sacerdotalium indumentorum, novae ecclesiae vel oratorii, novi coemeterii, in processionibus quibuscumque atque in ceteris benedictionibus in Rituali et in Pontificali Romano contentis, ac in aliis similiter et praesertim in concionibus, in quibus stolae usus ab immemorabili consuetudine adhibetur » ; eadem S. C. reposuit in *Burgi S. Domnini, 11 Mart. 1871* (n. 5472) : « Ad 2um : Negative, seu juxta Rituale ac Pontificale Romanum stola adhibenda est in conficiendis et admi-

(1) Gardellini, in nota ad responsionem S.R.C. in *Tudertina, 22 Aug. 1818* (n. 4550).

nistrandis sacramentis atque etiam in administratione praedictorum sacramentalium, et etiam in concionibus, si adsit immemorialis consuetudo ». In processionibus autem solus sacerdos processioni praesidens, stolam defert, non alii sacerdotes ; hoc privilegium habent tantum parochi Urbis et nonnullarum aliarum civitatum, dum collegialiter processioni intersunt. In *Vicentina*, *20 Maii 1892*, propositis dubiis : « 1° An liceat superiori regulari ecclesiae in monte Berico excipere ad ostium processiones, indutus superpelliceo et stola ; 2° An liceat parochis qui dictis processionibus intersunt, ecclesiam B. M. V. ad montem Bericum ingredi cum stola » ; eadem S. C. reposuit : « Expositam consuetudinem servari posse ». Ex responso in *Calagur. et Calceaten.*, *23 Sept. 1820* (n. 4572), apparet sacerdotem domi privatim in casu necessitatis baptizantem stola uti non posse. In *Lincien.*, *2 Junii 1892*, ad dubium : « 13° An stola concionatoris (quae in his regionibus semper est in usu) pro sermonibus festivis de S. Joseph et Annuntiatione B. M. V., quando haec festa occurrunt in hebdommada majori, debeat esse coloris albi vel violacei ? Et an die *2 Novembris* (vel dominica sequenti) ad sermonem pro defunctis liceat adhibere stolam nigri coloris » ; S. R. C. reposuit : « Ad 13 ^{um} : Stola concionatoris sit coloris officio diei respondentis, etiam die secunda Novembris ». Tandem in *Lauden.*, *23 Junii 1892*, ad dubium : « 8° Fasne est parochis stolam induere super rocchettum aut superpelliceum sed mantelletta contectum, quoties sacramenta administrat » ; eadem S. C. reposuit : « Ad 8um : Negative ».

De materia et colore stolae vide *n. 692 sequ.*

699. 6° *Planeta* quam deferunt episcopus et presbyter celebrantes et aliquando, plicatam tamen, etiam diaconus et subdiaconus ministrantes, est antiqua *penula*, de qua *n. 688*. In antiquis libris liturgicis dicitur etiam *casula* vel *amphibolaum* et graece *phelonion*, ac *planeta* ; de quorum nominum etymologica significatione disputant eruditi. Igitur antiquitus planeta, ad instar penulae communis, a collo ad pedes sacerdotem tegebat et brachia manusque involvebat, ita ut sacerdos, ut manibus uti posset, deberet eam

utrinque sustollere aut fibula colligare. Hinc sacerdos post primas preces ante altaris ascensum, manipulum sumebat, sicut hodie episcopus, quia tunc super brachia sacerdotis sustollebatur planeta ; hinc etiam minister in elevatione planetam sublevabat, ne sacerdoti genua flectenti impedimento esset, quod in aliquibus locis adhuc servatur et in Missa solemni fit a diacono ; hinc tandem cum diaconus et subdiaconus, sacerdoti Missam solemnem celebranti ministrantes, planeta utebantur in cathedralibus et praecipuis ecclesiis, eamdem habebant et habent in anteriori parte plicatam (*n. 701*), ut essent in ministrando expeditiores. Sensim sine sensu decurtata fuit, praesertim in lateribus, ut brachia libera essent, et tandem ad actualem formam redacta ; sed forma planetae orientalis ad formam antiquae planetae seu penulae magis accedit (1). Planeta habere solet fasciam assutam vel distinctam in ipsam et planeta ita ut a tergo crucis aut simplicis columnae speciem effingat, ante pectus speciem crucis. Insuper subtus ante pectus addi debent duo funiculi quibus planeta circumligatur. Planeta significat jugum suave Domini quod sacerdos alacriter portare debet ; unde planetam assumens, orat : *Domine, qui dixisti*, etc.

700. De forma sacrarum vestium et nominatim de forma planetae in Ecclesia Graeca, vide Goar, *l. c., pag. 11 ;* formam in Ecclesia Latina omnes dignoscimus. Inter planetas, stolas, manipulos in Galliis et in aliis nationibus est aliqua differentia, sed levis momenti, et nil prohibet indumenta gallica etiam in aliis nationibus adhibere, et viceversa. Cum vero praxis formam indumentorum immutavisset, S. R. C. mense *Augusti 1863* ad episcopos Angliae, Galliae, Germaniae et Belgii sequentem dedit epistolam (2) :

« Quum renuntiantibus nonnullis Rmis Episcopis aliisque ecclesiasticis et laicis viris, S. Sedem non lateret quasdam in Anglia, Gallia, Germania et Belgio dioeceses immutavisse formam sacrarum vestium quae in celebratione sacrosancti Missae sacrificii adhibentur, easque ad stylum

(1) Benedictus XIV, *l. c., n. 10, sequ.*

(2) Haec epistola habetur in Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 862 ;* in collectione Gardelliniana qua utimur, non reperitur.

quem dicunt gothicum elegantiori quidem opere conformasse... S. C... super hujusmodi immutationibus accuratum examen instituere haud praetermisit.

« Ex hoc porro examine, quamvis eadem S. C. probe nosceret sacras illas vestes, stylum gothicum praeseferentes, praecipue saeculis XIII, XIV et XV obtinuisse, eaque tamen animadvertit Ecclesiam Romanam aliasque latini ritus per orbem Ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a saeculo XVI, nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini aetate, usque ad nostra haec tempora illarum reliquisse usum, proindeque, eadem perdurante disciplina, necnon S. Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit, uti pluries Summi Pontifices in suis edocuere constitutionibus, sapienter monentes istas, utpote probato Ecclesiae mori contrarias, saepe perturbationes producere posse et fidelium animos in admirationem inducere. Sed quoniam S. R. C. arbitratur alicujus ponderis esse posse rationes quae praesentem immutationem persuaserunt, hinc, audito SSmi D. N. Pii PP. IX oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Amplitudinem Tuam, ut, quatenus in tua dioecesi hujusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velis quae illis causam dederunt ».

Exinde sequitur hujusmodi immutationes in forma paramentorum in genere esse illicitas, sed posse cohonestari ex gravibus rationibus, quarum judicium pertinet ad Apostolicam Sedem.

De materia et colore planetae vide *n. 692 sequ.*

701. Jam diximus diaconum et subdiaconum, loco dalmaticae et tunicellae in cathedralibus et praecipuis ecclesiis, idest collegiatis, regularium insignioribus, et etiam parochialibus, ex responsione S. R. C. in *Calaguritana, 8 Martii 1631* (n. 902 (1)), deferre planetam plicatam in nonnullis diebus, quos Rubricae Generales Missalis, *XIX, n. 6*, indicant et ex eis Merati ad Gavantum, *p. IV, tit. I, n. 4*, qui explicat etiam originem hujus ritus (*n. 699*). In *Alexandrina, 6 Mai 1826* (n. 4620), proposito dubio :

(1) Merati, *Index decretorum, etc., n. 247.*

« 4° Num usus planetae plicatae, exclusa dalmatica, et viceversa, permitti possit, et quatenus negative, num qui eumdem usum induceret, apprime sciens illum esse Rubricis oppositum, aliquam poenam incurreret et quam » ; S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Quicumque ille sit qui crucem defert vel ministrat in Missa, canonicus aut inferioris ordinis sacerdos, uti debet dalmatica aut planeta plicata, prout exigit sacrae actionis qualitas. Hinc ad 1^am^ partem negative ; ad 2^am^ vero contra faciens plectendus poena arbitrio episcopi pro qualitate defectus ». In minoribus autem ecclesiis diaconus et subdiaconus ministrabunt iisdem diebus in albis, diaconus quidem cum stola et manipulo, subdiaconus cum manipulo, uti Rubricae, *l. c.*, *n. 7*, praescribunt.

702. Quaeritur num et quale peccatum sit Missam celebrare sine vestibus sacris, quas huc usque enumeravimus. Communis et certa sententia est mortale peccatum esse celebrare Missam sine ullis vestibus sacris. Solum quaestio est num id liceat ob metum mortis ; et negant Cajetanus, Suarez, S. Alphonsus, Tournely, etc., quia hoc magnam irreverentiam praesefert ; affirmant Vasquez, Azorius, Layman, Sylvius, etc., quia haec magna irreverentia non adest. Quaestio igitur est potius facti quam juris (1). Quid vero si una vel aliquae tantum fuerunt praetermissae ? Ex una parte certum videtur, si praetermissa fuit sola alba aut sola casula, et a fortiori si utraque, esse mortale, a quo nec gravis necessitas excusat, e. g., ne populus careat Missa, aut infirmus viatico (2). Unde alba et casula inter majores vestes recensendae sunt. Ex alia autem parte vix non certum est, si praetermittatur aut solus amictus, aut solum cingulum, esse leve, a quo excusat quaelibet rationabilis causa celebrandi, e. g., fervor devotionis, opportunitas eleemosynae sacerdoti non diviti, fideles qui Missam expectant, deficientibus his vestibus (3). Ratio est, quia eae ves-

(1) D'Annibale, *III*, § *401*, *not. 13*.

(2) S. Alphonsus, *VI*, *n. 377*, *389* ; De Albertis, *op. cit.*, *cap. III*, *n. 119* ; D'Annibale, *cit.* § *401* : « Nisi in gravissima necessitate et remoto scandalo ».

(3) S. Alphonsus, *l. c.* ; Gury, *II*, *n. 392* ; D'Annibale, *l. c.*

tes sunt secundariae et a fidelibus non videntur, et ideo omissio alterutrius nequit esse materia gravis ; imo, ni fallimur, nec omissio utriusque materia gravis est. Hinc hujusmodi vestes inter minores communiter amandantur. Tandem si praetermittatur manipulus aut stola, gravior quaestio est. Quod attinet ad solius manipuli praetermissionem, plures gravesque auctores censent hanc quoque esse materiam levem (1). De Lugo, *De sacram. Euchar.*, *disp. XX*, *n. 98*, probabilitatem hujus sententiae admittit, dicens : « Qui quoniam multi sunt, non audeo condemnare eum qui id faceret ». Nec S. Alphonsus, *l. c.*, eamdem negat, contrariam sententiam appellans *veriorem*. Proinde sacerdotem qui Missam celebraret sine manipulo de peccato mortali redarguere non deberemus ; et si gravem celebrandi causam habuit, probabiliter nullum peccatum commisit. Haec etiam omissioni solius stolae applicari posse videntur, licet stola praestantior manipulo sit ; saltem plures citati auctores eodem modo de utraque veste loquuntur (2). Multo facilius licebit in casu necessitatis adhibere stolam pro manipulo, aut manipulum pro stola, si sufficiens sit, quod et De Lugo, *l. c.*, concedit. Celebrare autem una simul sine stola et sine manipulo, putamus excusari non posse a mortali, nisi forte in casu gravissimae necessitatis, remoto scandalo.

703. 7° *Cappa* quae dicitur etiam *pluviale*, primitus erat vestis quae a pluvia defendebat in via, in processionibus, etc., unde *pluvialis* nomen, et ex posteriori parte erat caputium quo caput cooperiebatur. Tractu temporis cappa in meliorem formam redacta inter vestes sacras annumerata est, mutato caputio in ornamentum a tergo pendens. De pluviali seu cappa, tamquam veste sacra, mentionem habet S. Cyprianus, episcopus Tolonensis saec. VI, in vita S. Caesarii Arelatensis, apud Mabillonium, *Liturg. Gallican.*, *lib. I*, *cap. VII*, *n. 2*. Refert Saussajus, *Panopliae Sacerdot.*, *part. I*, *lib. VII*, *cap. V*, Gulielmum,

(1) Gury, *l. c.*, cum nota Ballerini ; De Albertis, *l. c.*, *n. 109*, aliique non pauci quos citat Diana, *De celebr. Missarum*, *res. LVII*.

(2) D'Annibale, *l. c.*, censet celebrare Missam sine stola aut sine manipulo esse grave, nisi in casu gravis necessitatis.

Anglorum Regem, S. Hugoni Abbati dono misisse cappam pene totam auream, in qua vix aliud quidquam, nisi aurum apparebat et margaritarum et gemmarum textura ; inferius autem undique tintinnabula aurea resonantia (1). Unde patet hanc vestem antiquam esse. Formam ubique terrarum eamdem habet cum differentiis parvi momenti. In parte anteriori a summo ad extremum hinc et inde auriphrygio decoratur, sicuti a parte posteriori circa caputium; ritu romano laciniae latiores esse solent circa caputium, breviores in aliis pluvialis partibus. Fibula anteriori connectitur pluviale, additis binis seu ternis uncinis majoribus ; nam *pectorale* seu *formale* est privilegium proprium episcopis, ut censuit S. R. C. in *Casalen.*, *15 Sept. 1753*, *ad 10um* (n. 4235) et quidem in propria dioecesi, et Cardinalibus ubique locorum. Pluviale, praeter episcopum et presbyterum juxta Rubricas, deferunt etiam cantores, praeterquam in Missa, non autem pueri et laici, etiam regulares, ut reposuit S. C. in *Cesenaten.*, *29 Mart. 1659*, *ad 6um* (n. 1972), et in *Hispalen.* relata *n. 705*.

De colore et materia pluvialis vide *n. 692 sequ.*

704. 8° *Dalmatica* episcoporum et diaconorum et *tunicella* subdiaconorum hanc habent originem. Duchesne, *Origines du culte chrétien, chap. XII*, 2°, tradit : « Outre ces deux vêtements essentiels et communs à tous les clercs (*linea* et *penula*), le Pape et ses diacres portaient, aux jours de fête, entre la tunique ordinaire (*linea*) et la planète, une seconde tunique à manches larges, appelée *dalmatique*. Cette combinaison des trois pièces de vêtement est bien antérieure au temps où se constitua le costume ecclésiastique. Le jour de son martyre (an. 258), S. Cyprien portait une tunique de lin, une dalmatique et un vêtement de dessus analogue à la *penula* ou planète. Dès la fin du cinquième siècle, la dalmatique, démodée sans doute comme vêtement commun, était devenue un insigne propre au Pape et à ses diacres. Le Pape l'accordait quelquefois comme une décoration honorifique à des évêques ou à des diacres d'autres

(1) De Albertis, *op. cit.*, *cap. V, n. 65* ; Card. Bona, *Rer. Liturg.*, *lib. I, cap. XXIV, n. 17*.

églises..... ». Tractu temporis omnes episcopi, et diaconi eadem uti coeperunt ; imo et subdiaconi, fortasse ob symetriam in altaris ministerio, similem prorsus vestem acceperunt, quae dicitur proprio nomine *tunicella* ; et episcopi in Missis pontificalibus utramque, nempe dalmaticam et tunicellam, praeter planetam, assumpserunt, ut tradit *Caeremoniale episcoporum*, *lib. II*, *cap. VIII*. Hinc dalmatica et tunicella episcoporum debent esse ex panno leviori. *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. X*, animadvertit tunicellam subdiaconi esse ejusdem formae ac dalmaticam diaconi « nisi quod strictiores longioresque aliquantulum manicas habet »; et Card. Bona, *Rer. Liturg.*, *lib. I*, *cap. XIV*, *n. 19*, docet hanc differentiam saepe etiam negligi. Diaconus et subdiaconus dalmaticam et tunicellam deferunt quoties planetam plicatam non habent.

De materia et colore dalmaticae et tunicellae vide *n. 692 sequ.*

705. In *Hispalen.*, *21 Jan. 1690* (n. 3201), propositum fuit sequens dubium : « 8° An liceat permittere quod acolythi inservientes ad portandos cereos et thuribula in festivitatibus et Missis solemnibus, induantur albis et dalmaticis benedictis aut non benedictis, et acolythi pueri... portantes sceptra et canentes versiculos et responsoria in processionibus quae fiunt intra ecclesiam, induantur pluvialibus benedictis vel non benedictis supra superpelliceum ». S. R. C. reposuit : « Ad 8um : Quoad pluvialia et dalmaticas, negative ; quoad albas, pro meliori informatione ». At in *Pacen.*, *24 Jan. 1890*, *ad 2um*, eadem S. C. declaravit non esse permittendum usum, quo ceroferarii qui nec tonsura initiati sunt, albas et dalmaticas, etsi non benedictas, induunt. *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I*, *cap. XV et lib. II*, *cap. XXXIII*, indicat vestes, quas clerici assumere debent in processionibus ; de quibus sermo erit in *cap. IX*.

706. 9° *Velum humerale*, quo subdiaconus humeros operit tempore Missae solemnis, dum patenam tenet, quodque adhibetur in expositione aut delatione SSmi Sacramenti, hanc videtur originem habere. In antiqua romana liturgia, in Missis solemnibus, cum presbyteri una cum episcopo con-

secrabant. acolythi in sacculis lineis collo appensis, vel super patenas quas velo oblongo circa collum appenso sustinebant, panes consecrandos et dein frangendos offerebant (1); item in eisdem sacculis *fermentum* ad ecclesias titulares in Urbe et etiam SSmum Sacramentum ad infirmos aut ad confessores deferebant. Subdiaconi successerunt acolythis, qui in antiqua liturgia romana, ut omnes norunt, fere eadem agebant quae subdiaconi ; et velum humerale repraesentat antiquum sacculum lineum vel velum circa collum appositum acolythorum (2). Materia non est determinata. Velum humerale subdiaconi in Missa solemni est album vel melius coloris paramentorum ; sed velum humerale pro expositione aut delatione SSmi Sacramenti debet esse coloris albi. Hinc in cit. *Tarnovien., 26 Mart. 1859* (n. 5285), ad dubium : « 5° An velum quod imponitur humeris sacerdotis ad deferendum SSmum Sacramentum debeat esse coloris dici » ; S. R. C. reposuit : « Ad 5um : Velum humerale semper debere esse coloris albi ». Forma est oblonga ; aliquo phygio opere in extremitatibus ornatur, et in medio est crux vel aliud ornamentum coloris aurei.

707. 10° *Caligae* cum *sandaliis* seu *calceis*. Duchesne, *op. cit., chap. XI, n. 6*, haec habet : « Tous les clercs n'avaient pas le droit de porter les *compagi*, espèce de mule qui ne couvrait que le talon et l'extrémité du pied. C'était déjà, au sixième siècle, la chaussure de cérémonie du haut clergé de Rome et de Ravenne. Pour la porter il fallait une permission du Pape. Dans les histoires de dépositions relatives au Pape Martin et à l'antipape Constantin, on voit que, en pareil cas, non seulement on enlevait le *pallium*, mais on coupait les courroies des *compagi* ». Idem auctor citat S. Gregorium M. qui in *epist. VIII, 27*, prohibet diaconis Catanensibus deferre *compagos*, affirmans solos diaconos Messinenses hoc privilegium habere a suis

(1) Duchesne, *l. c., pag. 167, 177*. Vide nostrum *Tractatum canonicum de sacra ordinatione, n. 1013*.

(2) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XIX, n. 9*, animadvertit in Parisiensi liturgia (antiqua hanc caeremoniam peragi ab acolytho.

praedecessoribus concessum. Deinde *compagi* in sandalia seu calceos et caligas transmutati sunt. Sandalia e solea integra subtus constant, a parte autem superiori ornata et confecta ex serico panno leviori quo et caligae. Caligae autem longae debent esse ita ut usque ad genua protensae ligulis in ea parte adstringantur (1). In *Lincien., 27 Maii 1890*, ad dubium : « 2° Cujusnam coloris debent esse caligae, sandalia et chirotecae » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Coloris paramentorum ».

708. 1° *Gremiale* episcoporum est pannus qui in gremio episcopi Missam celebrantis ponitur cum sedet et cum ordines confert (2). Gremiale confundi non debet cum succinctorio quod est peculiare solius Romani Pontificis ornamentum quo utitur quando solemniter celebrat estque instar parvi cujusdam manipuli et e sinistro latere pendet habetque in medio figuram agni acu expressam. Usos olim ex antiquo ritu fuisse et episcopos succinctorio, variis veterum scriptorum testimoniis ostendit Georgius, *De liturgia Romani Pontificis, cap. XVII, n. 5 sequ.* Gremiali utitur episcopus, planeta indutus, in Missa tantum, ut jam patet ex dictis. Est sericum, undique cinctum laciniis auro argentoque intextis, coloris aliorum paramentorum. De eo agit *Caeremoniale episcoporum, l. c.* In *Gerunden., 31 Aug. 1872* (n. 5507), ad dubium : « 4° Tam in cathedrali quam in parochiis dioecesis celebrans et ministri procedunt pares ad Missam solemnem celebrandam in diebus festivis cum gremiali oblongo coloris paramentorum ; cum usus dicti paramenti, proprii tantummodo episcoporum, opponatur rubricae seu praxi quae indicat celebrantem et ministros, celebraturos Missam solemnem, exire debere e sacristia vel sacrario unum post alium, quaeritur : tolerarine potest haec consuetudo, vel omnino est tollenda tamquam abusus » ; S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Usum procedendi ad altare in diebus praesertim festivis in cathedrali Gerundensi in Hispania pro Missa solemniter canenda tolerari posse, dum-

(1) De Albertis, *op. cit., cap. V, n. 141, n. 146.*
(2) Card. Bona, *l. c., cap. XXIV, n. 15*; Catalanus, *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XI*, § *IX.*

modo tam celebrans quam ministri ejusdem sint dignitatis: quoad usum vero veli, rem remisit prudenti arbitrio Rmi Ordinarii dioecesecos qui usum ejusmodi eliminari curet ».

709. Porro omnes vestes quas huc usque enumeravimus debent aut possunt benedici, antequam in sacris functionibus et praesertim in Missae sacrificio adhibeantur. De hac indumentorum benedictione nonnulla adnotanda sunt.

710. In primis putamus posse et debere benedici omnia indumenta quae sub formula *Specialis benedictio cujuslibet indumenti* Pontificale Romanum enumerat, scilicet caligas et sandalia, amictum, albam, cingulum, stolam, manipulum, tunicellam, dalmaticam, planetam; utrum vero praeceptum grave sit, an leve, vide *n.713*. Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXI, n.12*, docet nonnullos putare cingulum non esse benedicendum, cum *canon 42, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto (*n. sequ.*), de vestibus loquatur, et cingulum vestis non sit. Omisso argumento deducto ex apocrypho *canone 42*, contraria sententia est probabilior juxta laudatum Pontificem, *l. c.*, scilicet cingulum posse et debere benedici. Quod attinet ad indumenta quae Pontificale, *l. c.*, non enumerat, nonnulli censent cappam non esse benedicendam, praecise quia de ejus benedictione tacet Pontificale (1); alii e contrario opinantur indigere benedictione, cum sit vestis sacra (2). Praxis Urbis cappam benedicit, et nos hanc praxim praeferimus, putantes tamen hanc benedictionem non esse obligatoriam. Idem dicatur de gremiali episcopi et de velo humerali; imo licet haec indumenta, ut putamus, benedici possint, tamen in praxi benedici non solent.

711. Disciplina adhibendi in divinis officiis et maxime in Missae sacrificio vestes benedictas, est antiquissima. Revera juxta librum sacramentorum S. Gregorii M., cui consonant alii complures pontificales codices posterioris aetatis cum Pontificali Romano, ubi ecclesia dedicabatur, *tenentibus subdiaconis vel acolythis linteamina vel omnia ornamenta ecclesiae seu vasa sacra quaecumque ad cultum Dei et ecclesiae pertinere videntur*, benedicebat ea Ponti-

(1) Gavantus, *De rubricis Missalis, p. I, tit. XIX, n. 3, litt. l.*
(2) Benedictus XIV, *l. c.*

fex. Et in *Capitularibus Gallicis, lib. VIII, cap. 329*, quae referunt disciplinam tunc receptam, continetur praeceptum haec omnia benedicendi. In cit. *can. 42. dist. 1. De consecrat.*, in Decreto, legitur : « Vestimenta ecclesiastica quibus Domino ministratur, et sacrata debent esse et honesta ; quibus aliis in usibus non debent frui quam in ecclesiasticis et Deo dignis officiis ; quae nec ab aliis debent contingi aut ferri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio quae Balthasar regem percussit, super haec transgredientes et talia praesumentes veniat et corruere eos faciat ad ima ». Sed hic canon quem Gratianus, a pseudo-Isidoro deceptus, tribuit Stephano I, Romano Pontifici, est apocryphus [1] : insuper Gratianus citata verba a pseudo-Isidoro transcribit cum nonnullis mendis. Effectus hujus benedictionis vestium sacrarum sunt iidem ac effectus benedictionis ecclesiae (*n. 152*). Sententia quae retinet vestes sacras non benedictas sed adhibitas in Missae celebratione, ex hoc ipso evadere benedictas, adeo falsa est ut nulla gaudeat probabilitate [2]. Hinc in *Sancti Hippolyti, 31 Aug. 1867* n. 5386, ad dubium : « 8° Reperitur apud Antonelli, *De regimine ecclesiae episcopalis, lib. I, cap. XVII*, haec assertio : *Si sacerdos bona fide celebraverit cum vestimentis nondum benedictis, poterunt alii sacerdotes cum eisdem rite celebrare, quia per primam celebrationem bona fide factam consecrata seu benedicta remanserunt.* Quaeritur an hoc in praxi sequi tuto liceat » ; S. R. C. reposuit : « Ad 8um : Negative ».

712. In Ecclesia Graeca eadem non viget disciplina quoad vestium sacerdotalium benedictionem. Nam Catalanus, *Rituale Romanum commentariis illustratum, cap. XXII, n. 3*, haec habet : « Apud Graecos, tametsi leviticis sacerdotalibusque indumentis semel et generatim cultui divino dicandis benedictiones euchologium nullas assignet, sua tamen quoties diaconus induit, sacerdoti benedicenda offert, propriaque sacerdos assumpturus benedictionis expertia nusquam relinquit ». Deinde doctus auctor probat hunc ritum apud Graecos esse antiquissimum, citans *Ordinem*

(1) Berardi, *Gratiani canones*, etc., *p. I, cap. XXI*.
(2) S. Alphonsus, *VI, n. 380*, cum communi.

sacrae et divinae Missae S. Joannis Chrysostomi, ubi eae benedictiones memorantur.

713. Putamus minus peccatum esse celebrare cum veste sacra non benedicta, quam sine veste sacra (*n. 702*). E contrario, D'Annibale, *III*, § *101*, statuit principium generale : « Quibus (vestibus sacris) non uti grave est, his non benedictis uti lethali non caret, nisi gravis necessitas excuset ». Exinde sequeretur celebrare Missam cum alba quidem, sed non benedicta, et cum casula quidem, sed non benedicta, esse peccatum mortale ; quod rigidum nobis videtur. Praeterea obligatio benedicendi caligas et sandalia, quae remote ad sanctissimam Eucharistiam referuntur, levis est, imo de acto haec indumenta non semper benedicuntur.

714. Potestas benedicendi vestes sacerdotales competit episcopo, etiam titulari tantum, cum characteri episcopali adhaerere censeatur. Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 15*, putat episcopum, indumenta sacra benedicentem in aliena dioecesi, indigere licentia Ordinarii loci, ex Conc. Trid., *sess. VI*, *cap. V*, *de ref.*, ubi Concilium vetat pontificalia in aliena dioecesi exercere sine Ordinarii loci licentia sub poena suspensionis ab exercitio pontificalium. At si episcopus hanc benedictionem impertitur absque insignibus pontificalibus, idest absque mitra, baculo et pallio, putamus pontificalia non exercere et ideo non comprehendi sub cit. *cap. V*, *sess. VI* Conc. Trid. ; de qua re vide nostrum *Tractatum canonicum de sacra ordinatione*, *n. 92 sequ.* In *Venetiarum*, *28 Junii 1642* (n. 1400), proposito dubio : « An possint episcopi de licentia dioecesani benedicere calices, patenas et cruces, paramenta, vestes sacerdotales et similia privatim et sine solemnitate » ; S. R. C. reposuit : « Non posse in casu proposito ». Sed non constat de casu proposito ; fortasse agebatur de benedictione danda sine solemnitatibus praescriptis a Pontificali ac Rituali.

715. Aliis autem clericis charactere episcopali non insignitis jure proprio haec potestas non est. Id traditur in *can. 1* concilii Pictaviensis (an. 1100), et clare patet ex Rituali Romano ubi *benedictio sacerdotalium indumentorum in genere* recensetur inter *benedictiones ab episcopis*

vel aliis facultatem habentibus faciendas. Similiter Rubrica Missalis ab initio *De praeparatione sacerdotis celebraturi, n. 2*, tradit paramenta debere esse *ab episcopo itidem vel alio facultatem habente benedicta.* Neque episcopus potest jure proprio hanc potestatem clericis non episcopis committere (1). Id declaravit S. R. C. in *Tirasonen., 16 Maii 1711* (n. 4159), ubi propositis dubiis : « 5° An idem episcopus, utendo ordinaria facultate, possit aliis in dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi sacra indumenta et alia in quibus juxta Rituale Romanum sacrum chrisma non adhibetur, seu potius hanc delegationem idem episcopus etiam ad campanarum benedictionem ampliare valeat ? 6° An, quatenus ad eamdem delegationem apostolicum requiratur indultum, istud sit concedendum praefato episcopo, ut in locis praecipuis et nobilioribus suae dioecesis eo in numero presbyteros in dignitate constitutos ad hoc opus eligat, quot aestimet sufficere pro omnium ecclesiarum suae dioecesis indigentia » ; S. C. reposuit : « Ad 5um : Non posse. Ad 6um : Posse concedi in forma solita ». Proinde episcopus indiget indulto apostolico, ut presbyteris valeat committere potestatem benedicendi vestes sacras. Hoc indultum habent omnes Vicarii Apostolici in locis missionum, ut videre est in *Collectanea Parisiensi, n. 31, 1°* ; et saepe etiam episcopi, ut colligitur etiam ex relata S. R. C. responsione ; qui deinde facultatem delegant quoque modo stabili, e. g., vicariis foraneis (2).

716. Praelati episcopo inferiores potestatem habent benedicendi vestes sacras pro servitio dumtaxat suarum ecclesiarum vel monasteriorum (*n. 677, 18°*), ita ut neque ex episcopi licentia sacram supellectilem pro aliis ecclesiis benedicere valeant (3) Protonotarii apostolici hoc privilegio benedicendi sacerdotales vestes per se non gaudent, ut reposuit eadem S. C. in *Castri Durantis, 17 Julii 1627*

(1) Non pauci, praesertim ex antiquis, hoc jus in episcopo admittunt : Pasqualigus, *De sacrificio N. L., quaest. 801* ; Quartus, *Ad rubricas Missalis, sect. IV, p. II, tit. I, dub. 3*. Eorum sententia ob contrarias S. R. C. declarationes nulla probabilitate gaudet.

(2) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXI, n. 11.*

(3) Benedictus XIV, *l. c., n. 14.*

(n. 696); et etiam Pius IX de hoc eorumdem privilegio in const. *Apostolicae Sedis officium*, tacet omnino; item nec habentes usum *insignium pontificalium* (*n. 678, 679*).

717. Communiter doctores affirmant omnes superiores regulares, idest Generales, Provinciales, Priores, Guardianos, Praepositos, Rectores aliosque his similes, privilegium benedicendi sacra indumenta habere vel ex indulto proprio vel ex privilegiorum communicatione (1). Supposito hoc privilegio, certe superiores regulares eodem uti non possunt, nisi in favorem suarum ecclesiarum. Cum vero communicatio privilegiorum, Ordinibus cum votis solemnibus concessorum, ad religiosas Congregationes per se non extendatur, sequitur superiores Congregationum religiosarum hoc privilegio non gaudere, nisi a S. Sede obtinuerint vel communicationem privilegiorum Ordinibus cum votis solemnibus concessorum, vel nominatim ipsum privilegium.

718. Formulam benedictionis exhibet tum Pontificale, pro indumentis in genere et in specie, tum Rituale et Missale pro indumentis in genere tantum. Formula Ritualis seu Missalis continet easdem preces ac formula Pontificalis pro indumentis in genere et insuper tertiam addit orationem.

719. Jamvero episcopus indumenta benedicens utitur formulis Pontificalis pro indumentis in genere vel in specie. At presbyter a Sede Apostolica vel ab episcopo indultum habente delegatus utitur benedictione Ritualis seu Missalis pro indumentis tum in genere tum in specie, uti rescripsit S. R. C. in *Blesen., 16 Mart. 1877* (n. 5654), mutando numerum pluralem in numerum singularem, si unum tantum sacrum indumentum benedicit, uti eadem S.C. declaravit in *Brixien., 4 Sept. 1880, ad 2um* (n. 5818), et in *Imolen., 2 Dec. 1881, ad 1um* (n. 5828). Praeterea, nisi aliud in indulto dicatur, sacerdos delegatus potest benedicere indumenta suae ecclesiae aut suarum ecclesiarum, si agitur de superiori regulari, non autem aliarum ecclesiarum. Hinc cum Praepositus Generalis Societatis SSmi

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 373*: *certum apud omnes*; Catalanus, *l. c., cap. XXI, n. 5.*

Sacramenti petiisset in *Mechlinien.*, *31 Aug. 1867* (n. 5381) : « 13° An facultas benedicendi ornamenta, sacra linteamina, etc., nobis a S. Sede benigne concessa, utpote generalis, valeat quoad ornamenta non tantum nostrarum ecclesiarum, sed etiam alienarum ? Et quatenus negative, extensionem dictae facultatis ad ornamenta gratuito omnino distribuenda ecclesiis pauperioribus desideraremus » ; S. R. C. reposuit : « Ad 13um : Negative in omnibus ». Tandem potestas benedicendi *sacram supellectilem*, a Sede Apostolica concessa, comprehendit vestes sacras seu sacra indumenta, sed non extenditur ad omnia in quibus sacra unctio non adhibetur, e. g., ad imagines D. N. J. C., B. M. V., aliorumque Sanctorum, tabernaculum in quo asservatur SSmum Sacramentum, etc. ; ad hoc requiritur facultas benedicendi *omnia quaecumque ad divinum cultum* spectantia. Haec colligimus ex responsione S. R. C. in *Calaguritana* et *Calcaten.*, *17 Maii 1760* (n. 4290), in qua agitur de indulto episcopis concesso delegandi presbyteris potestatem benedicendi *sacram supellectilem*.

720. Tandem indumenta sacerdotalia benedicta possunt benedictionem amittere. Id rite declarat Collet, *Traité des Saints Mystères, tom. I, chap. X* :

« Les habits sacerdotaux perdent leur bénédiction lorsqu'ils perdent la forme sous laquelle ils l'ont reçue ; ou, ce qui revient au même, lorsqu'on ne peut plus s'en servir décemment pour les fonctions du saint ministère (1).

« De là il suit qu'une aube cesse d'être bénite si une des manches vient à être séparée du corps soit par violence soit par vetuste. Ce serait une autre chose si elle n'y était attachée qu'avec un lacet ; car alors il en serait d'elle comme d'un calice à vis qui se démonte sans devenir profane. Si on recoupait une manche avant qu'elle fut séparée du tout,

(1) Benedictus XIV, cit. *Inst. Ecc. XXI, n. 12*, ita in eodem sensu loquitur : « Non solum pro novis indumentis benedictio necessario requiritur, sed hanc etiam cum detrita pristinam formam amittunt et ad suos usus apta non ducantur, ideoque ex his vestibus antea sacratis nova aliqua perficitur alterius generis, veluti si ex pluribus manipulis stola, sive alba ex multis amictibus, aut e contrario plures amictus ex alba conficiantur ».

ce tout garderait toujours sa bénédiction, quand même on y mettrait une pièce vieille ou neuve, parce que l'accessoire suit la condition du principal. Mais comment le corps d'une aube qui reste entier avec l'autre manche, ne bénit-il pas celle qu'on y joint, vu surtout que les murailles d'une église servent bien à consacrer la voûte et le reste qu'on y ajoute ? C'est, je l'avoue, ce que je ne saurais bien m'expliquer : mais je puis encore moins disputer contre l'usage et le sentiment commun.

« Du même principe il suit encore, au moins est-ce l'opinion la plus suivie, que la ceinture perd sa bénédiction quand elle est rompue de manière qu'aucun de ses deux bouts n'est propre à ceindre le ministre de l'autel. Si l'un ou l'autre restait de longueur à pouvoir ceindre, on pourrait continuer à s'en servir. On pourrait même, pour plus grande commodité, y joindre la partie détachée. Si lorsqu'une ceinture est près de se rompre, on la répare avec du fil, ou qu'on la fortifie d'un nœud, elle reste toujours bénite, parce qu'elle continue de former un tout, dont les parties n'ont point été séparées.

« Enfin il suit encore de notre premier principe que l'étole et la chasuble perdent leur bénédiction, lorsque, pour les réparer, on y met tant de nouvelles pièces que le neuf l'emporte sur le vieux. Il n'en serait pas ainsi, si on ne les raccommodait que peu à peu. Les premières parties feraient sur les dernières ce que fait de l'eau bénite sur celle qu'on y ajoute en moindre quantité.

« Si le même ornement était double, c'est-à-dire blanc en dessus, et rouge en dedans, comme le sont assez souvent ceux des évêques, on pourrait détacher l'un de l'autre sans préjudice de la bénédiction, parce que chacun d'eux garde toute sa forme et qu'il a été béni des deux côtés. Quand il n'y a que la doublure déchirée, on peut n'y avoir point d'égard ; mais si elle était bonne, et que le dessus fût enlevé, ou en lambeaux, je ne croirais pas qu'on pût s'en servir…

« Mais que dire si d'une étole on faisait un manipule, ou d'un manipule une étole ? Nous pensons d'abord que si en pliant une étole, sans y rien changer autrement, on faisait

un manipule, il n'y a rien à craindre pour la bénédiction, parce que celle-ci étant la même pour tous les ornements sacerdotaux, ils ne la perdent que quand ils perdent essentiellement leur forme : ce qui n'arrive point dans le cas présent. Il en serait de même si d'un long manipule on pouvait faire une étole. Mais si, en retranchant une très grande partie d'une étole, l'on en faisait un manipule, je n'oserais, quoi qu'en pensent Azor et quelques autres avec lui (1), m'en servir à cet usage, sans le faire préalablement bénir, parce qu'il passe pour constant en ces matières que la bénédiction disparaît avec la forme. Il faudrait raisonner de la même façon, si, pour faire une étole d'un manipule, on y ajoutait plusieurs morceaux bénits ou non bénits, qui l'emportassent notablement sur la substance primitive de ce manipule. Autrement une ceinture faite de plusieurs morceaux d'autres ceintures bénites et dont chacun en particulier ne suffirait pas pour faire le tour du corps, n'aurait pas besoin de bénédiction, ce qui ne s'accorde ni avec les sentiments des docteurs, ni avec la pratique de l'Église. »

721. In *cap. 2, De sacramentis non iterandis*, Honorius III docet indumenta sacerdotalia cum quibus, nec non altaria in quibus degradati presbyteri celebrarunt, non debere iterum benedici aut iterum consecrari. Idem dicatur si cum catholicis indumentis aut in altaribus catholicis celebravit sacerdos schismaticus aut haereticus : presbyteri degradati de quibus Honorius III, *l. c.*, erant schismatici.

722. 12° *Pallium*, si celebrans est archiepiscopus aut episcopus pallii privilegio pollens. Pallium in sensu juris est fascia lanea alba, quae in coronae modum pectus et humeros circumdat, nigris vel purpureis crucibus ornata, cujus extrema inferius profluunt. In pallio latino cruces sunt nigrae, dum antiquitus ante saeculum XIII erant rubrae ; in pallio graeco sunt purpureae, dum antiquitus erant nigrae. In pallio latino cruces sunt quatuor ; in graeco quinque. Tandem extrema pallii graeci magis profluunt, quam pallii latini ; hujus extrema unius circiter palmi sunt,

(1) Azor, *p. I, lib. X, cap. XXVIII* ; *Nono quaer.* ; et apud ipsum Paud. et Sylvest.

sed antiquitus erant longiora. Est etiam pallium syriacum pariter ex lana alba cum tribus crucibus purpureis, e collo ante et post tergum pendens. Pallium archiepiscopale dicitur desumptum e *corpore S. Petri,* quia pallia archiepiscopalia in pervigilio SS. Apostolorum Petri et Pauli post vesperas benedicuntur a Romano Pontifice vel, eo absente, a Cardinali qui pontificalia peregit et postea asservantur in Basilica Vaticana prope corpus S. Petri, et exinde desumuntur quando alicui dantur. Pallium archiepiscopale defert Romanus Pontifex qui illud deinde concedit patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et secumfert plenitudinem potestatis archiepiscopalis. Praestat ut circa hoc ecclesiasticum indumentum paulo fusius immoremur (1).

723. Eruditi disputant circa originem pallii archiepiscopalis. Omissis aliis improbabilibus opinionibus, nonnulli censent originem pallii archiepiscopalis ab ipsomet S. Petro esse repetendam; atque ita rem explicant. Mortuo S. Petro, ipsius pallium remansit. Successores illud suis humeris imponere consueverunt: qua caeremonia significabatur successorem habere eamdem S. Petri auctoritatem et veluti ejus personam in successore perdurare. Cum vero pallium S. Petri vel usu consumptum vel persecutionum tempestate deperditum esset, aliud pallium inductum est, quod tandem actualem formam obtinuit. Exinde facile intelligitur cur nam pallium dicatur ab antiquissimis temporibus desumptum *e corpore S. Petri*, et cur nam significet potestatem primatialem in Romano Pontifice et in aliis potestatem supraepiscopalem simplicem, quae est participatio quaedam potestatis pontificiae (2). Alii e contrario putant pallium fuisse ab initio imperiale ornamentum, ab Imperatoribus initio concessum Romano Pontifici, et, ipso annuente, archiepiscopis aliisque superioribus praelatis, quin determinari queat quo tempore et a quo Imperatore fuerit primo communicatum; et tractu temporis illam significationem mysticam ac dogmaticam, de qua supra, obtinuisse. Hanc alteram

(1) Vide canonistas in tit. *De auctoritate et usu pallii, VIII, lib. I Decret.*
(2) Vespasiani, *De sacri pallii origine*, Romae, 1866.

opinionem argumentis historicis praefert Duchesne, *op. et loc. cit., n. 4.*

724. Pallium concedit Romanus Pontifex, aliusve de ejus commissione (1). Ex *cap. 23, De privilegiis*, quatuor patriarchae majores orientales pallium dabant suis suffraganeis, postquam ipsi pallium pro se a Romano Pontifice obtinuissent, exacta ab eisdem « pro se professione canonica et pro Romana Ecclesia sponsione obedientiae ». Antiqui patriarchae orientales catholici schismate disparuerunt. At vestigium antiquae disciplinae remanet in patriarchis orientalibus diversorum rituum, qui, postquam pallium ipsi receperint, suis suffraganeis illud conferunt, exacta fidei professione cum juramento (2). Ceterum de hoc suffraganeorum orientalium pallio vide *n. 728*. Latini patriarchae Constantinopolitanus, Antiochenus, etc., adeo nequeunt aliis pallium concedere, ut pallii honore ipsi priventur, ut patebit ex dicendis.

Antiquitus pallium nonnullis tantum inter archiepiscopos, vicariis Romani Pontificis in plures provincias, dabatur, ut ostendit Card. Bona, *Rer. Liturg., lib. I, cap. XXIV, n. 16*; sed in praesenti disciplina pallium conceditur omnibus archiepiscopis, primatibus, patriarchis cum jurisdictione; nam ii habent potestatem supra-episcopalem, quam exprimit pallium; Latinis quidem datur pallium latinum, Graecis graecum, excepto patriarchatu Maronitarum qui in sacris indumentis latinos ritus et mores sequuntur. At non desunt exempla quibus Romani Pontifices Orientalibus pallium latinum concesserunt (3). Archiepiscopis aliisque superioribus praelatis titularibus tantum, idest sine jurisdictione in propria dioecesi, non confertur pallium, cum significet jurisdictionem supra-episcopalem qua ipsi carent;

(1) Concessio palliorum Romae pertinet ad Cardinalem decanum inter diaconos. Extra Urbem consuetudo immemorialis est ut Romanus Pontifex uni aut duobus episcopis committat illius traditionem. Ritus tradendi pallium extra Urbem describitur in *Caeremoniali episcoporum, lib. I, cap. XVI.* Olim pallium Romae tantum dabatur, ut ostendit Catalanus, *Caeremoniale Episcoporum, l. c.*

(2) Pius IX in const. *Reversurus, 12 Julii 1867.*

(3) Benedictus XIV, *De synodo, lib. XIII, cap. XV, n. 6.*

item nec episcopis sive cum juridictione sive a fortiori titularibus tantum. At aliquando ex speciali privilegio Romani Pontificis usque ab antiquitate nonnulli etiam simplices episcopi pallio decorati sunt. Hoc in casu pallium est insigne mere honorificum, qui nec episcopo confert jura archiepiscopalia, nec ipsum subtrahit a jurisdictione sui archiepiscopi, nec ordinem praecedentiae ullo modo turbat inter suffraganeos (1), nec ea quae mox dicemus de petitione et traditione pallii, exigit. Quod si archiepiscopus duas sedes archiepiscopales ex pontificio indulto retinet, duo pallia petere et deferre debet, singula in singulis Ecclesiis.

725. Archiepiscopus aliique pallium petere debent infra tres menses a sua consecratione, justo impedimento cessante; vel, si sint consecrati, infra tres menses a sua confirmatione in Consistorio. Id desumitur ex *can. 1, dist. 100*, in Decreto, et doctores communiter repetunt. Hinc cum hodie ex Conc. Trid., *sess. VII, cap. IX, de ref.*, episcopus, confirmatus in Consistorio, habeat tres menses ad recipiendam consecrationem, Barbosa, *Jur. Ecc., lib. I, cap. VII, n. 115*, deducit archiepiscopum non consecratum habere sex menses a sua confirmatione ad pallium petendum. Archiepiscopus negligens privatur archiepiscopali dignitate. Potest autem archiepiscopus pallium petere sive per se sive per procuratorem (2).

(1) Benedictus XIV, *l. c.*

(2) Archiepiscopus pallium petens per se hac utitur formula: « Ego N. electus episcopus Ecclesiae N., instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi et assignari pallium, de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii ». Pallium tradens et imponens utitur his verbis: « Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatae Mariae semper Virginis atque Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non Ecclesiae N. tibi commissae, tradimus tibi pallium, de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii cum archiepiscopalis nominis appellatione, ut utaris eo infra Ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ». Procurator archiepiscopi, pallium petens ipsius nomine, ait: « Ego N. procurator et procuratorio nomine et pro parte Rmi in Christo Patris et Dni, Dni N. electi episcopi Ecclesiae N. .... (ut supra) officii, et promitto illud reverenter portare eidem Rmo Patri Dno N., nec pernoctabo in aliquo loco nisi una nocte tantum, nisi praepeditus fuero legitime, et tunc in cathedrali ipsius, et si non fuerit cathedralis, in collegiata; et si non fuerit collegiata,

726. Archiepiscopus ante pallii receptionem nec posset se archiepiscopum appellare, ut patet ex formulis relatis et ex *cap. 3, cit. tit.*, cum revera potestatem archiepiscopalem quae pallio conceditur, nondum habeat. Hinc nequit Missam pontificalem celebrare, in qua usus pallii requiritur, aut ea peragere quae ad archiepiscopum, uti talem, pertinent. Receptum pallium archiepiscopus defert in singulis ecclesiis provinciae suae, ut tradit *Caeremoniale episcoporum, l. c.*, non autem extra proprium territorium, reprobata contraria consuetudine in *cap. 5, cit. tit.*, nisi Romanus Pontifex hoc privilegium concesserit. Intra proprium vero territorium pallium deferre potest tantum determinatis diebus in privilegio expressis, ex *cap. 7, cit. tit.*; quod si ii dies non inveniantur expressi, *Caeremoniale episcoporum, l. c.*, docet archiepiscopum pallium deferre posse tantum in festo Nativitatis D. N. J. C., S. Stephani, S. Joannis Apostoli, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominica Palmarum, feria V in Coena Domini, Sabbato Sancto, tribus diebus Paschatis, Dominica in Albis, in festivitatibus Ascensionis, Pentecostes, S. Joannis Baptistae, duodecim Apostolorum, in festo Corporis Christi, quatuor festivitatibus B. M. V., idest Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis, in festo omnium Sanctorum, in dedicationibus ecclesiarum, in principalibus festivitatibus ecclesiae metropolitanae, in ordinationibus clericorum, consecrationibus episcoporum, abbatum, virginum, in diebus anniversariis dedicationis ecclesiae principalis et consecrationis suae; praeterea in prima die synodi, ex eodem *Caeremoniali episcoporum, lib. I, cap. XXXI*; tandem ex decreto S. R. C. diei *9 Sept. 1883*, a Leone Papa XIII probato, in festo S. Joseph et Immaculatae Conceptionis B. M. V. Insuper his diebus pallium deferre potest tantum infra septa ecclesiae, ex *cap. 1,*

jn parochiali ecclesia remittam et honorifice reponam; sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei evangelia ». Imponens eidem procuratori pallium ait: « Ad honorem Omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Dni Nostri Papae, ac Sanctae Romanae Ecclesiae assigno tibi pallium..... (ut supra) appellatione, nomine et pro parte Rmi in Christo Patris et Dni N. et Ecclesiae N. ad quam electus est, ut eo utatur infra Ecclesiam certis diebus..... (ut supra) ».

4, *6 et 7*, *cit. tit.*, et quidem tantum in Missa pontificaliter celebrata, ex *cap. 7*, *cit. tit.* In *cap. ult.*, *cit. tit.*, notatur archiepiscopum pallio uti non posse in Missis defunctorum, quod ex dictis satis apparet. Ceterum probabilius archiepiscopus pallium potest adhibere, cum licentia superioris regularis, etiam in ecclesia Regularium exempta, quia in *Clem. 2*, *De privilegiis*, ipsi conceditur honor pontificalium in ecclesia exempta; et ex *Caeremoniali episcoporum*, *l. c.*, archiepiscopus pallium deferre potest in *singulis* ecclesiis provinciae suae. Romanus autem Pontifex in Missarum solemniis pallio semper et ubique utitur, ex *cap. 4*, *cit. tit.*

727. In *cap. 2*, *cit. tit.*, Innocentius III declarat archiepiscopum non posse pallium archiepiscopo commodare, et cum eo debere sepeliri; si quidem sepelitur in provincia sua, circa humeros supra planetam, si vero extra provinciam ponendum erit pallium plicatum sub ejus capite, ut tradit *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.* Item archiepiscopus, forte translatus ad aliam sedem, nequit priori pallio uti; sed si altera sedes est archiepiscopalis cum jurisdictione, aliud pallium pro altera provincia petere debet, licet et primum secumferre debeat, et cum utroque sepeliendus est; si sepelitur in provincia, pallio recentiori decoratur ejus cadaver, ut supra, et antiquum collocatur vel sub capite, vel extensum super corpus; si sepelitur extra provinciam, utrumque plicatum ponitur sub capite. Si archiepiscopus renuntiat archiepiscopatui, pallium neque in provincia neque alibi deferre potest, et si forte ad suam redeat ecclesiam, alio indiget pallio. Item, si archiepiscopus, translatus ad aliam sedem, rursus ad primam redit, alio indiget pallio, licet primum quoque conservet. Si archiepiscopus pallium deperdit, e. g., igne combustum, aliud petere debet, sed interim poterit etiam sine pallio pontificalia exercere. Haec omnia facile intelliguntur, si prae oculis habeatur pallium significare potestatem supra-episcopalem actualiter commissam in tali dioecesi. Tandem *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, in fine praecipit ut pallium archiepiscopale digne et honorifice asservetur, tanquam venerabile ipsius archiepiscopi insigne, mysticis significationibus plenum.

728. Haec de archiepiscoporum pallio. Apud Graecos Patriarcha, postquam pallium a Romano Pontifice obtinuerit, *omophorium* seu *humerale*, pallio quoad formam omnino simile, confert in ipsa consecratione episcopali omnibus episcopis suis suffraganeis (*n. 724*), qui illo uti possunt et debent in omnibus praecipuis divinis officiis et nominatim in cujuslibet Missae celebratione, illud deponentes cum evangelium legendum est, reassumentes paulo ante communionem. Num haec disciplina semper apud Graecos viguerit, negat Goar, *Rituale Graecorum*, *pag. 312*, *n. 8*; affirmat Morinus, *De sacris ordinat.*, *part. II*, *in notis ad graecas ordinationes*, *n. 19*. Proinde apud Graecos Patriarchae pallium, a Romano Pontifice obtentum, est insigne potestatis supra-episcopalis, juxta ea quae supra diximus, sed *omophorium* seu *humerale* episcoporum in praesenti disciplina est potius dignitatis episcopalis signum, pallio quoad formam simile, sicuti, e. g., dignitatis episcopalis signum est baculus pastoralis.

729. 13° *Crux pectoralis* ita appellatur quia collo appensa pendet ante pectus episcopi. De signo crucis ejusque veneratione et usu deque parvis crucibus quas collo appendere, instar amuleti, ab ipsis Ecclesiae incunabulis, fideles consueverunt, eruditi plures egerunt. Proinde etiam episcopi, et prae primis Romanus Pontifex, crucem, ante pectus pendentem, gestabant, sed labente saeculo XIII adhuc liberum episcopis erat eamdem adhibere, vel non. Tandem evasit necessarium episcoporum, sicuti jam erat Romani Pontificis (1), ornamentum ac distinctivum, ita ut usurpari ab aliis inferioris ordinis clericis nequeat, nisi per privilegium, quod raro, rationabilibus de causis et caute conceditur. Ita in *Imolen.*, *27 Sept. 1828* (4640), S. R. C. hoc privilegium canonicis ecclesiae cathedralis Imolensis denegandum esse censuit. Abbates *nullius*, protonotarii apostolici aliique omnes habentes usum *insignium pontificalium* solum in Missa pontificali deferunt crucem pectoralem sine gemma (*n. 677 sequ.*). De benedictione crucis

(1) Card. Bona, *Rer. Lit.*, *lib. I*, *cap. XXIV.* § *10*; Catalanus, *Pontificale Romanum*, *Prolegom.*, *cap. XIII*, *et part. II*, *tit. XIV.*

pectoralis nulla habentur indicia ante Clementem VIII, qui Pontificali Romano inseruit titulum *De benedictione crucis pectoralis*; sed etiam post Clementem VIII haec benedictio non est de praecepto, cum Rubrica Pontificalis, *l. c.*, dicat : « Ad benedicendam crucem pectoralem pontifex *potest* uti forma assignata pro benedictione crucis proficiscentium in subsidium terrae sanctae, ut infra ». Crux pectoralis episcoporum continet lignum S. Crucis et saepe etiam Sanctorum reliquias, et ideo episcopi eamdem osculantur, dum assumunt aut deponunt. Eam non deferunt episcopi Orientales, nec eos antiquitus detulisse probatur, ut advertit Catalanus, *l. c., n. 5 sequ.* In *Arboren., 14 Jun. 1873* (n. 5550), proposito dubio : « 2° An eadem crux pectoralis quae ab episcopo in sua dioecesi supra mozzettam ante pectus gestari solet, debeat, cum ipse in aliena dioecesi reperitur, abscondi, vel deponi, vel potius in aperto supra mantellettam et in sacris functionibus supra sacras vestes gestari possit et debeat » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Servetur consuetudo ». Quoad modum quo episcopus sacris vestibus indutus pro Missa pontificali, crucem pectoralem gestare debet, S. R. C. in *Arboren., 14 Jun. 1873, ad 1um* (n. 5550), et in *S. Jacobi de Chile, 6 Sept. 1895, ad 3um*, jussit ut servetur dispositio *Caeremonialis episcoporum, lib. II, cap. VIII.*

730. Circa reliquiam S. Crucis in pectorali episcoporum cruce contentam, Cardinalis Urbis Vicarius, jussu D. N. Leonis Papae XIII, dedit ad omnes Ecclesiae catholicae episcopos die *25 Martii 1889* sequentem epistolam : « Cum reliquiae sanctissimae crucis in dies rariores fiant ac merito timendum sit ne paulatim non facile suppetant quae ipsis episcopis, veluti proprium suae dignitatis gestamen, rite tradantur, ex jussu Sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII, Rmis Episcopis enixe commendatum volumus ut sanctissimi ligni particulas quas thecis inclusas pectore prae se suspensas ferunt, successoribus suis transmittendas curent, adeo ut post ipsorum mortem (studio et opera capituli cathedralis vel ejus qui, vacante sede, episcopi vices gesserit), ad hos perveniant legitimo haereditа-

tis jure. Quo pacto novis episcopis nulla erit necessitas alias non sine difficultate aliunde quaerere, sed omnes tamquam sibi et officio suo addictas et destinatas in promptu paratas habebunt, ceteris qui sequentur suo tempore transmittendas. Quod de crucis dumtaxat reliquiis intelligendum est. Nam de thecis ex pretioso metallo in crucis formam affabre factis statuent quod opportunius videtur; quae cum demptae fuerint sanctissimi ligni particulae, donari, legari quibus placebit, ac per privatos haeredes distrahi, vendi, remota quavis indecorae aut profanae negotiationis specie, libere poterunt; sunt enim pretio aestimabiles. Non dubito, Illme Domine, quin huic aequissimo providentissimi Pontificis desiderio ea qua par est cura et diligentia sis obsequuturus ».

Episcopum non posse sine pectorali cruce Missam celebrare aliasque peragere ecclesiasticas functiones, vide *n. 418*.

731. 14° *Chirothecas*, in solemnioribus circumstantiis adhibebant et adhibent praesertim personae in officio ac dignitate constitutae, et ita etiam episcopi Missam pontificalem celebrantes. Chirothecae debent esse contextae, et circulo aureo insigniter in ea parte quae manus dorsum contegit, ornatae. In *S. Jacobi de Chile, 6 Sept. 1895*, ad dubium 2um, S. R. C. edixit archiepiscopum uti non posse chirothecis, cum ad ecclesiam accedit et ab ea recedit ante et post Missam pontificalem et servandum esse praescriptum *Caeremonialis episcoporum, lib. II, cap. VIII*, ubi clare indicatur quandonam episcopus in Missa pontificali chirothecas assumere debeat. Idem *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. XI*, praescribit in Missa pontificali pro defunctis chirothecas non esse assumendas, sicuti nec sandalia cum calceis nec baculum pastoralem; item in feria VI in Parasceve ex *lib. II, cap. XXV*.

De colore chirothecarum vide *n. 707*.

732. 15° *Mitrae* episcopalis originem exposuimus in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione, n. 1105*. *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XVII*, de mitra episcopali agens, docet triplicem esse mitrae episcopalis speciem, pretiosam, auriphrygiatam, simplicem; singulas describit et tradit quandonam una vel alia ab episcopo sit

adhibenda. In *Lincien.*, *27 Maii 1890*, ad dubium : « 1° An tolerari possit mitra coloris rubri vel violacei, quando paramenta sint ejusdem coloris » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1ᵐᵘᵐ : Non esse prorsus tolerandum et super mitrae qualitate et usu consulendum *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I*, *cap. XVII* ». Mitra est insigne dignitatis episcopalis, ita ut simplices presbyteri, citra apostolicum indultum, nunquam eamdem assumere valeant. In *Carthaginen. in Indiis*, *20 Junii 1894*, S. R. C. declaravit tolerari non posse consuetudinem, qua simplices presbyteri mitram assumebant, dum in episcopali consecratione ex licentia Sᵢ Sedis episcopo consecranti assistebant. Canonici nonnullarum ecclesiarum mitrae privilegium obtinuerunt ; de quo vide responsa S. R. C. in *Senen.*, *27 Febr. 1841*, *ad 1ᵐᵘᵐ et 2ᵘᵐ* (n. 3085) ; *Anicien.*, *13 Junii 1682* (n. 2984) ; *Urbinaten.*, *29 Jan. 1752*, *ad 13ᵘᵐ* (n. 4224) ; *Panormitana*, *22 Apr. 1684* (n. 3052). Usum mitrae simplicis habent etiam praelati episcopo inferiores, protonotarii apostolici et omnes habentes usum *insignium pontificalium* (*n. 677 sequ.*).

De fiara autem Romani Pontificis vide cit. nostrum *Tractatum*, *l. c.*

733. 16° De pastoralis *annuli* origine et significatione, vide in cit. nostro *Tractatu*, *n. 1102* ; et quinam alii, praeter episcopum, annulum gestare valeant, diximus *n. 122*. Hic sufficiat referre responsionem S. R. C. in *Cuneen.*, *29 Maii 1891* ; nam ad dubium : 1° An episcopus in solemni cantu horae tertiae etiam annulum pontificalem gestare debeat ; an vero, pro lotione manuum illo dimisso, non amplius sit ei imponendum, nisi expleta vestitione pro Missa, cum illud inducit presbyter assistens » ; S. C. reposuit : « Ad 1ᵐᵘᵐ : Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ». Praeterea in *Orestan. Cotonen.*, *18 Sept. 1666* (n. 2381), ad dubia : « 1° Cum *Caeremoniale episcoporum*, *cap. De Missa pontificali*, mentionem solum faciat annuli pontificalis imponendi in digitum annularem episcopi, quaeritur num episcopus debeat alios etiam annulos deferre, quot numero et in quo digito ; 2° Post lotionem manuum in offertorio debetne episcopus, prosequens

Missam, reassumere omnes praedictos annulos, an solum pontificalem in annulari digito » ; eadem S. C. reposuit : « Ad 1um et 2um : Unus tantum datur episcopo annulus in *Caeremoniali*, et ideo uno tantum et pontificali uti debet ; circulus tamen quidam ad sustinendum pontificalem admitti potest ». Quem defert Romanus Pontifex, appellatur *annulus piscatoris*, quia imaginem S. Petri piscantis exhibet.

Episcopum non solum posse, sed etiam debere in Missae celebratione aliisque functionibus ecclesiasticis annulum gestare, vide cit. *n. 418*.

734. 17° *Baculus* pastoralis est aliud episcoporum insigne, cujus originem enarravimus in cit. nostro *Tractatu, n. 1101*. Significat episcopalem jurisdictionem, et ideo *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XVII*, tradit episcopum baculo pastorali uti posse in sua tantum civitate vel dioecesi, et etiam alibi ex permissione tamen Ordinarii loci. In *Strigonien., 4 Julii 1857* (n. 5232), ad dubium : « 4° An episcopus auxiliaris jure baculum pastoralem gestandi, etiam ordinario episcopo praesente, uti possit » ; S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Servandam dispositionem *Caeremonialis episcoporum, lib. I, cap. XVII* ». Et recentius in *S. Jacobi de Chile, 6 Sept. 1895*, ad dubium : « 6° An iidem (episcopi suffraganei et titulares) pariter in aliena dioecesi baculum pastoralem deferre valeant » ; eadem S. C. reposuit : « Ad 6um : Affirmative ex permissione archiepiscopi vel episcopi Ordinarii loci, et quando tenuerint ordinationes, consecrationes aliasque functiones, in quibus, juxta regulas libri *Pontificalis*, baculo pastorali uti debent et necesse est, juxta *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XVII*, et decret. *Bracharen., 1* (potius *1° Sept. 1607* ». Et cum abbates seu praelati episcopo inferiores jurisdictionem quasi-episcopalem habeant, mirum non est quod privilegium obtinuerint gestandi baculum pastoralem cum nonnullis restrictionibus, non vero protonotarii apostolici aliique usum *insignium pontificalium* obtinentes (*n. 677 sequ.*). Baculi pastoralis materia non est determinata, sed metallica esse solet.

735. Chirothecae, mitra, annulus et baculus pastoralis,

si non sunt benedicta, benedicuntur in ipso actu consecrationis episcopalis, et benedictionis formulam tradit Pontificale. Etiam extra consecrationem episcopalem benedici posse eadem formula, non dubitamus ; id satis indicare videtur Pontificale et pii antistites sedulo observant. Formula autem benedictionis mitrae extra consecrationem episcopalem modificari debet ; pius doctusque antistes quem nos consuluimus, loco verborum Pontificalis : *hanc mitram hujus famuli tui Antistitis capiti imponendam*, legit : *hanc mitram famulorum tuorum Antistitum*, etc. Ceterum benedictio horum ornamentorum reservatur episcopo ita ut sine indulto Sedis Apostolicae neque praelatis inferioribus competere videatur.

736. 18° *Birretum*, ita appellatum a *birro* quod significat partem vestis qua caput tegitur. Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. I, cap. IX*, docet Romae et in plerisque aliis Ecclesiis saeculo IX nullum birreti usum fuisse, cum tunc temporis sacerdos ad altare accedens et ab altari recedens caput amictu obnuberet. Primitus fuit formae rotundae et laneum ; sed cum assidue ad usum digitis apprehenderetur, cornua quaedam seu angulos adeptum est, ac. solida materia subsuta, quatuor illi anguli in modum crucis sublevati fuerunt, atque ita birretum e rotundo evasit quadratum. At in Italia tres tantum cuspides habet, ita ut birretum cum quatuor cuspidibus habeatur privilegium doctorum ; in aliis locis habet quatuor vel tres cuspides indiscriminatim. Materia birreti non est determinata, et potest esse laneum, sericum, etc. Color ab initio idem erat ac usualium vestium clericorum, sed cum saeculo X niger color fuerit pro clericis praescriptus, etiam in birretis adhibitus est. Hinc Romanus Pontifex defert birretum album, sicut et religiosi qui albam induunt vestem ; Cardinalis rubrum ; episcopus violaceum, ex recenti concessione a Leone XIII eisdem facta per Breve dici *3 Febr. 1888* ; alii omnes nigrum. At Cardinalis et episcopus possunt et nigro uti birreto ; insuper S. Sedem posse privilegia hac in re concedere, evidens est ; e. g., episcopus Derthusensis utitur birreto rubro ad instar Cardinalium, de qua re in *Derthusen.*,

27 *Junii 1868* (n. 5395). Tandem in *Patriarchalis Basilicae Lateranensis*, 25 *Sept. 1852* (n. 5176), ad dubium : « 4° An usus birreti permitti possit ministris indutis pluviali » ; S. R. C. censuit : « Ad 4um : Permittitur usus birreti, non autem pileoli ». In *Venusina*, 7 *Dec. 1844* (n. 4991), propositis dubiis : « 1° An in choro et processionibus quae capitulariter aguntur, possit is cui ob magisterium et lauream aut licentiam in disciplinis theologicis vel sacris canonibus obtentam, facultas conceditur deferendi birretum cum quatuor apicibus, eodem birreto uti ; 2° An iste, contradicente capitulo, punctationi distributionum obnoxius evadat, etiam si quadraginta abhinc annis jam defunctus alius sacerdos in eadem ecclesia usus fuerit tali facultate et nemo contradixerit » ; S. R. C. reposuit : « Negative in omnibus, nimirum nec uti posse in ecclesiasticis functionibus tali birreto, nec amittere distributiones, siquidem birretum non est chorale indumentum ». Et in cit. *S. Jacobi de Chile*, ad dubium : « 8° Ac tandem (an liceat episcopo suffraganeo) adhibere birretum doctorale cum quatuor apicibus, quod sit coloris violacei, cum flosculo et funiculis rubei coloris » ; eadem S. C. censuit : « Ad 8um : Negative quoad birretum formae doctoralis juxta decretum in *Venusina*, 7 *Dec. 1844* ; affirmative quoad birretum formae ordinariae ac coloris violacei cum flosculo et funiculis ejusdem coloris juxta privilegium a sanctissimo D. N. Leone PP. XIII indistincte omnibus episcopis concessum ». At birretum cum quatuor apicibus, si in loco non est insigne doctorale, uti in Galliis, etiam in sacris functionibus adhiberi poterit, et ita fert praxis.

737. 19° Tandem de *superpelliceo* vide quae diximus in cit. nostro *Tractatu*, *n. 1015* ; et responsionem S. R. C. in *Syren.* relatam *n. 689*. Expedit ut superpelliceum sit ex lino vel ex cannabe, sed non videtur absolute necessarium. Potest benedici, licet benedictio non sit prescripta, et de facto non semper detur ; de qua benedictione, si dari velit, repete quae diximus *n. 709 sequ.* In Missa cum cantu celebrata omnes ministri, praeter diaconum et subdiaconum, superpelliceum habere debent ; in Missa lecta admittitur minister etiam sine superpelliceo.

§ 2. — *De vasis sacris eorumque accessoriis.*

738. — Vasa sacra, quorum nonnulla improprie tantum vasa appellantur, eorumque accessoria quae circa sanctissimam Eucharistiam adhibentur, sunt *calix cum patena, corporale, purificatorium, palla, velum calicis, bursa, urceoli seu ampullae cum cochleari, pelvicula et manutergio, thuribulum cum navicula, instrumentum pacis, parva campanula.* Antiquitus calici, praeter patenam, accessoria erat in Ecclesia Latina et *fistula* seu cannula aurea vel argentea, qua sanguinem e calice hauriebant sacerdos, ministri, fideles ; de qua vide Card. Bona, *l. c., n. 4.* Abrogata communione sub specie sanguinis pro ministris et fidelibus, etiam fistulae usus cessavit, sacerdote ipsum calicem pro sanguinis sumptione ad os admovente. Hodie fistula aurea utitur unus Romanus Pontifex in Missa solemni, in qua sub utraque specie communicant et ministri : illa prius Romanus Pontifex celebrans, postea Cardinalis diaconus, demum Cardinalis subdiaconus sanguinem e calice sugunt. Graeci pro sanguinis communione fistula nec utuntur nec unquam usi sunt. Modo de singulis vasis sacris eorumque accessoriis agendum est. De *ciborio* melius sermo erit *cap. IX, art. 2* ; de *ostensorio, lunula, custodia, in cap. X, art. 1.*

739. 1° Ad *calicem* et *patenam* quod attinet, Christum D. in institutione sanctissimae Eucharistiae calice usum esse, sacrae litterae aperte testantur (*n. 2 sequ.*). Hinc feria quinta majoris hebdomadae, cum sanctissimae Eucharistiae institutionem recolimus, *natalis calicis* a veteribus Patribus appellabatur, quia tunc calicem a profano ad usum sacrum Christus D. traduxit. Venerabilis Beda, apud Baronium ad *an. 34, n. 63*, enarrat calicem in quo Christus D. sanctissimam Eucharistiam consecravit, suo tempore Hierosolymae asservari et argenteum esse ; quod non videtur probare S. Joannes Chrysostomus, apud Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. I, cap. IV, n. 3.* Concludimus igitur formam et materiam hujus pretiosissimi calicis ignorari. Utrum Christus D. in patena panem consecran-

dum vel consecratum posuerit, necne, sacrae scripturae non dicunt ; sed statim postea patenae usum in Missae celebratione esse introductum, ipsa res satis superque suadet. Graeci patenam suam *discon* (δίσκον) appellant, quae magis concava est quam nostra, ne panis consecrati fragmenta inde decidant. Necessitas autem calicis et patenae pro Missae celebratione tanta est, ut nulla necessitas excuset.

740. In primis Ecclesiae saeculis plures erant calices pro usu ecclesiastico. Erat in primis calix *offertorius* cum relativa patena, in quo nempe sacerdos vinum consecrabat. Insuper erant calices *ministeriales*, qui etiam *scyphi* appellabantur, pro communicandis fidelibus sub specie vini. Nam e calice offertorio portio quaedam sanguinis consecrati ingerebatur in calicem ministerialem, qui vinum non consecratum continebat ; et deinde ex eodem fideles *confirmabantur*, idest admittebantur ad participationem sanguinis, quem plerumque sugebant per fistulam ; de qua re fusius in *cap. VII, art. II.* Et sicuti pro communicandis fidelibus sub specie vini erant calices ministeriales, ita pro eisdem communicandis sub specie panis erant *patenae ministeriales* (1), multo capaciores quam patena quae celebranti tantum inserviebat. Tandem aderant quoque *calices baptismales*, continentes mel et lac, quod noviter baptizatis in prima Missa paschali bibendum dabatur. Hodie non habemus nisi calicem offertorium cum relativa patena quae ad hostias pro communione fidelium continendas inservire potest.

741. Materia calicis prioribus saeculis multiplex fuit. Plures affirmant adhibitos quoque fuisse calices ligneos ; et huc spectat elegans dictum S. Bonifacii martyris et episcopi Moguntini, relatum in *can. 44, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto : « Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur ; nunc e contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus ». Liceat dubitare olim calices ligneos adhibitos fuisse, nisi forte ab aliquo presbytero per abusum,

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. I, cap. V, n. 2* ; Card. Bona, *Rer. Liturg., lib. I, cap. XXV.*

quem concilia particularia citata a Card. Bona, *Rer. Liturg., lib. I, cap. XXV, n. 1*, reprehendunt. Idem dicatur de calicibus marmoreis et corneis. Potius, urgente necessitate, calices vitrei adhibiti fuerunt, ut exempla a Card. Bona, *l. c.*, relata probant. Ceterum ipsis persecutionum temporibus aderant calices aurei vel argentei, qui aliquando lapidibus etiam pretiosis ornabantur (1). Tandem usus calicum ex pretioso metallo aut saltem ex stanno positivis legibus postea firmatus fuit.

742. Concilium enim Rhemense, *can. 6* relato in *can. 15, dist. 1, De consecr.*, in Decreto, ita statuit : « Ut calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De aere aut auricalco non fiat calix, quia ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat. Nullus autem in ligneo aut vitreo calice praesumat Missam cantare ». Hic canon non potest habere nisi vim legis particularis ; sed idem pro tota Ecclesia *Rubricae Missalis* rursus praescribunt. Nam in prima parte, *De ritibus servandis in celebratione Missae privatae, I, n. 1*, haec leguntur : « Deinde praeparat (sacerdos) calicem (qui debet esse vel aureus vel argenteus aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam et simul cum patena itidem inaurata, ab episcopo consecratus)... » Et in parte secunda, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus, X, n. 1* : « Si non adsit calix cum patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea vel argentea vel stannea, non aurea vel vitrea ». Idem postea repetierunt plures RR. PP. Ita Benedictus XIV in const. *Etsi pastorali, VII Kal. Junii 1742*, pro Italo-Graecis, § *VII, n. 20*, haec habet : « Unusquisque sacerdos in aureo vel argenteo solum aut saltem stanneo calice sacrificet... ». Haec eadem verba jam adhibuerat Innocentius IV in epist. *Sub catholicae*, data ad episcopum Tusculanum, Apostolicae Sedis legatum, die *6 Martii 1254*.

743. Ex dictis apparet in praesenti Ecclesiae disciplina circa materiam calicis haec statuenda esse :

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. I, cap. IV, n. 4 sequ.* ; Bingham, *Ant. Ecc., tom. III, pag. 241* ; Card. Bona, *l. c.*

De regula generali saltem calicis cuppa debet esse ex auro vel argento. Quamvis vero maxime conveniens sit ut integer calix ex auro vel argento constet, tamen illicitum haud est calice uti cujus stipes et basis est ex alia materia decenti et apta (1). Porro calicis cuppa argentea debet esse inaurata, saltem quoad eam partem quae sanguinem et corpus D. N. J. C. tangit. Id aperte statuunt Rubricae Missalis supra citatae, et confirmat universalis Ecclesiae usus, licet S. Alphonsus, *VI, n. 370, dub. 3°*, cum Tournely et De Lugo, levem tantum obligationem admittat. Haec omnia jus commune constituit ob maximam quae debetur augustissimo sacrificio reverentiam.

744. In casu paupertatis toleratur calicis cuppa stannea sed inaurata, ut supra. Cum enim paupertas non permittat metalla pretiosa, Ecclesia tolerat stannum, quod metallum non est quidem pretiosum, sed nec porosum est, nec fragile, nec aerugini obnoxium, et insuper inauratione potest aliquo modo nobilitari. Haec autem tolerantia ita limitatur ad casum paupertatis ut, hoc cessante, cuppa stannea prius adhibita amplius adhiberi non possit et in auream vel argenteam sit commutanda (2).

De jure communi non videtur ullatenus necessaria licentia Sedis Apostolicae ut in casu paupertatis usus stanni deaurati in calice licitus sit. Id aperte docet Benedictus XIV in const. *Impositio Nobis, IV Kal. Aprilis 1751*. Nam cum missionarii in Russia Polonica degentes inter alia petiissent ut calicibus stanneis uti possent, praesertim in itineribus, sapientissimus Pontifex in § *3* haec habet : « Porro quod attinet ad calices stanneos, omissis iis quae repeti possent ex priorum Ecclesiae saeculorum memoria, cum scilicet et lignei et vitrei calices in altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum est a Nobis in tractatu *De sacrificio Missae*...., nullum generale decretum proferri potest quo vel hodie vetitum sit hujusmodi calicibus e stanno confectis

(1) De Albertis, *op. cit. cap. IV, n. 57* ; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXXI, sect. VII, dist. 2* ; Layman, *Theol. Mor., tract. V, cap. VI, n. 12*.

(2) De Albertis, *l. c., n. 52 sequ.* ; S. Alphonsus, *l. c.*

in Missa uti, si ecclesiarum vel sacerdotum paupertas tanta sit ut majoris pretii vasa comparari nequeant ; quin imo in *can. Ut calix, De consecrat., dist. 1*, haec expressa verba leguntur : *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat*. Et quidem ad comprobandam asserendamque hujusmodi Ecclesiae indulgentiam plura leguntur apud S. Thomam, *3 p., q. 83, a. 3, ad 6um*, aliosque scriptores de hoc disciplinae capite agentes : Quartus..... ».

Obstare videtur responsio S. C. de Prop. Fide dici *16 Jan. 1792* ; nam proposito dubio : « Faut-il demander pour les missionaires du Sutchuen la faculté de celebrer avec des calices et patènes d'étain qui ne seraient pas même dorés » ; S. C. reposuit : « Affirmative ad normam constitutionum s. m. Benedicti XIV *Etsi pastoralis* (*1742*) pro Italo-Graecis, et *Imposito Nobis* (*1751*) pro sacerdotibus Polonis Latini ritus ». Et deinde Cardinalis Borgia, Pro-Praefectus ejusdem S. C., auctoritate Pii VI, concessit die *24 Aug. 1799*, Vicariis Apostolicis Tunkini Occidentalis, Cocincinae et Siami, ac Superiori Missionum Malabarensium in ora Coromandalica eorumque missionariis ac sacerdotibus facultatem celebrandi in calicibus patenisque stanneis, quae die *15 Jan. 1795* jam concessa fuerat missionariis Sutchuen. Similis facultas *die 6 Junii 1817* concessa fuit, ad petitionem moderatorum Seminarii Parisiensis Missionum ad exteros, missionariis tum in Sinis et regnis adjacentibus, tum in Indiis Orientalibus (1).

Sed haec aliaque similia indulta non probant necessariam esse Sedis Apostolicae indulgentiam ut in casu paupertatis stanneum calicem *inauratum* adhibere valeamus ; nam relatis indultis permissus est usus calicis stannei etiam non inaurati qui jure communi certe vetatur. Pariter putamus jure communi nec episcopi licentiam esse necessariam ad adhibendum in casu necessitatis stanneum calicem inauratum, cum ipsum jus commune id permittat (2). Facile au-

(1) Collectanea Parisiensis, *n. 428*.

(2) De Alberlis, *l. c., 50*, admittit episcopalis licentiae necessitatem, citatus Juvenin, *Theol. Mor., tom. 1, De sacram. Euchar., cap. 11, a. 1o*.

tem concedimus episcopum, ne sub inopiae praetextu stannum auro et argento pro cujusque libito subrogetur, posse pro sua dioecesi legem ferre, ut nemo calices ex stanno adhibeat sine sua licentia; quae lex justa foret, sed deinde episcopus, verificata paupertate, licentiam denegare non possot.

745. Calices ex alia quacumque materia adhiberi nequeunt jure communi. In cit. *can. 15, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, prohibetur aes et aurichalcum, *quia ob vini virtutem aeruginem parit quae vomitum provocat.* Cardinalis De Lugo, *De Euchar., disp. XX, sect. IV, n. 90*, cum aliis putat licere calicem ex aere aut aurichalco inaurato quia tunc cessat ratio allata. Huic sententiae minime subscribimus, quia jus commune permittens pro casu paupertatis stannum inauratum, implicite prohibet alias materias etiam inauratas; et ideo aliis materiis stannum praetulit quia stannum habet qualitates quas supra indicavimus, quaeque aliis materiis non conveniunt, e. g., non est aerugini obnoxium, pronti est aes, aurichalcum, cuprum, plumbum. Accedit responsio S. R. C. in *Romana, 16 Mart. 1876* (n. 5658), ubi ad dubia: « 1° An fabricari possint calices pro sancto sacrificio Missae, quorum cuppae sint ex metallo, aurichalco, vel cupro confectae; 2° An hujusmodi cuppae, etsi inauratae, licite consecrari queant ab episcopis; 3° An tolerari possit quod ecclesiae quae praedictos calices jam habent, eorumdem usum valeant retinere »; S. C. censuit: « Ad 1um: Serventur rubricae; Ad 2um: Provisum in primo; Ad 3um: Abusum esse interdicendum, congruo tamen assignato tempore ut de aliis calicibus provideatur ». Hoc decretum confirmatum fuit in *Albinganen., 28 Maii 1877* (n. 5695) et in *S. Hippolyti* quam habes *n. 748*. In eodem *can. 15* expresse etiam prohibetur lignum, quia ut observat Glossa, *l. c., v. ligneo*, lignum porosum est et ideo imbibitio sanguinis timeri potest (1); et *vitrum*, quia, ut notat eadem Glossa, *v. vitreo*, fragile est et immineret periculum effusionis. Idem repetas de aliis materiis,

(1) Vide etiam *can. 44 ejusd. dist.*

e. g., de lapide, cornu, plumbo, etc., quae omnes pariter jure communi excluduntur.

746. Recentioribus temporibus Sedes Apostolica permisit calices ex aere aluminii, italice *bronzo di alluminio*, dummodo nonnullae conditiones serventur. Nam cum fieri coepissent calices ex aluminio sive puro sive aliis metallis commixto, episcopus Molinensis a S. R. C. expostulavit num hujusmodi calices, « attenta ipsorum pulchritudine ac soliditate, nec non paupertate ecclesiarum ruralium, praesertim in Gallia, adhiberi possint in sacrosancto Missae sacrificio ». S. C. reposuit die *1 Septembris 1866* : « Nihil esse innovandum » (1). Proinde implicite declaravit hos calices prohiberi jure communi, cui non esse derogandum censuit. Revera, ut exponit Consultor, cujus votum in compendium redactum refertur in *Actis S. Sedis*, *vol. II*, *pag. 232 sequ.*, aluminium purum inaurari non potest, et aluminium mixtum aerugini est obnoxium et insuper inaurationem facile amittit, summo praesertim cuppae ore, et praesertim si more galvanico facta sit.

747. Acquievit huic decisioni eques Paulus Morin, praedicti metalli fabricator. Reputans vero calices a se confectos fuisse exclusos quia non satis consultum erat dignitati tanto sacramento debitae, de memorati episcopi Molinensis consensu supplicem Romano Pontifici porrexit libellum ut calices ex aluminio aliis metallis commixto admittere dignaretur in celebratione Missae, si cuppae calicum in tota superficie argento prius et deinde auro in partibus a Rubrica requisitis obducantur. Cum vero Romanus Pontifex, rem sibi definiendam reservans, voluerit ut super hac nova propositione votum a memorato Consultore conficeretur; cumque hic Consultor votum affirmativum edidisset, nonnullis tamen sub conditionibus in voto ipso indigitatis, Romanus Pontifex die *6 Decembris ejusd. anni* permisit calices sic confectos adhiberi sub forma et conditionibus in adnexa instructione praescriptis. Hanc instructionem referunt *Acta S. Sedis*, *vol. VI*, *pag. 590*.

(1) Hoc decretum in collectione Gardellinıana relatum non est ; sed de ejus authenticitate dubitari nequit.

748. Ad patenae materiam quod attinet, auctores passim docent patenam, utpote calicis accessoriam, debere esse ejusdem materiae ac calicem et praecise calicis cuppam ; idque aperte tradit concilium Rhemense in canone relato *n. 742*. In *Senen., 18 Dec. 1877* (n. 5715), ad dubium : « 5° An patena debeat esse ejusdem materiae ac cuppa calicis... » ; S. R. C. reposuit : « Ad 5um : Detur decretum in una *S. Hippolyti, diei 31 Aug. 1807, ad dubium 6um* ». In hac autem (n. 5386) consulta « an permitti possit calix vel patena pro offerendo sacrosancto Missae sacrificio ex cupro bene deaurato pro Ecclesiis pauperibus » ; rescripsit : « Ad 6um : Serventur Rubricae ». Jam vero animadvertimus relatas Rubricas Missalis (*n. 742*) distinguere inter calicem et patenam ; et tradere calicem debere esse aureum vel argenteum aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam ; patenam vero debere esse inauratam, quin materiam indicent. Et profecto quisque videt eamdem rationem non esse pro calice ac pro patena. Proinde sine cunctatione putamus sufficere, ut patena, sicuti pyxis seu ciborium, de quo agemus in *cap. IX, art. II*, sit ex materia *solida et decenti*, sed inaurata. Hinc expedit quidem ut patena sit ejusdem materiae ac calix et praecise calicis cuppa, sed tandem potest quoque esse materiae inferioris ; e. g., potest esse ex stanno inaurato, etiam extra casum necessitatis, etsi calix sit aureus vel argenteus inauratus ; item ex cupro inaurato ; non vero ex ligno, vitro, cornu, aere, etc., cum eae materiae non sint solidae ac decentes. Praxis, etiam in Urbe, haec confirmat. Ut vero patena argentea, stannea, etc., *non inaurata* adhiberi valeat, necessarium est indultum apostolicum (*n. 744*). Liber Pontificalis narrat Zephyrinum Papam constituisse « ut patenas vitreas ministri ante sacerdotes portarent, dum episcopus Missam celebraret » ; quod Card. Bona, *l. c.*, intelligit de patenis ministerialibus pro distribuenda populo communione.

749. Forma calicis offertorii cum patena semper eadem fuit quoad substantiam, dum calices *ministeriales* erant ansati ; ansam scilicet ex utraque parte habebant ut sacerdotes et potius diaconi populum confirmantes facilius pos-

sent eosdem sustinere. Cuppa calicis offertorii hodie solet esse circularis, sed antiquitus fuit etiam quandoque angulata. Gemmis etiam ornabatur calix offertorius, ut suppa diximus, sicut et hodie ; imo quandoque adnexa habebat parva tintinnabula quae attentionem fidelium excitabant, quaeque in desuetudinem abierunt. In Galliis calix habere solet in basi crucem quae indicat partem calicis qua sacerdos sanguinem sumpsit ; hic usus valde laudandus est, licet non sit ubique receptus. Non prohibetur in parte exteriori calicis subter cuppam et in parte inferiori patenae sculpere sacras imagines ; quod et antiquitus fieri consuevisse, vide apud De Albertis, *op. cit.*, *cap. V*, *n. 10*, *et n. 17*. Pariter non prohibetur in basi calicis apponere nomen et stemma donatoris ; de qua re repetenda sunt quae diximus *n. 656 sequ.* Ceterum indifferens est quod calix sit tornatilis, vel cuppa calicis sit stabiliter basi affixa.

750. Calix debet esse consecratus, antequam cum eodem Missa celebrari possit : idemque repetas de patena. Id patet ex rubrica Missalis relata *n. 742*. Hic usus est antiquissimus ; ejusque meminit etiam Innocentius III in *cap. un.*, *De sacra unctione*, § *ult.* Hac consecratione calix et patena in usum sacrum convertuntur ; et S. Thomas *p. 3*, *q. 83*, *a. 3*, docet : « Consecrationes adhibentur his rebus quae veniunt in usum hujus sacramenti tum propter sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sacramenti, qui ex passione Christi provenit... ». Potestas consecrandi calices et patenas competit episcopo et non valet simplici sacerdoti committi, nisi a Romano Pontifice. Hujus indulti exempla vide in Collectanea Parisiensi, *n. 28*, *31*, *413*, *421* ; semper autem additur clausula ut consecratio a presbytero fiat *sacris oleis ab episcopo benedictis*, et aliquando aliae limitationes apponuntur, et sacerdos indulto uti nequit nisi in favorem suarum ecclesiarum. Hanc potestatem per se non habent abbates, nec protonotarii apostolici, nec alii pontificalia ex privilegio exercentes charactere episcopali non insigniti (*n. 677 sequ*). Ceterum episcopus consecrans calices et patenas non videtur exercere pontificalia, si absque insignibus pontificalibus hanc consecrationem peragit, ideoque

non videtur comprehendi sub decreto Conc. Trid. *sess. VI, cap. V, de ref.* Sententiam quae retinet calicem patenamque consecrari ipsa Missae celebratione, cum S. Alphonso, *VI, n. 380*, putamus non satis tutam. Equidem haec sententia confirmari videtur ex responso S.R.C. in *Nullius Fulden., 22 Sept. 1703, ad 3um* (n. 3663), sed fortasse in casu fuit benevola dispensatio, potius quam doctrinalis responsio.

751. Ritus consecrationis calicis et patenae habetur in Pontificali Romano, ejusque essentia consistit in unctione cum sacro chrismate facta ab episcopo cum relativis precibus. In *Policastren., 14 Jun. 1873* (n. 5555), ad dubia : « 1° Utrum valida sit consecratio calicis et patenae si episcopus verba quidem proferat, unctionem etiam sacri chrismatis adhibeat, sed ad verba: *Per nostram benedictionem*, crucem, prout in Pontificali signata habetur, super calicem et patenam manu non producat ; 2° Utrum de essentia consecrationis ejusdem sit non tantum unctio olei, sed etiam aspersio aquae benedictae » ; S.R.C. reposuit : « Ad 1um et 2um : Servetur rubrica Pontificalis Romani ». Et in alia *Policastren., 1 Dec. 1882* (n. 5856), proposita fuerunt S.R.C. sequentia dubia : « 1° In consecratione patenae et calicis debetne pontifex pollice sancto chrismate inuncto binas cruces, vel unam tantum signare super patenam et calicem, interim dicens : *Consecretur* et *sanctificetur* ; 2° Et quatenus affirmative ad primam partem, possuntne haberi valide consecrati calices cum patenis super quibus unum tantum crucis signum cum pollice impressum fuit ». S. C. reposuit : « Ad 1um : Affirmative ad primam partem : negative ad secundam. Ad 2um : Affirmative ». Tandem in *Pastopolitana, 12 Sept. 1884* (n. 5923), ad dubium : « Cum aliquorum calicum cuppae adeo altae sint ut pollex earumdem fundum nequeat pertingere, quaeritur utrum in consecratione calicis essentiale sit efformare cum sancto chrismate crucem a labio ad labium ita ut centrum crucis sit prorsus in ipso fundo cuppae, an sufficiat ungere quomodo possit, quousque pertingat pollex, sive etiam ungere liceat longiori digito, nempe indice » ; S.R.C. reposuit : « In casu serve-

tur quantum fieri potest rubrica Pontificalis Romani ».

752. Calix et patena possunt multipliciter suam consecrationem amittere. In primis proposito dubio : « An calix consecratus et manens integer censendus sit suam amisisse consecrationem ex eo solo quod fuerit ab haereticis profano usui, v. g., ad bibendum in mensa, adhibitus » ; Qualificatores S. Officii responderunt an. 1674 : « Remanere execratum » (1). Praeterea in *Leodien.*, *14 Jun. 1845* (n. 5011), ad dubium : « Utrum calix et patena suam amittant consecrationem per novam deaurationem et sic indigeant nova consecratione » ; S. R. C. respondit : « Affirmative ; amittere nimirum et indigere juxta exposita ». Vide etiam *Strigonien.*, *9 Maii 1857*, *ad 1*[um] (n. 5232). Quid si, e contrario, inauratio calicis et patenae perierit ? (2) Ex Rubricarum praescripto (*n. 742*) inauratio necessaria est pro licita Missae celebratione ; consequenter si inauratio totaliter disparuerit, non poterit cum tali calice ac patena licite Missa celebrari ; proinde calix et patena debent rursus inaurari, ac postea rursus consecrari. Haec vera non esse de ecclesiae benedictione et consecratione, vide *n. 182* ; Ecclesia id positive constituit pro calice ac patena ob reverentiam erga corpus et sanguinem D. N. J. C. Quod si deauratio parva sit, adeo ut materia ita inaurata potuisset ab initio consecrari, consecratio non cessat. Tandem calix amittit suam consecrationem si notabiliter frangatur in cuppa, vel si in fundo perforetur, vel si cuppa calicis fixi seu non tornatilis separetur a basi. Putamus et patenam suam amittere consecrationem, si frangatur notabiliter, aut perforetur in medio.

753. 2° *Corporale* est linteolum illud in medio altaris subtus calicem et patenam ponendum, in quo corpus Christi D. consecratur ; unde nomen desumpsit. Appellatur etiam

(1) Collectanea Parisiensis, *n. 422.*

(2) Sententia communis tenet hoc in casu non cessare consecrationem, quia totus calix totaque patena consecrata est, et non tantum superficies aurea. S. Alphonsus, *VI, n. 370,* qui hanc sententiam habet *probabiliorem* ; De Lugo, *De euchar., disp. XX, n. 94 ;* Scavini, *Theol. Mor., tom. III, n. 189,* aliique. Plures censent consecrationem in casu cessare, quia consecratio inhaeret superficiei aureae ; Azorius, Paludanus, etc. apud Escobium, *lib. 21, n. 468.* Nos alio modo quaestionem solvimus.

palla vel *palla corporalis*, et significat sindonem quo Christus D. e cruce depositum fuit involutum, sicuti calix sepulchrum et patena lapidem revolutum ad ostium monumenti exprimit. Ejus usus in Missae sacrificio esse antiquissimum, ipsa rei natura suadet (1). Antiquitus ut panes continere posset necessarios pro multitudine communicantium, corporale erat longius et latius ac totam altaris aream tegebat, uti colligitur ex Ordine Romano ubi duorum diaconorum opera requiritur ad illud explicandum. Hodie brevius est, ita tamen ut calicem, patenam et ciborium continere valeat. Rubrica Missalis, *Ritus servandus in celebratione Missae*, *I*, *1°*, tradit : « Quod (corporale) ex lino tantum esse debet nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab episcopo vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum ». De corporalium materia vide *n. 687* ; ex quo patet corporalia, non obstante Rubrica, etiam ex cannabe confici posse. Praeterea extremitates corporalis possunt utique fimbriis ornari (quod et praxis confirmat), et quidem juxta plures auctores (2) etiam ex serico vel auro aut argento ; nec prohibentur in una extremitate litterae indicantes ecclesiam ad quam corporale pertinet. Non est necesse ut in una corporalis parte habeatur crux rubra ; sed pluribus in locis habetur, indicans partem quae ponitur ante celebrantem. Celebrare autem Missam sine corporali est mortale ; sed necessitas gravis excusat, e. g., ne populus careat Missa die festo, aut infirmus viatico (3).

754. 3° *Palla* est recentioris institutionis ; quando enim corporale majoris erat extensionis, calix corporali cooperiebatur, et ideo palla est parvum quoddam corporale ab antiquo decisum. De pallae materia vide *n. 687*. In *Congregationis Montis Coronae*, *22 Jan. 1701* (n. 3575), proposito dubio : « 6° An in sacrificio Missae uti possit palla a parte superiori drappo serico cooperta » ; S.R.C. reposuit : « Ad 6um : Negative ». Sed cum usus, praesertim in Galliis, contrarius esset, fertur S. R. C. die *10 Jan. 1852*, decla-

(1) Card. Bona, *l. c.*, *n. 11.*
(2) De Albertis, *op. cit.*, *cap. IV*, *n. 150*, cum Suarez et Tournely.
(3) S. Alphonsus, VI, n. 387 : *Certum est apud omnes.*

ravisse : « Non obstantibus decretis a S. R. C. editis, potest in sacrificio Missae uti palla a parte superiore drappo serico cooperta, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat et pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa » (1). Hinc usus universalis permansit in Galliis. Minime prohibetur ut palla duplici tela constet et interius ponatur charta crassa (*carton*), ut palla extensa sit et calicem melius cooperiat. Sicut corporalis, ita pallae extremitates possunt opere phrygio ornari probabiliter etiam ex serico, auro aut argento, et in una extremitate apponi litterae indicantes ecclesiam ad quam palla pertinet. Deficiente palla, aut si per horae quadrantem expectari deberet, poterit loco ejus adhiberi corporale plicatum, vel purificatorium, vel bursa, sed melius corporale. Celebrare sine palla cum calice discooperto, est mortale, quia exponitur sacramentum periculo irreverentiae, si aliquid in calicem decidat. Usum duplicis pallae, quarum una calix, altera hostia cooperitur, concessit Paulus IV Theatinis; unde oritur quaestio num sacculares regularesque sacerdotes in Theatinorum ecclesiis eodem privilegio uti possint, nonnullis denegantibus, aliis affirmantibus, imo nonnullis putantibus id licere etiam extra Theatinorum ecclesias absque privilegio apostolico.

755. Corporale et palla debent benedici et una simul benedicuntur, ut tradit Rubrica Missalis relata *n. 753*. Formula hujus benedictionis habetur in Pontificali et Rituali Romano ; ceterum de hac benedictione repete quae diximus *n. 709 sequ.* In *Briocen., 4 Sept. 1880* (n. 5718), ad dubium : « 3° Docent auctores, quod palla sit benedicenda simul cum corporali et non aliter. Quare quaeritur : 1° An palla possit benedici separatim a corporali, e. g., quando corporale est jam benedictum, et adest nova palla seu adsunt novae pallae absque corporali benedicendae ; 2° Quando autem benedicitur una palla simul cum unico corporali, quaeritur an orationes praescriptae recitari debeant numero singulari, veluti si unum tantum adesset corporale benedicendum ; 3° Tandem si plures adessent pallae benedicendae

(1) Scavini, *Theol. Mor., tom. III, n. 189* ; hoc decretum in collectanea Gardelliniana non reperitur.

simul cum uno tantum corporali, vel plura corporalia absque vel simul cum una vel pluribus pallis quaeritur an minister benedictionis uti debeat numero plurali » ; S. R. C. reposuit : « Ad 3um : Ad primam quaestionem, affirmative. Ad secundam et tertiam, formula recitanda, prout jacet ». Benedicto corporali cessat, si corporale ita rumpitur ut nulla pars sufficiat ad continendum calicem, patenam et ciborium ; non cessat si corporale perforatur etiam in medio, sed tunc necesse est forum occludi. Haec et de palla repetantur. Celebrare cum palla non benedicta, probabiliter est leve, a qua rationabilis causa excusat (1). E contrario doctores tradere solent esse peccatum mortale si Missa celebratur cum corporali non benedicto (2). Horum auctoritati non contradicere non audemus, sed saltem liceat putare peccatum in casu minus esse et necessitatem ab eo facilius excusare.

756. *Le Purificatorium* adhuc recentioris est institutionis. Eo abstergitur calix, praeter sacerdotis labia et digitos. Hoc Graeci faciunt spongia adhibita (*n. 683*), qua ideirco in sacrificio incruento utuntur, quod ea fuerit pars quaedam et instrumentum cruenti sacrificii (3). Purificatorium esse debet ex lino vel ex cannabe (*n. 687*), et non benedicitur. Nam in *Tuden.*, *7 Sept. 1816* (*n. 4526*), propositis dubiis : « 26° An purificatorium benedici debeat ; Et quatenus affirmative : 27° Quaenam benedictio adhibenda » ; S. R. C. reposuit : « Ad 26um : Negative. Ad 27um : Provisum in casu praecedenti ». Si purificatorium facile haberi non potest, probabiliter licet sine eo celebrare et ejus loco adhibere strophiolum mundum quod postea ad profanum usum non adhibeatur (4). S. Carolus Borromaeus in concilio provinciali III praecipit ut in medio purificatorii pingatur crux.

757. Quaeritur quinam calices et patenas consecratas ac corporalia, pallas, purificatoria tangere possit. In *can. 25, dist. 21*, in Decreto, Soter Papa prohibet ne sacratae Deo

(1) S. Alphonsus, VI, *n. 388*.
(2) S. Alphonsus, *l. c.*
(3) Goar, *Euchologium Graecorum*, *p. 151*.
(4) S. Alphonsus, *VI, n. 389*.

foeminae vel monachae sacra vasa vel sacratas pallas (scilicet corporalia, Glossa, *l. c.*, *v. sacratas pallas*) tangant. Quod attinet ad vasa sacra, Benedictus XIV, *Inst. Eccl. XXIV, n. 18,* haec habet: « Certum... est (licet mitiores recentium scriptorum opiniones sequi velimus) sacerdotibus tantum ac diaconis potestatem fieri ut sacra vasa contingant in quibus Christi corpus et sanguis habeantur; subdiaconis tribuitur, dum altari ministrant, calicem et patenam tangere ubi Christi corpus et sanguis non fuerint; acolythis autem extra altaris ministerium eadem facultas traditur, cum vasa sacra ad sacrificium necessaria praeparare ipsi debeant. Tandem diuturna consuetudine factum est ut ordinati omnes et qui sola tonsura praediti sunt, si aliqua causa intercedat, sacra vasa, dum vacua sunt, extra altaris ministerium contingant ». Praeterea calices et patenas vacuas tangere possunt laici regulares sacristae ex privilegio a Callixto III et Sixto IV concesso; item moniales sacristae cum votis solemnibus ex communicatione privilegiorum; laici oblati sacristae et religiosae sacristae congregationum religiosarum cum votis simplicibus et omnes qui in habitu clericali ecclesiae deserviunt, aut etiam sine habitu clericali, ex consuetudine, cum causam legitimam tangendi ex ipsomet sacristae officio habeant. Qui, praeter istos, calices et patenas vacuas tangunt, veniale peccatum committunt aut nullum, si adsit rationabilis causa, secluso scandalo et contemptu (1). Haec repetantur etiam de corporalibus, ut satis constat ex cit. *can. 25*. Gavantus, *l. c.*, ex eodem canone deducit prohibitum esse laicis sacratisque foeminis et pallas tangere, sicut corporalia; sed jam monuimus cum Glossa verba canonis *sacratas pallas* indicare corporalia; et recentiorum pallarum quae corpus aut sanguinem D. N. J. C. non tangunt, eadem ratio non est: unde prohibitio, quoad pallas, certa non est, licet in praxi servari soleat. Quoad purificatorium haec prohibitio nullo jure probatur; sed nihilominus in praxi servatur, saltem in aliquibus locis. Alia vasa sacra (vacua) linteamina et vestes omnes tangere possunt. Porro

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 382.*

prohibitio respicit tantum corporalia post usum in Missae sacrificio, non autem corporalia nondum adhibita post benedictionem et lotionem (1); idemque repetas de palla et purificatorio, si ad haec linteamina prohibitionem extendere velis. Pariter putamus hanc prohibitionem nec afficere calicem patenamque, si post consecrationem numquam pro Missae celebratione inserviverunt. Tandem prohibitio cessat, cessante consecratione vel benedictione.

758. Corporalium, pallarum et purificatoriorum prima lotio post usum fieri debet a sacerdote vel diacono vel subdiacono, et aqua lotionis mitti debet in sacrarium. Hodie tamen ex consuetudine fit etiam a tonsuratis. Si primam lotionem faceret laicus, vel si aqua lotionis non mitteretur in sacrarium, sed in alium locum, etiam ceteroquin decentem, non posset a veniali excusari. In *Molinen.*, *12 Sept. 1857* (n. 5251), proposito dubio: « 30° Utrum moniales seu piae foeminae, vitam communem sub regula degentes, possint cum licentia Ordinarii abluere corporalia, pallas et purificateria »; S. R. C. reposuit: « Ad 30um: Negative ». Haec quae diximus de corporalibus, pallis et purificatoriis, aliis linteaminibus sacris, e. g., amictis, manutergiis, etc., applicari non debent.

759. 5° *Velum* quo calix tegitur, *peplum* etiam et *sudarium* appellari solet. Ejus institutio est perantiqua. Debet esse materiae et coloris paramentorum. Potest habere crucem in medio, et in omni extremitate auro vel argento ornari. Forma est quadrata. Gavanti, *part. II, tit. I, litt. n*, putat ex canone apostolico *72* antiquitus velum calicis solitum fuisse benedici una cum aliis vestibus sacerdotalibus. At haec benedictio nullatenus est necessaria (2); insuper Pontificalis et Ritualis formula benedictionis indumentorum in genere velo calicis non videtur aptari posse, et ideo velum calicis ad summum benedici ab episcopo poterit formula Pontificalis pro indumentis in specie. Non est grave, remoto scandalo, Missam celebrare sine velo cali-

(1) Gavantus, *p. II, tit. I, litt. q.*

(2) De Alliertis, *op. cit., cap. VI. n. 162*; Cavalieri, *Comment. ad decreta S. R. C., tom. IV, cap. XI, n. 12.*

cis, et rationabilis causa ab omni peccato excusat. Graeci tribus velis sacra tegunt ; uno discum, altero calicem, tertio eoque majori utrumque simul (1).

760. 6° *Bursam* in qua corporale reconditur, Gavantus, *p. II, tit. I*, institutam refert a concilio Rhemensi *can. 5*. Idem auctor docet in casu necessitatis, remoto scandalo, omitti posse absque ullo peccato. In parte saltem superiori sit materiae et coloris paramentorum ; intus tela serica vel alia candida circumvestiatur. In medio superioris saltem partis habeat intextam crucem vel aliam sacram imaginem. Formae sit quadratae. De illius benedictione repete quae de velo calicis diximus (2). In *Ordinis Capuccinorum, 19 Jan. 1692* (n. 3262), proposito dubio : « 2° An liceat sacerdotibus Capuccinis celebrare Missam absque usu bursae corporalis, uti requirit ritus S. Romanae Ecclesiae » ; S.R.C. reposuit : « Ad 2um : Omnino negative ».

761. 7° *Urceoli* seu *ampullae*, tamquam accessoria, habent *cochlear* in aliquibus locis, *pelviculam* et *manutergium*. Urceolorum originem antiquam esse ipsa rei natura suadet. In priorum saeculorum disciplina erant *amulae*, idest majores amphorae, quibus continebatur vinum a fidelibus oblatum ; diaconus vini partem in calicem immittebat pro communione sacerdotis aliorumque ; immittebat, inquam, per *colatorium*, ut vinum magis defaecaretur. Etiam hodie prohibitus non est usus parvi cochlearis ad vinum seu potius aquam immittendam in calicem, ut censuit S.R.C. in *Baltimoren., 6 Febr. 1858, ad 4um* (n. 5256) ; et de facto fere omnes ecclesiae in Germania cochleari utuntur. Ampullae, juxta Rubricam, ex vitro sint, ut vinum ab aqua distingui valeat ; non igitur ex auro, argento, stanno aut aurichalco. Attamen consuetudo adhibendi ampullas aureas vel argenteas tolerari potest. Nam in *S. Jacobi de Chile, 28 Apr. 1866* (n. 5367), propositis dubiis : « 1° An uti liceat in Missae sacrificio ampullis aureis vel argenteis. Et quatenus negative : 2° An consuetudo quae invaluit prorsus improbanda sit in casu » ; S.R.C. reposuit : « Tolerandam esse consuetudinem ».

(1) Card. Bona, *l. c., n. 11.*
(2) De Albertis, *op. cit., cap. VI, n. 163.*

Idem putamus dicendum de ampullis stanneis, etiam non inauratis ; non vero de ampullis ex aurichalco, utpote aerugini obnoxio. *Pelvicula* est ad ampullas continendas et ad manus lavandas, quoties in ipsa actione Missae opus est : ejus originem, sicuti manuum ablutionem in Missae actione, esse perantiquam, vide apud Card. Bona, *l. c.*, *n. 5*. Tandem *manutergium* ad sacerdotis manus abstergendas non benedicitur ; ex lino sit vel cannabe et nil prohibet quominus extremitates fimbriis ornentur. In casu necessitatis, si ampullae, pelvicula, manutergium desint, ex profanis congruenter mundis substituantur, quae deinde priori usu reddi quoque possunt.

762. Episcopi et Cardinales, ad abluendas manus, utuntur urceolo argenteo et pelvi argentea ; quod aliis non licet, nisi privilegium a Sede Apostolica obtinuerint. Hoc privilegium pro Missis privatis non competit praelatis inferioribus (*n. 677 sequ.*). Exinde sequi videtur hoc privilegium eisdem competere pro Missa pontificali. At protonotarii apostolici aliique omnes usum *insignium pontificalium* habentes hoc privilegio non gaudent neque pro Missa solemniter celebrata (*n. 678, 679*).

763. 8° *Thuribulum cum navicula et cochleari*. Sicut thuris usus ex apostolica traditione et Mosaicae legis exemplo receptus in Ecclesia fuit, ita et cujusdam thuribuli usus, ut ostendit Card. Bona, *l. c.*, *n. 9*. Adhiberi autem debet in sacris caeremoniis vel solum et purum thus, vel si aliquid admisceatur, quantitas thuris longe superare debet, ut monet *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XXIII, § III*. Thuribulum habet quadruplicem vel triplicem catenulam et operculum. Non benedicitur, nec forma et materia est determinata.

764. 9° *Instrumentum pacis*, quod et *osculatorium* vocant, quia ipsum deosculando pacem in Missarum solemniis deferri serius consuevit (*n. 920*). Solet esse argenteum, sed alia materia decens non prohibetur. Aliquo piae caelaturae ornatu sit insignis, puta imagine Crucifixi vel Pietatis expressa ; a tergo habeat ansam ejusdem materiae. Nec benedicitur nec consecratur.

765. 10° *Parva campanula* monet fideles de praecipuis sacrificii eucharistici partibus. Juxta Rubricas campanula bis tantum pulsatur, nempe ad *Sanctus* et in elevatione hostiae et calicis; sed in aliquibus regionibus saepius pulsatur, ad offertorium, ad *Sanctus*, paulo ante consecrationem, in elevatione, ante *Pater noster*, et ad *Domine non sum dignus*. In *Ord. Min.*, *14 Maii 1856* (n. 5224), proposito dubio: « 9° In istis ecclesiis Peruvianis est communis consuetudo pulsandi campanulam a ministro in Missa, non solum ad verba *Sanctus* et in elevatione Sanctissimi, sed etiam ad verba *Domine non sum dignus* ante sumptionem, et quoties administratur communio fidelibus ad dicta verba: utrum toleranda sit ista consuetudo et sequenda in nostris ecclesiis »; S. R. C. reposuit: « Ad 9um: Tolerari posse ». Pariter tolerari utique potest consuetudo annuntiandi per tintinnabulum accessum sacerdotis ad altare, seu initium Missae, sicuti in Veteri Testamento ingressus pontificis ad altare per tintinnabulum populo innotescebat. In *Marianopolitana*, *18 Julii 1883* (n. 5943), ad dubium: « 12° Utrum Rubrica qua praecipitur campanulam a ministro Missae lectae pulsari, spectet ad oratoria hujusmodi in quibus plerumque solus adest celebrans cum ministro »; eadem S. C. censuit: « Ad 12um: Campanula in Missa pulsanda est etiam in privatis oratoriis ». At obligatio pulsandi campanulam levis est, a qua quaelibet rationabilis causa penitus excusat, e. g., si in ecclesia plura sunt altaria in quibus omnibus eodem tempore Missae celebrantur. Insuper campanula nullatenus pulsatur in Missa a Romano Pontifice celebrata, aut a Cardinalibus, aut in capellis papalibus; etiam *Caeremoniale episcoporum* tintinnabuli non meminit pro Missa pontificali, et Romae, saltem in majoribus ecclesiis, obtinet mos eam non pulsandi, praeterquam in Missis solemnibus pro defunctis, cum gravis organorum sonitus suppleat vices tintinnabuli et populi adstantis excitet devotionem. Pariter campanula pulsari non debet in Missa in aliis altaribus celebrata, si in altari majori Missa aut aliud officium celebratur, nisi altare a majori sit valde distans, ita ut sonus audiri vix possit; item si in altari majori SSmum

Sacramentum est publicae venerationi expositum, ne scilicet fideles campanulae sono distrahantur ; ut declaravit S. R. C. in *Mechlinien., 31 Aug. 1867, ad 12um* (n. 5381), et rursus in *Societatis Jesu, 11 Maii 1878, ad 2um* (n. 5728). In cit. *Ord. Min. S. Francisci de observ.*, ad dubium : « 1° Utrum pulsanda sit campanula quando in choro elevato et sito in extrema parte ecclesiae ubi non videtur celebrans, recitatur officium » ; S. C. reposuit : « Ad 10um : Affirmative ».

§ 3. — *De altaris ornatu.*

766. Rubrica Missalis, *De praeparatione altaris et ornamentorum ejus*, altaris ornatum describit, postquam altare eucharisticum determinaverit. Sufficiet igitur hanc Rubricam referre et explanare.

767. 1° In primis Rubrica praecipit : « Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis ab episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga quae usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata ». Extra casum necessitatis celebrare Missam sine ulla mappa, non excusatur a peccato gravi ; celebrare vero cum duabus tantum, vel cum una tantum, non excedit peccatum veniale. Porro mappae debent esse ex lino vel cannabe (*n. 687*), et benedictae ; formula benedictionis est in Pontificali et in Rituali Romano et de hac benedictione repete quae diximus *n. 709 sequ.* Celebrare Missam cum mappis non benedictis, est leve. Pluribus in locis mappa superior adeo oblonga non est ut ad terram pertingat et hanc consuetudinem servari posse rescripsit S. R. C. (*n. 777*). Usum autem mapparum in altari pro Missae celebratione esse antiquissimum, vide apud Gavanti, *p. I, tit. XX, litt. r.*

768. 2° « Pallio quoque ornetur (altare) coloris, quoad fieri potest, diei festo vel officio convenientis ». Hoc pallium altaris dicitur quoque *antipendium* quia pendet ante altare, seu cooperit anteriorem altaris partem. Materia hujus

pallii non est determinata. Expedit ut in medio ejusdem habeatur crux aliave pia imago. Celebrare autem Missam in altari quod antipendio caret, est leve; et omni culpa vacat, si altare est ex marmore vel satis ex se ornatum. De antipendio altaris ubi SSmum Sacramentum publicae fidelium venerationi expositum est, agemus in *cap. X, art. I.*

769. 3° « Super altare collocetur crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere ». Et paulo post, inter *ritus servandos in celebratione Missae,* agers *de ingressu sacerdotis ad altare, n. 2* : « Cum pervenerit (sacerdos) ad altare..., altari seu *imagini Crucifixi desuper positae* profunde inclinat ». Similia habent tum Pontificale Romanum agens *de consecratione electi in episcopum*, tum *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XII*, ubi postquam commemoravisset candelabra et candelas, statuit: « In quorum medio collocabitur crux ex eodem metallo et opere praealta ita ut pes crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat, cum imagine SSmi Crucifixi versa ad interiorem altaris faciem ». Hinc Benedictus XIV in const. *Accepimus, 16 Julii 1746*, jubet: « Ut nullo modo fiat sacrificium, nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat ut sacerdos ac populus eumdem Crucifixum facile et commode intueri possit et imago non sit ita tenuis et exigua ut ipsius sacerdotis et populi oculos pene effugiat ». Ratio hujus disciplinae est quia valde decet super altare quod calvarii locum tenet, prominere crucem cum Crucifixo, ut sacerdoti et fidelibus sub oculos ponatur sacrificium crucis quod in altari renovatur (1). Haec disciplina est valde antiqua, licet eamdem non obligare sub gravi putent S. Alphonsus, *VI, n. 393* ; De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XX, 76* ; Benedictus XIV, *op. cit., lib. III, cap. XIII, n. 1*, aliique.

770. « Si vero, ait Benedictus XIV in cit. const. *Acce-*

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. I, cap. III, n. 2 sequ.*

pimus, disciplinam Orientalium inspiciamus, Graecis in more positum est, ut ad portam regiam sanctuarii utroque latere imagines Christi D. ac Beatae Virginis et super altare crucem una cum libro sanctorum evangeliorum constituant. In liturgia vero Copto-arabica.... indicitur sacerdoti celebranti ut benedictionem cum cruce populo impertiat, eam deinde osculetur ac diacono tradat qui ipsam super altare collocet. Postremo ritus syriacus Maronitarum eadem prorsus decernit quae in Rubricis Romani Missalis praecipi superius indicavimus ».

771. Ex dictis apparet, satis non esse ut super altare ponatur crux, sed insuper cruci debere inhaerere imaginem D. N. J. C. pictam vel caelatam. Quamquam enim Rubrica Missalis superius relata prius solam crucem commemoret super altare ponendam, tamen deinde nominat imaginem Crucifixi desuper positam : item *Caeremoniale Episcoporum*, *l. c.* Accedit antiqua communisque Ecclesiae consuetudo, quae non solam crucem, sed crucem cum Crucifixi imagine super altare exigit tempore celebrationis Missarum. Benedictus XIV, *l. c.*, addit : « Et profecto initio Ecclesiae cum fideles concitare ad furorem gentiles magnopere timerent, si Christum crucifixum publice adorandum proponerent, crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque incisum vel depictum cruci apponebant Agnum, qui typus amantissimi Salvatoris semper habitus est, ut eo saltem modo Crucifixi imaginem exhiberent. Id conspicitur adhuc in nonnullis hujus Civitatis ecclesiis... ». Equidem in *Aversana*, *20 Dec. 1659* (n. 2018), ad dubium : « 1° An imago SSmi Crucifixi in cruce posita super altare videatur necessario adhibenda in sacrificio » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Satis esse ut impleantur disposita per Rubricas Generales Missalis, *cap. 20, De praeparatione altaris* ; etenim *Caeremoniale episcoporum, cap. X* (potius *XII*) *lib. I*, docet solummodo quo vertenda sit imago, casu quo adsit ». Sensus hujus responsionis videtur esse Crucifixi imaginem in cruce non esse necessariam ; sed ab hac responsione recedendum esse, non est dubium, cum Benedictus XIV, *l. c.*, legem de cruce una cum Crucifixi imagine interpretetur

Ipsa S. R. C. in *Senarum*, *14 Mart. 1707* (n. 3773), ad dubium : « An super altare in quo SSmum Sacramentum expositum est, crux de more collocari debeat » ; reposuit : « Numquam omittendam crucis cum imagine Crucifixi apposita collocationem ». At S. Alphonsus, *l. c.*, non immerito animadvertit Crucifixum in altari non requiri cum tanto rigore quo requiritur crux, cum per solam crucem jam habeatur aliqualis sacrificii cruenti repraesentatio.

772. Ex huc usque dictis colligitur : 1° Crucem et imaginem Crucifixi non debere esse adeo exiguam, ut ipsius sacerdotis et populi oculos pene effugiat, ut ait Benedictus XIV, *l. c.* Hinc in *Dubiorum*, *17 Sept. 1822* (n. 4590), ad dubium : « 8° An et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam crucem vix visibilem vel supra tabernaculum vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit » ; S. R. C. reposuit : « Ad 8um : Reprobandum abusum et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis ; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit crux sita inter candelabra, alia tempore sacrificii apte apponatur interius, sed visibilis tam celebranti quam populo ». Vide etiam responsionem ejusdem S. C. in *Rossanen.* infra citandam. 2° Crucem cum Crucifixi imagine ponendam esse in medio candelabrorum. In *Cuneen.*, *11 Sept. 1847* (n. 5874), ad dubium : « 3° Utrum tolerari possit usus statuendi crucem super throno et in eo praecise loco super quo publicae adorationi in ostensorio exponitur sanctissima Eucharistia ; et quatenus affirmative : Num tolerari possit usus crucem ipsam superimponendi corporali quod expositioni inservit » ; S. C. reposuit : « Ad 3um : Negative in omnibus ». Huic decreto conformis non est praxis quamplurium ecclesiarum tum majorum tum minorum, saltem in Galliis, quae crucem cum Crucifixo collocant non inter candelabra, sed paulo ante super tabernaculum aut etiam in throno ; quam praxim tolerari posse putamus solum in casu, quo crux alibi collocari nequeat. 3° Crucem cum imagine Crucifixi non posse velo celari, excepto tempore passionis. In *Molinen.*, *12 Sept. 1857* (n. 5251), ad

dubium : « 11° An tolerari possit ut tempore Missae et officiorum candelabra altaris, ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel tela permaneant vestita, imò ut et ipsa crux eodem modo involvatur, posita alia cruce minori pro cruce altaris pretiosiore sic obtecta » ; S. C. reposuit : « Ad 11um: Negative ». De candelabris velo seu panno cooperiendis vide *n. 782*.

773. Gavantus, *Thesaurus sacrorum rituum*, *p. I*, *tit. XX*, *litt. f*, censet crucem cum imagine Crucifixi ponendam esse in altari, etsi Crucifixus in majori tabula altaris depictus vel caelatus appareat. Sed id necessarium non est, dummodo Crucifixus in majori tabula vel pictus vel caelatus primum locum obtineat prae ceteris omnibus quae in eadem tabula exprimuntur. Sane *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, haec habet : « At in altari in quo adest magna statua SSmi Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia crux, dum celebratur Missa ». Et in *Rossanen.*, *16 Jun. 1663* (n. 2231), propositis dubiis : « 1° An parva crux cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum ligneum in quo inclusum asservatur SSmum Sacramentum in altari, sit sufficiens in adimplementum rubricae volentis quod in altari, dum celebratur Missa, debeat apponi crux in medio candelabrorum ; 2° Similiter si in altari in quo adest magna statua SSmi Crucifixi sit ponenda alia crux, dum celebratur Missa » ; S.R.C. reposuit : « Quoad 1um : Non est sufficiens, sed poni debet alia crux in medio candelabrorum. Quoad 2um : Est sufficiens et non indiget alia cruce ». Scavini, *Theologia Moralis*, *tom. III*, *n. 189*, id intelligit etiam pro casu quo imago aut statua SSmi Crucifixi sit velata : quod non videtur cohaerere relatae (*n. praec.*) responsioni S.R.C. in *Molinen.*, cum imago aut statua sic velata locum non teneat crucis cum imagine Crucifixi.

774. Ex relata S.R.C. responsione in *Rossanen.*, *ad 1um* patet crucem cum imagine Crucifixi super altare esse ponendam si SSmum Sacramentum asservatur in tabernaculo, et non sufficere parvam crucem super ipsum tabernaculum. Quid vero si SSmum Sacramentum expositum est in altari ? Debetne crux cum Crucifixi imagine apponi ? S. R. C.

in cit. *Senarum* (*n. 771*), censuerat esse apponendam. Sed in *Aquen.*, *2 Sept. 1741*, *ad 5um* (n. 4119), eadem S. C. respondit quamlibet ecclesiam vel dioecesim suam retinere debere consuetudinem, ita ut nihil immutetur in ea dioecesi ubi crux in altari constitui solet dum Missa celebratur, etiamsi sacra Eucharistia publice prostet, neque nova disciplina excitetur in ea dioecesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit (1).

775. Porro necesse non est ut crux cum Crucifixi imagine super altare ponenda benedicatur; sed si benedici velit, simplex sacerdos potest eam benedicere private et non solemniter. Hoc de omnibus imaginibus in altari collocandis repetendum est. Revera in *Urbis*, *12 Julii 1704* (n. 3697) propositis dubiis: « 1° An cruces altarium, seu processionum, sint benedicendae de praecepto; 2° An, si non sint de praecepto, possit simplex sacerdos eas benedicere private et non solemniter »; S. C. reposuit: « Ad 1um: Negative. Ad 2um: Affirmative ».

776. 4° Rubrica Missalis citata *n. 768* praecipit ut tempore sacrificii Missae super altare duo saltem candelabra cum candelis accensis collocentur, inter quae ponitur crux de qua supra. Haec candelabra cum candelis super altare collocari debent, et tolerari nequit usus, licet antiquus, quo, loco ipsorum, duo candelabra hinc inde parieti altare fere tangenti infiguntur. Sane in *Cameracen.*, *16 Sept. 1865* (*n. 5351*), propositis dubiis: « 1° Requiriturne absolute ut super altaria collocentur candelabra ad Missam celebrandam? Et potestne tolerari usus antiquus pro Missa privata duorum candelabrorum hinc et inde parieti altare fere tangenti infixorum »; S. R. C. reposuit: « Ad 1um: Affirmative, et contrarius usus, etsi antiquus, cum sit contra legem, abolendus erit ».

777. Eadem Rubrica paulo post statuit: « Ab eadem parte epistolae paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus ». Haec praescriptio specialem candelam accendendi post *Sanctus* ad elevationem, fere ubique locorum

(1) Benedictus XIV, in cit. const. *Accepimus*.

in desuetudinem abiit, etiam in Urbe. In *Societatis Jesu*, *11 Maii 1878* (n. 5728), proposito dubio : « 17° An possit praescribi contra aliquas Rubricas particulares, e. g., contra usum intorticii adhibendi in Missa a consecratione ad communionem » ; S. R. C. reposuit : « Ad 17um : Consulat decretum Urbani PP. VIII appositum in Missali ; et quoad exemplum peculiare, consulat probatos auctores ». Jam vero S. Alphonsus, *VI*, *n. 394*, haec habet : « Probabiliter ait Croix, *n. 398*, cum Sporer, nullam esse obligationem accendendi tertiam candelam post *Sanctus* ; sic enim hodie communis usus habet ». Ceterum hanc consuetudinem expresse etiam deinde probavit eadem S. C. in *Urgellen.*, *30 Dec. 1881* (n. 5830), ubi ad dubium : « 11° Utrum possit servari consuetudo non accendendi tertium cereum in Missis privatis a consecratione ad communionem, quamvis commode fieri possit ? Item quod tobaleae altaris usque ad terram a lateribus non pertingant » ; S. C. reposuit : « Ad 11um : Ad utrumque servetur consuetudo ».

778. Cum vero Rubrica Missalis exigat duo saltem candelabra cum candelis accensis, videamus num pauciora vel plura adhiberi valeant.

Omnes admittunt esse peccatum grave celebrare Missam sine ullo lumine. Id deducitur etiam ex *cap. ult.*, *De celebratione Missarum*, ubi Honorius III, cum rescivisset presbyterum Missam celebravisse sine igne (luminaribus) et aqua, episcopo rescribit : « Cum igitur vel ex aperta malitia vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus quatenus officio et beneficio perpetuo ipsum prives ». Neque in casu necessitatis celebrare licet sine ullo lumine, e. g., ne infirmus careat viatico, aut populus Missa (1). Celebrare autem Missam cum una tantum candela ex cera et alia ex diversa materia, aut cum duabus candelis ex diversa materia, aut cum duabus lampadibus ex oleo, non videtur excedere peccatum veniale, a quo quaecumque rationabilis causa excusat, remoto scandalo. Quod si post consecrationem candelae extinguuntur, certe sacer-

(1) S. Alphonsus, *l. c.*

dos pergere debet; et quidem si candelae rursus accendi nequeunt, nisi post longum tempus, idest post horae quadrantem, pergere debet, nulla interjecta mora, secus debet expectare. Si id eveniat ante consecrationem, nonnulli censent Missam esse interrumpendam (1), sed probabilius eadem theoria applicanda est (2).

779. Quis non immerito animadvertere posset Rubricam praescribere candelabra *saltem* duo.... ; quod verbum satis indicare videretur plura candelabra cum candelis adhiberi utique posse. Sed haec interpretatio non videtur conformis decretis S. R. C., et potius sequentia statuenda sunt.

780. In Missis lectis de regula generali duo tantum candelabra cum candelis accensis adhiberi debent. Hinc in *Castri Durantis, 7 Aug. 1627* (n. 699), ad dubium : « An vicarii (generales) in Missis privatis possint uti quatuor candelis et duobus ministris cum cotta, etiam quod sint protonotarii » ; S. C. reposuit : « Non convenire ». Idem dicatur de abbatibus, protonotariis apostolicis aliisque usum *insignium pontificalium* habentibus (*n. 677 sequ.*). Tandem in eodem sensu reposuit eadem S. C. in *Tiburtina, 7 Sept. 1850* (n. 5419); in *Spoletana, 20 Sept. 1681, ad 1um* (n. 2967); in *Senen., 20 Julii 1686, ad 1um* (n. 3119), etc. (3). Haec autem regula generalis nonnullas patitur exceptiones. Nam episcopi et Cardinales in Missa privata quatuor candelabra cum candelis adhibere possunt. Praeterea quando in Missa lecta plures ministri respondentes et inservientes esse possunt (*n. 647*), certe possunt quoque accendi plures cerei, ut aperte eruitur ex responsione S. R. C. in *Molinen., 12 Sept. 1857, ad 9um* (n. 5254). Hinc in *Northantonien., 6 Febr. 1858* (n. 5257), ad dubium : « 3° Utrum in conventibus et ecclesiis quae ad instar parocciarum in dioecesi Northantoniensi institutae habentur, quando propter inopiam can-

(1) S. Alphonsus, *l. c.*, citans plures alios.

(2) De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XX, n. 70.*

(3) In *Cremonen., 11 Jun. 167, ad 2um* (n. 3138), S. R. C. censuit tolerari posse usum quatuor candelabrorum, in privata Missa Praepositi S. Agathae de quo agebatur ; sed nobis non bene comperta sunt privilegia, quibus Praepositus gaudebat.

torum Missa principalis quae est etiam conventualis vel parochialis cantari non potest, liceat plus quam duas candelas in altari accendere, saltem in festis solemnioribus »; S. C. reposuit: « Ad 3um: Affirmative ». Hoc in casu numerus candelabrorum cum candelis non est determinatus, ita ut etiam plura quam quatuor candelabra adhiberi queant. Haec vera sunt etiam de Missa cum cantu sine ministris celebrata. Hoc modo intelligimus responsionem S. R. C. in *Bajonen., 25 Sept. 1875* (n. 5637), ubi ad dubium: « An celebrans Missam cum cantu sine ministris adhibere possit plures quam duas candelas, et ministrum qui folia vertat et calicem discooperiat ipsumque mundet, vinum et aquam infundat eumdemque calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem, nec non ipsum tergat post communionem suisque ornamentis instruat; vel celebrare debeat ut alius quilibet simplex sacerdos, omnia superenunciata a semetipso peragendo et non ope ministri »; S. R. C. censuit: « Ad 1um: Affirmative ». Tandem in Missa solemni cum cantu et ministris celebrata adhiberi debent sex saltem candelabra cum candelis accensis, ut satis indicat Rubrica Missalis, *Ritus servandus in celebratione Missae, tit. IV, n. 4*, ubi verba facit de trina incensatione, et expresse tradit *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XII.* At minime dubitamus plura etiam candelabra cum candelis adhiberi posse. Quod si episcopus Missam celebrat pontificalem, addi debet septimum candelabrum, de quo *Caeremoniale episcoporum, l. c.*, tradens etiam modum disponendi sex candelabra cum hoc septimo. Hinc in *Dertusen., Dubiorum, 6 Aug. 1763* (n. 1317), proposito dubio: « 7° An episcopo pontificaliter celebrante debeat super altare poni septimum candelabrum et cujus sumptibus »; S. R. C. reposuit: « Ad 7um: Affirmative ad primam partem et eorum sumptibus qui ad ceteras Missae pontificalis expensas tenentur ». Hoc septimum candelabrum poni non debet nec in vesperis nec in Missa defunctorum pontificaliter ab episcopo celebrata, uti censuit eadem S. C. in *Placentina, 19 Maii 1607, ad 8um* (n. 351). Illud in altari ponere minime possunt nec praelati inferiores, nec

habentes usum *insignium pontificalium*, nec protonotarii apostolici (*n. 677 sequ.*), et multo minus rectores et beneficiati ecclesiarum parochialium etiam in festivitatibus solemnioribus, ut reposuit S. R. C. in *Caesaraugustana, 11 Martii 1684, ad 6um* (n. 3046); imo nec episcopus administrator, dum Missam cantat in pontificalibus, ut reposuit eadem S. C. in *Sarsinaten., 22 Aug. 1722, ad 6um* (n. 3952). Demum notandum est in altari majori et in altari ubi asservatur SSmum Sacramentum, esse debere sex candelabra cum candelis, sed necesse non est omnes candelas accendi tempore Missae lectae.

781. Notum est Cardinales et episcopos habere privilegium *palmatoriae* quam vulgari voce appellamus *bugiam*, in cuiuscumque Missae celebratione aliisque sacris functionibus. Ab initio palmatoria introducta fuit ad tenebras depellendas; sed tractu temporis evasit signum honoris et dignitatis, ita ut alii, praeter Cardinales et episcopos, sine apostolico inducto eamdem adhibere nequeant. In *Cortonen., 10 Sept. 1701* (n. 3597), ad dubium: « 3° An in lectionibus canendis competere possit canonicis usus instrumenti vulgo *bugia* vel usus candelabri ab alio sustentati »; S. R. C. reposuit: « Ad 3um: Negative, et si obscuritas ingrueret, poterit prope legile apponi candelabrum unum super pavimentum cum facula accensa ». Hoc privilegium per se non competit praelatis inferioribus, nec aliis habentibus usum *insignium pontificalium*, nec protonotariis apostolicis (*n. 677 sequ.*), nec a fortiori rectoribus et beneficiatis ecclesiarum parochialium, ut reposuit S. R. C. in cit. *Caesaraugustana, ad 7um*, nec canonicis ac dignitatibus ecclesiae etiam cathedralis, non obstante obscuritatis praetextu, uti eadem S. C. censuit in *Dubiorum, 31 Maii 1817 ad 3um* (n. 4537), jubens dari decretum. In hoc autem decreto, citatis praecedentibus responsis, S. C. decernit: « In sacris functionibus sive publicis sive privatis non licere dignitatibus et canonicis, superioribus regularibus, praelatis quoque Romanae Curiae, protonotariis apostolicis honorariis, aliisque omnibus, quocumque nomine nuncupentur, quibus ex jure non competit, etiamsi habeant ex indulto

unum mitrae, palmatoriam adhibere, nisi apostolico privilegio donentur, vel hoc personale sit, vel corpori cujus membra sunt, attributum, ita tamen ut non aliter eo uti possint, quam servatis modo et forma et cum limitationibus et conditionibus in apostolica concessione praescriptis ».

782. Porro materia et forma candelabrorum non est determinata, ita ut possint esse lignea, lapidea, metallica, etc. Gavantus, *op. cit.*, *p. I, tit. XX, litt. x*, animadvertit sex candelabra super altare debere esse in linea recta; et incuper *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, praescribit haec candelabra non debere esse aequalis altitudinis; at si habeantur ejusdem altitudinis, retineri utique possunt. Nam in *Briocen.*, *21 Julii 1855* (n. 5221), episcopus sequens dubium proposuit: « 9° Juxta *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I, cap. XII*, candelabra in altari ponenda non sunt omnino inter se aequalia. In tota Dioecesi Briocensi sunt omnino inter se aequalia. Quaeritur utrum hoc praescriptum *Caeremoniale episcoporum* ea de re sit rigorose tenendum. Et si affirmative, petitur, ut iis candelabris inter se aequalibus in omnibus ecclesiis seu capellis uti liceat, donec ad modum renovanda sint ». S. R. C. reposuit: « Ad 9um: Addnctam causam a praescriptione *Caeremonialis* observanda excusare ». At eadem S. C. in cit. *Cameracen.*, *ad 4um*, reprobavit abusum, quo pro sex candelabris distinctis hinc et inde in utroque altaris latere collocantur duo candelabra septiformia ad instar candelabri Mosaici. Tandem eadem S. C. in *Molinen.*, relata *n. 772* declaravit candelabra et crucem tempore Missae et officiorum non posse velo aliquo cooperiri, ne pulvere sordescant. Pariter in *Collen.*, *31 Aug. 1872* (n. 5505), ad dubium num retineri valeret usus tegendi velis violaceis vulgo nuncupatis *calze* candelabra praesertim altaris in quo functiones peraguntur, tempore adventus ac quadragesimae cum fit officium de tempore, S. C. reposuit: « Ad tramitem decreti in *Molinen.*, *11 Julii 1857*, *ad 11um* negative ». Sed in cit. *Cameracen.* proposito dubio: « 2° Liceatne lampadem ardentem coram SSmo Sacramento velo cooperire praecavendi humoris causa? Item candelabra altaris aurata

sive intra sive extra oblationem sacrosancti sacrificii »; S. R. C. reposuit: « Ad 2um: Affirmative ad primam partem. Ad secundam tolerari posse, exceptis diebus solemnibus ».

783. Ad candelas in specie quod attinet, candelae accensae esse debent ab initio Missae usque ad finem, non exclusis evangelio S. Joannis et precibus finalibus, cum et evangelium S. Joannis et finales preces in praesenti disciplina sint partes praeceptivae Missae. Addit S. Alphonsus, *VI. n. 394*: « Non debet angi sacerdos, si dum legit evangelium, minister candelas extinguit ». Debent autem candelae quae ad cultum in altari inserviunt, esse ex cera apum, nec candelae ex alia materia, nec alia lumina loco candelarum adhiberi possunt in Missae celebratione aliisque functionibus ecclesiasticis sine apostolico indulto. Varia hujusmodi indulta, missionariis praesertim concessa ratione necessitatis, vide in Collectanea Parisiensi, *n. 414 sequ.* In *Policastren., 4 Sept. 1875* (n. 5636), proposito dubio: « 3° An cum occasione solemnitatis alicujus in altari majori ponatur machina luminibus ornata usque ad laqueare ecclesiae et in machina baldacchinum pro exponendo SSmo Sacramento, apponi valeant candelae confectae ex cera stearica vel ex alia materia purificata, similitudinem cerae praeferente, exceptis tamen illis quae sunt in gradu altaris et immediate ante baldacchinum in quo est expositum SSmum Sacramentum »; S. R. C. reposuit: « Ad 3um: Dentur decreta in una *Massilien., diei 16 Sept. 1843*, quod sic se habet... *Consulantur Rubricae*, et in altera *Divionen. diei 7 Sept. 1850*, in qua precibus R. D. Episcopi Divionensis pro continuatione cerae stearinae rescriptum fuit: *Nihil innovetur* » (1). In *Novarcen., 8 Martii 1879*, ad dubium: « An super altare, praeter candelas ex cera, tolerari possit ut habeatur etiam illuminatio ex *gaz*, vel an usus praedictus prohibere debeat (episcopus) »; eadem S. C. reposuit: « Negative ad primam partem; affirmative ad secundam » (2). Candelas autem ex cera apum aliae materiae ad-

(1) Haec altera responsio in collectione Gardelliniana non reperitur.

(2) Hoc decretum refert Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 1971*; sed non collectio Gardelliniana.

mixta in majori vel minori quantitate, uti sunt, e. g., candelae *venetianae*, seu ex cera *venetiana*, uti vocant, putamus tuta conscientia adhiberi posse, donec S. R. C. easdem non exploserit (1). Praeterea *Caeremoniale episcoporum* saepe loquitur de alba candelarum cera quam adhibendam praescribit in sacris functionibus lactitiam significantibus ; sed exinde minime prohiberi putamus candelas depictas in fundo albo, quae majorem laetitiam exprimunt, et in praxi tum hodierna tum antiqua receptae sunt. In matutinis autem tenebrarum, die Parasceves et in Missis defunctorum adhibenda est cera communis (2). Tandem in *Societatis Jesu*, *11 Maii 1878* (n. 5728), ad dubium : « 19° An tolerari possit usus cereorum fictorum ex metallo (gallice *souche*, in quibus machina quaedam introducitur cereus » ; S. R. C. reposuit : « Ad 19um : Tolerari posse ».

Diximus autem candelas *quae ad cultum in altari inserviunt* debere esse ex cera apum ; nam ad illuminandam ecclesiam adhiberi utique possunt candelae ex alia materia aut alia lumina loco candelarum. Hinc in *Decreto*, *4 Junii 1895*, ad dubium : « Utrum lux electrica adhiberi possit in ecclesiis ; eadem S. C. reposuit : « Ad cultum, negative : ad depellendas autem tenebras ecclesiasque splendidius illuminandas, affirmative ; cauto tamen ne modus speciem praeseferat theatralem ». Et in *Leavenworthien.*, *16 Sept. 1881*, apud Collectaneam S. C. de Prop. Fide, *n. 1972*, eadem S. C. censuit in casu necessitatis permitti posse, juxta prudens episcopi arbitrium, usum olei de carbone fossili, vulgo *Kerosene*, pro illuminandis ecclesiis.

784. 5° Rubrica prosequitur : « Ad crucis pedem ponatur tabella secretarum appellata ». Haec tabella non est anterior saeculo XVI ; hinc episcopi, veterum traditionum custodes, utuntur libro qui appellatur *canon* ; quod privilegium concessum quoque est praelatis inferioribus, non autem protonotariis apostolicis aliisve habentibus usum *insignium pontificalium* (*n. 677 sequ.*). Recentius posita fuit tabella

(1) *Ephemerides liturgicae*, an. 1895, *pag. 695 sequ.*
(2) *Ephemerides liturgicae*, *l. c.*, *pag. 699 sequ.*

evangelii S. Joannis, quando lectio hujus evangelii in fine Missae praescripta fuit; et postea ratione symetriae addita fuit tabella quae continet orationem sacerdotis ad benedicendam aquam et dum manus abluit. Eae tabellae in altari servantur tantum tempore Missarum, sed amoventur tempore aliarum caeremoniarum. Hinc in *Tertii Ordinis S. Francisci, 20 Dec. 1864* (n. 5343) proposito dubio: « An in expositione SSmi Sacramenti sive pro oratione quadraginta horarum, sive alia quavis de causa, amovendae omnino sint tres tabellae ab altari expositionis quas Rubricae ad celebrantis commoditatem exigunt in Missae celebratione »; S. R. C. reposuit: « Ad 3um: Affirmative ». Celebrare Missam sine tabellis leve est, et quaelibet rationabilis causa ab omni culpa excusat.

785. 6° « In cornu epistolae cussinus supponendus Missali..., parva campanula, ampullae vitreae vini et aquae cum pelvicula et manutergio mundo in fenestella seu in parva mensa ad hoc praeparata ». Cum Missa non sit memoriter recitanda, praesertim canon (*n. 849*), patet Missale necessarium esse ad Missae celebrationem et quidem tale ut quae legenda sunt, in eo legi queant. Quodnam vero Missale, inter diversa, adhibere debeamus, vide *n. 842. 866*; et de ejus origine *n. 58 sequ.* Cussinus est ad sustentandum Missale, sed hodie ejus loco adhiberi solet legile ligneum vel metallicum. In *Tuden., 7 Sep. 1816* (n. 4526), ad dubium: « 13° An in Missa solemni permitti possint duo Missalia, unum in cornu epistolae, aliud in cornu evangelii »; S. R. C. reposuit: « Ad 13um: Negative ». Hoc decretum eadem S. C. confirmavit in *Mexicana, 2 Apr. 1875* (n. 5595), non obstante contrario antiquissimo usu.

786. 7° Tandem Rubrica addit: « Super altare nihil omnino ponatur quod ad Missae sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat ». Hinc, e. g., poni super altare non debet birretum sacerdotis, nec sudariolum ad emungendas nares, quod potius sub planeta vel a cingulo pendens ad dexteram portandum erit; nec almutia celebrantis canonici, ut videatur canonicus (1). Pariter in *Cuneen.*,

(1) Gavantus, *l. c., litt. f.*

2 Jun. 1883 (n. 5874), ad dubium : « 3° In dioecesi Cuneensi usus invaluit relinquendi tempore Missae super altare et quidem in posteriore ejus parte circumvolutum ligneo bacillo stragulum quod inservit tobaleis altaris extra Missam operiendis ne pulvere sordeant. Utrum hujusmodi usus probari aut tolerari possit » ; S. R. C. reposuit : « Ad 3um : Negative in omnibus ».

787. At super altare inter candelabra poni utique possunt flores et reliquiae Sanctorum, cum ad altaris ornatum pertineant. Vide *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XII.* Doctrinam pseudo-synodi Pistoriensis, *ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresque ponantur,* Pius VI in const. *Auctorem fidei, 28 Aug. 1794,* sub *n. 32* damnavit ut *temerariam, pio et probato Ecclesiae mori injuriosam.* Et revera mos ornandi altare eucharisticum reliquiis Sanctorum ac floribus antiquissimus est. Excipe tamen tempus quadragesimae, quo in signum maestitiae ac poenitentiae vetatur altare floribus ornare. In *Societatis Jesu, 11 Maii 1878* (n. 5728), ad dubium : « 16° An occasione primae communionis puerorum vel ob devotionem erga S. Joseph in mense Martio, possint altaria ornari floribus et pulsari organa etiam tempore quadragesimae ; an idem negative dicendum, si effigies S. Joseph sit extra altare exposita, et in hoc ultimo casu an possit relinqui discooperta tempore Passionis » ; S. R. C. reposuit : « Ad 16um : Ad primam partem : Affirmative. Ad secundam partem : Provisum in prima. Ad tertiam partem : consulat probatos auctores ».

De tabernaculo altaris ubi servatur SSmum Sacramentum, agitur in *cap. IX, art. II.*

CAPUT VI

DE MATERIA ET FORMA SACRIFICII EUCHARISTICI.

Articulus I.

De materia.

788. Nomine materiae hic intelligimus materiam *ex qua*, mediantibus verbis consecratoriis, sacrificium et sacramentum eucharisticum constat: ex dictis autem in *capite I* clare patet hanc materiam esse panem simul et vinum; de quibus proinde modo agendum est.

789. Potestas consecrandi, sacerdotio collata, ordinatur ad sacrificium eucharisticum et exinde ad sacramentum, ita ut, extra sacrificium, numquam eamdem potestatem exercere liceat. Hinc quoniam ad sacrificium eucharisticum requiritur consecratio utriusque speciei, et quidem essentialiter juxta probabiliorem sententiam (*n. 25*), sequitur numquam licere unam tantum consecrare speciem, neque in casu extremae necessitatis, e. g., ne infirmus careat viatico; nec Romanum Pontificem posse hac in re dispensare. Id quod refert Raphael Volaterranus, nempe Innocentium VIII permisisse Norvegiis consecrare panem et calicem sine vino, inter fabellas est recensendum.

790. Quaeritur utrum consecratio unius speciei sine altera valida sit, necne. Si sacerdos consecrans unam speciem positive in sua intentione non excludit consecrationem alterius, consecratio illius speciei certe valida est. Sane de facto species separatim consecrantur, et panis est certe consecratus ante consecrationem calicis. Quid vero si sacerdos consecrans unam speciem, e. g., panem, positive in sua intentione excludit alterius consecrationem? De Lugo, *De Euchar., disp. XIX, n. 103 sequ.*, putat consecrationem panis in casu nullam esse, quia, cum ad essentiam eucharistici sa-

crificii pertineat consecratio utriusque speciei (cit. *n. 25*), hic sacerdos revera actu positivo voluntatis non vult in consecratione offerre sacrificium eucharisticum, quo in casu consecrationem nullam esse, supra diximus *n. 454*. Haec ratio gravis est [1] : sed nihilominus sententia communis est etiam in hoc casu consecrationem unius speciei validam esse, licet gravissime illicitam. Ratio est « quia in omni sacramento semper ac minister formam profert super materiam cum debita intentione, perficit sacramentum » : S. Alphonsus, *l. c.* Sed responderi potest in hoc praecise quaestionem esse utrum in casu debita seu sufficiens intentio verificetur, necne.

791. Quamquam vero consecratio utriusque simul speciei ipso jure divino praescripta est, tamen in nonnullis circumstantiis unius speciei consecratio per accidens omni peccato vacat. **Id verificatur :**

792. 1° Si sacerdos in Missae celebratione, consecrato aut etiam sumpto calice, advertit panem consecratum non fuisse aptum. Rubrica Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, § *III, De defectu panis*, varias hypotheses quae fingi possunt, ita expendit :

« 4° Si celebrans ante consecrationem advertit hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa hostia, aliam ponat, et facta oblatione saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desivit.

« 5° Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis : *Qui pridie quam pateretur*, et illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem corporis et sanguinis, vel aliis sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam quam consecravit : quia praeceptum de perfectione sacramenti majoris est ponderis quam quod a jejunis sumatur.

« 6° Quod si hoc contingat post sumptionem sanguinis, apponi debet rursus novus panis et vinum cum aqua, et

[1] S. Alphonso, *VI, n. 196*, haec ratio non videtur improbabilis.

facta prius oblatione, ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis : *Qui pridie*, ac statim sumat utrumque et prosequatur Missam : ne sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo.

« 7° Si hostia consecrata disparcat vel casu aliquo, aut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta nequeat reperiri, tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo : *Qui pridie quam pateretur*, facta ejus prius oblatione, ut supra ».

793. 2° Si sacerdos in celebratione Missae, consecrato aut etiam sumpto corpore, advertit vinum consecratum non fuisse vinum aut non fuisse aptum. Rubricae Missalis, *l. c.*, § *IV*, *De defectu vini*, varias hypotheses ita exponunt :

« 3° Si celebrans ante consecrationem sanguinis, quamvis post consecrationem corporis, advertat aut vinum aut aquam aut utrumque non esse in calice, debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis : *Simili modo*, etc.

« 4° Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice et consecret, resumendo a verbis praedictis, *Simili modo*, etc.

« 5° Si hoc advertat post sumptionem corporis vel hujusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, et statim sumere, et prosequi cetera.

« 6° Si quis percipiat ante consecrationem vel post consecrationem totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum vel solam aquam fuisse appositam in calice...

« 8° Si materia quae esset apponenda ratione defectus vel panis vel vini, non posset ullo modo haberi, si id sit ante consecrationem corporis, ulterius procedi non debet ;

si post consecrationem corporis aut vini deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit et Missa absolvenda, ita tamen ut praetermittantur verba et signa quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquandiu haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium remaneat imperfectum ».

794. 3° Si post consecratam hostiam subitaneum mortis periculum, e. g., ab hostibus aut ab incendio aut ab alluvione, etc., immineat; tunc enim sacerdos, praetermissa consecratione calicis, debet consummare panem consecratum, vel eum secum fugiendo auferre. Quod si utramque consecrationem perfecerit, utramque speciem statim sumat, si potest, vel si non potest, secum auferat in loco proximo citissime sumendam. Rubricae Missalis, *l. c.*, § *X*, *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, docent : « 2°... Si timeatur incursus hostium vel alluvionis vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis ». At numquam potest consecrare in una tantum specie directe ab extrinseco ad hoc coactus etiam metu mortis, quia tunc ageret contra praeceptum divinum ; quod est intrinsece malum.

795. 4° Tandem si sacerdos in celebratione Missae post consecrationem unius speciei defecerit animo ; tunc enim alius sacerdos, in casu necessitatis etiam non jejunus, excommunicatus, irregularis, etc., debet supplere ac Missam perficere, complens consecrationem. Id Rubricae Missalis, *l. c.*, § *X*, *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, tradunt his verbis :

3° « Si sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur vel in syncopem inciderit aut moriatur, praetermittitur Missa ; si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Missa per alium sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia hostia consecrata, sacerdos qui

Missam supplet, dividat hostiam ; et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obiit sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam et super eumdem calicem repetat integram formam ab eo loco : *Simili modo postquam coenatum est*, vel posset super alium calicem praeparatum integram formam proferre et hostiam primi sacerdotis et sanguinem a se consecratum sumere ac deinde calicem relictum semiconsecratum.

« 4° Si quis extra hujusmodi casus necessitatis integra sacramenta non sumpserit, gravissime peccat ».

796. S. R. C. in *Carpen.*, *16 Dec. 1823* (n. 4601), egit de casu quo, sacerdote post utriusque speciei consecrationem deficiente, alius sacerdos sacrificium explevit. Nam quidam sacerdos celebrans in ecclesia rurali Carpensis dioecesis, prolatis verbis : *Nobis quoque peccatoribus*, repentino morbo correptus, e vita illico decessit. Capellanus parochiae statim sacrum perfecit. Postea a S. R. C. quaesitum fuit num capellanus, ablutionibus omissis, potuisset deinde aliam Missam celebrare ; et S. C. reposuit negative. Ratio decidendi, prout apparet ex consultorum votis relatis a Gardellini, *l. c.*, sequens fuit. Licet dubitandum minime sit partem essentialem sacrificii Missae esse solam utriusque speciei consecrationem, tamen sumptio utriusque speciei consecratae est pars integralis (*n. 23*) ; proinde capellanus in casu perfecit sacrificium, et ita aliquo modo Missam celebravit, ac proinde nequit aliam, etsi jejunus, celebrare, nisi plurium Missarum celebratio in die aliunde ipsi liceret (*n. 376 sequ.*). Et ne quis contendat capellanum in Missa quam perfecit, utramque speciem sumpsisse tamquam simplicem communionem, more laicorum ; nam id falsum est ex dictis, et insuper exinde semper sequeretur ipsum non posse ullo in casu postea Missam celebrare ; nam, recepta communione more laicorum, Missae celebratio prohibetur ; de qua re alias.

Quoniam vero probabilius capellanus nonnisi partem in-

tregralem sacrificii posuit, et sacerdos demortuus partem essentialem qua medius sacrificii fructus distribuitur, hinc probabilius applicatio facta a sacerdote defuncto valida fuit, facta a capellano nulla (*n. 470*).

797. Ex dicendis patebit materiam panis et vini aliquando esse validam et licitam, aliquando validam et illicitam, aliquando dubiam, aliquando invalidam. Porro materia dubia sine gravi peccato uti non possumus, nisi ad sacrificium complendum, si materia certe valida hic et nunc haberi non potest : in hoc enim casu lex divina complendi sacrificium licitam reddit materiae dubiae consecrationem sub conditione : *Si materia est valida* (1).

798. Modo de singulis materiis agentes, dicimus panem aptum pro consecratione esse panem qui communiter hoc nomine appellatur et ad manducandum inservit ; hunc enim Christus D. consecravit in ultima coena, nobis injungens facere quod ipse fecit. Atqui talis est panis triticeus, aquae naturali mixtus, igne coctus seu assus et in sua specie incorruptus. Ergo hic tantum panis est aptus pro consecratione. Hinc Eugenius IV in Decreto ad Armenos agens de Eucharistia ait : « Cujus materia est panis triticeus et vinum de vite ». Expedit ut circa singula paulisper immoremur.

799. In primis panis debet esse ex tritico seu frumento totaliter confectus absque admixtione alterius materiae. Panis ex alia materia, e. g. hordeo, avena, siligine, faba, vel ex fructu quem vulgo appellamus *pomme de terre*, *patata*, totaliter confectus, est materia invalida. Item panis confectus ex tritico simul et ex alia materia in tanta quantitate ut certe non maneat panis triticeus juxta communem aestimationem, est materia invalida ; si dubium est utrum post hanc mixtionem habeatur, necne, panis triticeus juxta communem existimationem, materia est dubia ; tandem si certum est quod talis panis habeatur, materia erit valida sed graviter illicita. Ad rem Rubricae Missalis, *l. c.*, § *III*, *De defectu panis* : « 1° Si panis non sit triticeus, vel si triti-

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 120.*

ceus admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur sacramentum ». Ceterum nil interest varia tritici species ; e. g., valide et licite adhibetur pro sacrificio Missae panis ex tritico aestivo vel hiemali. In dubio autem utrum aliquod frumentum sit triticum, necne, materia est dubia. Ita, e. g., non conveniunt doctores num sit materia valida panis ex *spelta*. Quaestio huc redit utrum spelta sit triticum proprie dictum, necne ; nonnullis affirmantibus, aliis negantibus, quia fortasse non idem frumenti genus ubique hoc nomine designatur. Pro praxi consulendum peritorum judicium et praestat attendere ad communem dioecesis et regionis aestimationem (1). Ex dictis sequitur illas hostias coloratas quas adhibemus ad obsignandas, vel claudendas, e. g., epistolas, esse certe materiam graviter illicitam, quia materia extranea colorans admixta est, et fortasse invalidam aut dubiam.

800. Ulterius ut habeatur panis aptus pro Missae sacrificio, triticum de quo supra, ita conteri debet ut inde habeatur farina ; sed dummodo triticum aliquo modo conteratur, farina non est absolute necessaria pro validitate consecrationis, quia semper panis habetur juxta communem aestimationem. Revera Vicarius Apostolicus Coimbatourensis exposuit : « In hac regione difficillimum est conficere panes eucharisticos farina proprie dicta ; unde consuetudo orta est (exceptis forsitan locis in quibus facile haberi potest farina ex Europa) panem conficiendi ex granis contritis et per aliquas horas in aqua infusis, non tamen usque ad corruptionem. Quae grana manibus comprimunt et ex materia alba adveniente, panes conficiunt ferro calido, modo in Europa consueto. Aliquod habeo scrupulum de tali confectione. Nam 1° si panem conficientes maximam attentionem non adhibeant, triticum relinquere possunt in aqua usque ad corruptionem saltem incoeptam ; 2° tota substantia tritici non mihi videtur in tali pane contineri ; 3° talis materia mihi videtur appropinquare amidum, ex qua practice panis

(1) Scavini, *tom. III, n. 227* ; Lehmkuhl, *vol. II, n. 119.*

eucharisticus confici non debet. Aliunde de farina ex Europa adveniente valde dubitandum est utrum pura sit vel non, cum omnibus notum sit mercatores mixturas innumerabiles facere. Unde humiliter quaero : 1° Utrum licita sit supradicta confectio panis pro Missa ; 2° Si non liceat, quid debeam facere, praesertim cum illa consuetudo vigeat in diversis partibus Indiae ». S. C. S. Officii, *die 25 Junii 1852*, reposuit : « Affirmative ; curet tamen, si fieri posset, Vicarius Apostolicus, ut frumentum ex quo panis eucharisticus conficitur, non contundatur solummodo, sed apto instrumento in farinam redigatur ; quae deinde cribro exacte purgetur et panis ex eadem conficiatur, modo in Europa usitato » (1).

801. Praeterea farina debet admisceri aquae naturali juxta communem aestimationem. Si admisceatur aquae sed non naturali, consecratio est dubia. Unde Rubricae Missalis, *l. c.* : « 2° Si sit confectus (panis) de aqua rosacea vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur (sacramentum) ». At si admisceatur alii liquori qui nullatenus sit aqua, e. g., lacti, consecratio videtur omnino nulla, quia non habebitur panis. Hinc Glossa in *can. 2, dist 2, De consecrat.*, in Decreto, *v. nisi utrumque* : « Quid si ex melle vel alio liquore fuerit farina aspersa ? Numquid transsubstantiatur ille panis in corpus Christi ? Non ». Cum vero aqua marina sit vera aqua naturalis juxta communem aestimationem, sequitur panem exinde confectum esse materiam certe validam, imo et licitam (2). Idem putamus si paululum salis artificialiter addatur aquae naturali ; nam in casu est aqua naturalis cum modica salis admixtione ; qua non obstante, habetur panis usualis, cum de facto pani communi et usuali sal in parva quantitate addi soleat.

802. Insuper farina aquae naturali admixta debet esse cocta igne. Hinc massa cruda, licet ex farina triticea et aqua naturali, est materia certe invalida : item eadem massa cocta in aqua per modum pultis, aut sole adusta. Porro modus

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 701.*
(2) Scavini, *t. III, n. 141* ; S. Alphonsus, *VI, n. 199.*

coctionis per ignem diversus est pro azymo ac pro fermentato, et unaquaeque Ecclesia, Orientalis et Occidentalis, suum modum servare debet, ut infra dicemus; sed id non pertinet ad validitatem consecrationis.

803. Sive vero hic panis fuerit azymus sive fermentatus, est materia valida pro eucharistico sacrificio. Id definivit Concilium Florentinum in Decreto Unionis: « Definimus in azymo sive in fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici ». Haec definitio est contra Michaelem Caerularium, Patriarcham Constantinopolitanum, aliosque qui asserere non dubitaverunt panem azymum ineptam esse materiam Eucharistiae, ideoque Latinos qui pane azymo utuntur, carere Eucharistia; unde schismatis praetextus desumptus est. Sane ex *Marc. XIV, 12*, et *Luc. XXII, 7*, equidem constat ultimam coenam celebratam fuisse *primo azymorum die*, idest primo ex septem paschatis diebus quibus Judaei non poterant nisi azymum panem manducare, ut traditur in *Exod., XII, 15*; proinde non est dubium Christum D. in solo azymo pane ultimam coenam celebravisse ac ideo azymum panem consecravisse. Attamen Christus D., Ecclesia ita interpretante, pro materia Eucharistiae non praescripsit azymum panem, sed panem simpliciter, qualis est tum azymus tum fermentatus; ideoque quod adhibeatur panis azymus vel fermentatus, pertinet non ad dogma, sed ad disciplinam. Ceterum multo melius et convenientius est in azymo conficere quam in fermentato, tum quia Christus D. azymum consecravit, tum quia panis azymus et citius et decentius conficitur (1).

804. Porro in Ecclesia Orientali nonnulli, uti sunt Armeni et Maronitae, utuntur azymo; alii vero, nempe Graeci, Melchitae, Chaldaei, Syri, Copti, adhibent fermentatum (2) et semper videntur fermentatum adhibuisse.

E contrario Ecclesia Latina utitur azymo saltem a saeculo IX vel X, sed praecedentibus temporibus usum fermentati

(1) De usu azymi et fermentati in Ecclesia sive Latina sive Orientali vide Card. Bona, *Rer. Liturg., lib. I, cap. XXIII*; Lebrun, *Explication*, etc., *tom. III, diss. X, art. XII*, De Albertis, *cap. IV, n. 68 sequ.*

(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 2007*.

in Ecclesia Latina ignotum non fuisse, contendit Card. Bona, *l. c., n. 13 sequ.*

Unaquaeque Ecclesia suum servet ritum ; et sicuti sub gravi prohibitum est sacerdoti Latino adhibere fermentatum in sacrificio Missae, ita sacerdoti Orientali adhibere azymum. Id Concilium Florentinum et plures Romani Pontifices praeceperunt ; sufficiat citare Benedictum XIV in const. *Etsi pastoralis*, § *VI ; De sacramento Eucharistiae et Missae sacrificio, n. 10* : « Cum in sacro generali Florentino Concilio praescriptum sit ut unusquisque sacerdos Eucharistiam juxta Ecclesiae suae ritum sive Latinae sive Graecae in azymo seu fermentato conficere debeat, vetitumque a summis Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris ne Latinus sacerdos Graeco ritu, aut Graecus Latino utatur, districtius inhibemus etiam sub poenis perpetuae suspensionis a divinis (1), ne presbyteri Gracci Latino more et Latini Gracco ritu, sub quovis licentiarum et facultatum Missas et alia divina officia Graeci Latino more et Latini Graeco ritu celebrandi ab Apostolica Sede vel ejus Legatis ac etiam Majori Poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu, Missas et alia divina officia celebrare vel celebrari facere praesumant ». Hinc etiam Rubricae Missalis, *l. c.* : « 3° ..... Similiter si non sit azymus secundum morem Ecclesiae Latinae, conficitur, sed conficiens graviter peccat ». Et in *Hydruntina, 28 Mart. 1626* (n. 619), cum presbyteri Gracci loci *de Sternatia* Hydruntinae dioecesis supplicavissent « posse uti in sacrificio pane fermentato, sed cocto ad modum hostiarum quibus Latini utuntur, non autem in furno, ita ut non sit alia differentia quam in coquendo vel in coctura » ; S. R. C. reposuit : « Nihil ». Sacerdotem Latinum non posse in fermentato celebrare, aut viceversa sacerdotem Graecum in azymo, ne in casu quidem necessitatis, e. g., ne infirmus careat viatico, communis est doctorum sententia apud S. Alphonsum, *VI, n. 204*. Unde necessarium est indultum apostolicum ut sacerdos consecret in alieno ritu ; quod per modum actus nunquam conceditur,

(1) Haec suspensio est ferendae sententiae.

sed aliquando permittitur per modum habitus temporanei, etiam sine transitu ad alienum ritum.

805. Quid vero si sacerdos Latinus peregrinatur per loca Graeci ritus, aut vice versa? Nonnulli putant sacerdotes peregrinantes servare debere ritum loci per quem transeunt, ideoque Latinos transeuntes per loca Graecorum debere celebrare in fermentato, Graecos transeuntes per loca Latinorum in azymo (1). Alii censent sacerdotes peregrinantes posse in uno vel altero ritu celebrare pro libito (2). Alii autumant sacerdotem Latinum in locis Graecorum debere celebrare in azymo, si ibi est ecclesia Latina; secus posse celebrare in fermentato, imo posse etiam ad ritum Graecum transire: et idem repetatur de sacerdote Graeco per loca Latinorum transeunte (3). Vera sententia est sacerdotem Latinum peregrinantem per loca Graecorum et in Graeca ecclesia celebrantem, et sacerdotem Graecum peregrinantem per loca Latinorum et in Latina ecclesia celebrantem, non solum posse, sed etiam debere ritum suum servare et ideo non posse Latinum in fermentato, Graecum in azymo sacrificium eucharisticum offerre. Id enim ex constitutionibus pontificiis quae hac de re agunt, non obscure eruitur.

806. Panis azymus quem adhibet Latina Ecclesia vulgo appellatur *hostia*. Quamquam enim proprie hostia, idest victima (*n. 16*, in nota), non est panis ipse, sed corpus Christi in quod panis per verba consecratoria convertitur, tamen hoc nomen datur ipsi pani per anticipationem: denominatur quippe pro praesenti, quod brevi faciendum est. Hostia debet esse formae, quantum fieri potest, orbicularis, major pro celebrante quam pro communicantibus; sed, deficiente hostia majori, possumus etiam Missam celebrare cum hostia minori communicantium, admonentes populum de defectu hostiae majoris, si coram populo celebramus et periculum sit admirationis ac scandali. Hostia major pro

(1) Ledesma, *in IV, p. 1, qu. 15, art. 4, dub. 1.*
(2) Suarez, *De Euch., disp. XLIV, sect. III*; S. Alphonsus, *VI, n. 204*: *Communiter et probabilissime.*
(3) Quartus, *ad Rubr. Miss. p. III, tit. I, et sequ.*

Missae celebratione habere solet impressam imaginem D. N. J. C. Proposito dubio in *Imolen.*, *23 Apr. 1834* (n. 4723) : « An liceat Missam celebrare, quin in sacra hostia appareat imago Jesu Christi cruci affixi » ; S. R. C. respondit : « Servetur consuetudo. » Praeterea hostia non debet esse fracta nec maculata ; sed uti hostia fracta aut maculata, peccatum est leve, a quo rationabilis causa excusat, nisi adsit scandalum et fractura et praesertim macula sit enormis ; imo si hostia notabiliter fracta vel maculata post oblationem deprehendatur, licite consecratur, quia aliquo modo jam est Deo dicata (1). In Ecclesia graeca panis pro celebratione Missae est quadratus ; pro communione fidelium est triangularis.

807. Tandem panis vel azymus vel fermentatus pro sacrificio Missae adhibendus, debet esse non corruptus. Si sit penitus corruptus, ita ut panis amplius non sit, consecratio est nulla, uti Rubricae Missalis relatae *n. 793* docent ; si coeperit corrumpi, sed non sit corruptus, consecratio valet, sed est graviter illicita. Ad rem Rubricae Missalis, *l. c.* : « 3° Si coeperit corrumpi, sed non sit corruptus...., conficitur (sacramentum), sed conficiens graviter peccat ». Tandem si dubium est num corruptio eo usque processerit ut panis amplius non habeatur, consecratio est dubia, ideoque a fortiori graviter illicita. Porro quilibet panis, fermentatus vel azymus, corruptioni obnoxius est, praesertim si in arca vel in alia custodia obseratus retineatur ; et licet fermentatus magis ac citius quam azymus ad corruptionem pergat, tamen difficilius in azymo incepta corruptio ex visus sensu cognosci potest.

808. Ut vero aliquam regulam practicam hac de re tradamus, in primis referimus responsionem S. R. C. in *Gandaven.*, *17 Dec. 1826* (n. 4623). Nam propositis dubiis : « 1° An, attenta consuetudine, rector licite consecrare possit species a tribus mensibus tempore hiemis vel a sex mensibus in aestate confectas ; 2° An casu quo rector sive

(1) Scavini, *tom. III, n. 141* ; Lehmkuhl, *vol. II, n. 121* ; S. Alphonsus, *VI, n. 204, 205.*

pastor ecclesiae praxim illam approbet, nec velit eam relinquere, alii sacerdotes, in eadem ecclesia inservientes, possint tuta conscientia in hoc pastori obsecundare, utendo praefatis speciebus » ; S. C. rescripsit : « Ad 1um : Negative, et, eliminata consuetudine, servetur Rubrica. Ad 2um : Negative ». Exinde patet sacerdotem nullo modo posse, non obstante quacumque consuetudine, consecrare panem sive azymum sive multo magis fermentatum a tribus mensibus confectum, quia scilicet probabiliter est corruptus.

809. Rubrica Missalis, *De sanctissimo Eucharistiae sacramento,* ad quam alludit in sua responsione S. R. C., haec habet : « Sanctissimae Eucharistiae particulas *frequenter* renovabit (rector ecclesiae). Hostiae vero sive particulae renovandae sint *recentes*, et ubi eas consecravit, veteres primo distribuat vel sumat ». Duo igitur praecipiuntur, nempe ut particulae consecratae *frequenter* renoventur, et ut particulae consecrandae sint *recentes* ; primum melius determinabimus in *cap. IX*, *art. II* ; quoad alterum nos sequamur regulam traditam a S. Carolo Borromaeo. Nam in concilio provinciali Mediolanensi IV, in capite, *Quae ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum pertinent,* sanctus antistes ita statuit : « Ut octavo quoque die renovetur Eucharistia et quidem *ex hostiis non ante viginti dies ad summum confectis* ». Idem repetit in Instructionibus *de ipso Eucharistiae sacramento* : « Eas (particulas) octavo quoque die ad summum renovabit..... Hostiae autem adhibeantur recentes et a viginti diebus ad summum confectae ». Proinde S. Carolus praecipit non esse consecrandas et consecratas esse renovandas hostias confectas a viginti et octo diebus, seu circiter a mense, sive quia aliquod corruptionis periculum potest adesse, praesertim hiemali tempore aut si locus est humidus, sive quia id ipsa reverentia erga SSmum Sacramentum exigere videtur. Quod si lex particularis minus tempus praescribat, haec lex servanda erit. Orientales autem rigidiores Latinis sint oportet, cum fermentatum citius, ut dictum est, corrumpatur ; sed de facto cum Orientales pro sanctissima Eucharistia, ut plurimum, utantur ipso pane communi, hic satis recens esse solet.

810. Coronidis loco animadvertimus, sive ad abusus evitandos, sive propter reverentiam tanto sacramento debitam, nonnullas synodos dioecesanas aut provinciales praecipere ut hostiae conficiantur vel a clericis vel a sacris virginibus, non autem a laicis aut saecularibus foeminis. S. Carolus Borromaeus in concilio provinciali Mediolanensi IV, *l. c.*, haec statuit: « Hostias pro sacra Eucharistia conficienda non laicus homo, nec vero foemina faciat ». Haec cohaerent iis quae refert Martene, *De ant. Ecc. ritibus, tom. IV, lib. II, cap. VIII, n. 5*, circa modum olim a nonnullis religiosis familiis servatum in hostiis conficiendis. Nempe adhibebatur frumentum optimum et purum, a fratribus granatim electum. Ita electum, lavabatur studiose et in panno nitido diffusum siccabatur ad solem, colligendum deinde in saccum non qualemcumque, sed qui ad hoc solum de bono panno consitus erat et reservatus. Deinde hostias conficiebant tres fratres presbyteri vel diaconi albis et superhumeralibus induti, jejuni ac silentium, ut plurimum, servantes, ne non modo saliva, sed nec halitus eorum ad hostias pertingeret. Unus eorum farinam conspergebat et compingebat super tabulam nitidissimam, habentem limbum in circuitu; conspergebat autem aqua frigidissima, quia inde hostiae fiunt candidiores. Alii duo hostias formabant. Conversus autem, in manibus chirothecas habens, ferrum tenebat, in quo sex simul hostiae coquebantur; coctae autem cultello abradebantur cadebantque in discum tabulae subpositum et linteo jugiter coopertum.

Haec de prima materia seu de pane.

811. Quod attinet ad aliam materiam seu ad vinum, dicimus aptum pro consecratione esse vinum qui communiter hoc nomine appellatur et ad bibendum inservit. Atqui tale est vinum ex vite, non corruptum, potabile: ergo hoc tantum aptum est pro consecratione. Haec fusiori indigent declaratione.

812. In primis vinum debet esse ex vite, cum ipsemet Christus D. illud appellet *genimen vitis (n. 3)*. Vide etiam verba Eugenii IV relata *n. 798*. Non interest cujus saporis aut coloris hoc vinum sit. Benedictus XIV, *Inst. Ecc.*

LXXVII, n. 1, cum aliis narrat maximam curam et diligentiam majorum nostrorum circa vinum quod sacrificio eucharistico inservire debebat: « Majores nostri vinum optimum pro sacrificio Missae seligebant, quemadmodum ex Innocentio III deprehenditur, *lib. IV, cap. 30, Mysterior. Missae*: *Diligenti studio*, inquit, *vinum optimum quaerendum est*. Illud quoque ex historiarum scriptoribus proditum fuit ecclesiis tribui consuevisse quasdam vineas ut *ex illis optimum vinum fieret in usum sacrificii*. In officio S. Wenceslai Bohemiae Regis illud memoria dignum commendatur, quod: *Sacerdotes veneratus, suis manibus triticum serebat et vinum exprimebat, quibus in Missae sacrificio uteretur*. In more positum quoque fuit ut diaconus in calicem subjectum vinum infunderet per colum aut coclear minutissimis foraminibus elaboratum, ne aliquid impuri cum vino admisceretur... Tandem sacrarii custodes in judicium vocari non consueverunt, si in Missae sacrificio vitioso vino sacerdotes uterentur, sed episcopus et etiam metropolitanus reus statuebatur, si, hac re cognita, malum tamen negligenter dissimulassent ».Attamen ad eucharisticum sacrificium adhibere vinum inferioris qualitatis, dummodo verum vinum de vite sit, potabile et non corruptum, etsi habeatur vinum melioris qualitatis, per se, praeciso scilicet contemptu, non est peccatum.

813. Exinde apparet esse materiam invalidam vinum seu potius liquorem ex pomis, melle, aliave quacumque materia, licet cum vino ex vite magnam habeat similitudinem. Vicarius Apostolicus Siami exposuit S. C. de Prop. Fide: « Sunt in Siamo vites silvestres; uvae sunt mirae magnitudinis (vix credidissem nisi oculis propriis vidissem); potest unus racemus dare ad minus decem lagenas vini. Reperiuntur in una stipe viginti, triginta et amplius racemi. Primo tempore quo in Siamum perveneram, venerunt ad me duo juvenes super humeros portantes duos istiusmodi racemos; cum mustum expressissem, confeci undecim lagenas vini; residuum projeci. Non multum quidem confidebam tali experientiae. Post octo et decem annos volens gustare de ultima lagena, inveni colorem, odorem et saporem

bonum ; cum autem defunctus episcopus noster diceret non esse vites veras, non poteram mordicus contradicere, licet assentiri ipsi non possem. Solam quam invenio differentiam, haec est, quod scilicet grana seu semina uvarum Siamensium sunt multo majora et alterius formae quam europearum ; sunt ejusdem figurae et formae, ejusdem magnitudinis, ac grana caffaei ; fermentatio fit optime per plures dies. Miserunt ad me hoc anno viginti lagenas ; sumpsi partim propter stomachum et frequentes infirmitates meas, partim dedi bibere aliis infirmis, et profuit nobis. Quia vero non maturescunt propter defectum solis, debet immisceri saccharum, quod forte etiam necessarium est ad diutius conservandum. Inveniuntur tamen quibusdam in locis quae ex se sunt dulces. Enixe peto decisionem utrum tali vino possimus uti in celebratione Missae ». S. C. reposuit *an. 1819* : « Ex hactenus deductis non constare liquorem de quo agitur, esse verum vinum ; ideoque non licere eo uti in sacrificio Missae, donec aliter fuerit judicatum » (1).

814. Item non est materia apta liquor mediante aliqua chimica operatione confectus, etsi omnia vini elementa contineat. Ad rem S. C. de Prop. Fide in instructione diei *10 Mart. 1861* : « Ex novis humani ingenii inventis quibus aetas haec nostra ceteris antecellit, etsi commoda plus quam mediocria percipiantur, eorum tamen occasione abusus non pauci, iique in rebus gravissimis, occurrere deprehenduntur. Cum igitur ex chimicae progressibus eo ventum sit ut multa in naturae similitudinem componantur aut conficiantur, contigit frequentissime ut in regionibus praesertim uvarum penuria laborantibus, vina quaedam fabricentur, quae musto ex uvis expresso minime constant. Hinc vero plures per Ecclesiam Antistites talia recenter edere decreta debuerunt, quibus vini artefacti usus prohiberetur omnino ab altaris ministerio ; quo videlicet divini sacrificii securitati, ut par erat, consuleretur. Quam quidem in rem, sicuti in ipsa Urbe Eminentissimus Sanctitatis Suae Vicarius quaedam assignavit loca, ubi vinum de vite, tam-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 699.*

quam tale recognitum, ab ecclesiarum rectoribus aliisque sacerdotibus emi posset, ita aliis in locis ea Episcopi in eumdem finem statuerunt, quae pro sua prudentia expedire judicarunt. Porro vel in ipsa America res tanti momenti Episcoporum vigilantiam non effugit ; ideoque notum est sacrae huic Congregationi decreta quaedam in provincialibus conciliis fuisse condita, ut caveretur ne quis vinum artefactum in Missae sacrificio adhiberet. Quandoquidem vero hisce non obstantibus nuper a SSmo Domino Nostro petitae fuerint sanationes super obligationibus Missarum in quibus bona fide vinum arte confectum fuerat adhibitum, idcirco comperuit Sanctitas Sua Antistitum curas aut decreta finem intentum haud plene atque ubique locorum fuisse consecuta.

« Quae cum ita sint, jussit Beatissimus Pater ut vigilantiam omnium ac singulorum Antistitum et Vicariorum Apostolicorum a sacra Congregatione Christiano nomini propagando praeposita dependentium (praesertim illorum locorum in quibus vites vel parum vel nullo modo coluntur) suo nomine excitaretur ad eas edendas praescriptiones vel cautiones sacerdotibus praescribendas, quibus omne nullitatis periculum a sacrificio altaris, quod supremus est religionis actus, penitus arceatur » (1).

815. E contrario potest esse materia apta vinum ex acinis uvae passae (*raisins secs*). Hac de re est responsio S. C. S. Officii *diei 22 Jul. 1703*. P. Josephus de Hierusalem Ord. Min. Praefectus Missionum Aethiopiae exposuit modum conficiendi vini, ita : « Sumuntur, v. g., quatuor librae *zebibi* (acinorum uvae passae), franguntur, atque in apto vase tunduntur, ac deinde totidem frigidae aquae librae in idem vas infunduntur, et haec infusio servatur per sex, octo vel ad summum decem horas. Extrahitur postea uvae passae materia, eaque ab exteriore aqua purgata panno stringitur vel torculari premitur. Liquor inde expressus vinum est, quo sine ulteriori diligentia utuntur dum celebrant ». Hac praemissa explicatione et variis experimentis factis pro eruendo

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 702.*

dicto vino, S.C. reposuit, probante Pontifice : « Licere, dummodo liquor extrahendus a *zebibo* vel uvis passis, ex colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum ». Hanc responsionem eadem S. C. confirmavit die *7 Maii 1879*, rescribens ad episcopum S. Alberti (1). Quod supponit posse constare, esse verum vinum in casu : idque revera satis constabit si soli uvae acini, ex moderata aquae copia affusa turgentes, torculari subjiciantur et modo nostris regionibus consueto musti effervescentia expectetur atque ita vinum defaecatum diffundatur (2). Sane in casu hoc unum efficitur, nempe restituitur uvae acinis aqua quae solis calore evaporaverat et postea vinum conficitur.

816. Praeterea hoc vinum de vite debet esse non corruptum et potabile ut pro sacrificio eucharistico inservire possit. Rubricae Missalis, *l. c.*, *IV*, *De defectu vini*, haec habent :

« 1° Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae ut vinum sit corruptum, non conficitur sacramentum.

« 2° Si vinum coeperit acescere vel corrumpi vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea seu alterius distillationis, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat ».

Necesse est ut in his explicandis aliquantulum immoremur.

817. In primis vinum fit acetum per corruptionem. Acescentia incipiens indicat initium corruptionis et tunc materia est valida, sed graviter illicita per se, juxta citatas Rubricas. Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 2*, addit : « Ille solum sacerdos culpa immunis et vacuus declaratur qui sacrum facere debeat, nec tamen commutandi vini potestatem habet, quod Regularibus contingit ; tunc enim (nisi vinum corruptum penitus fuerit, sed acescere solum inceperit), in praesides omnis culpa refertur aut in ministros qui vinum pro Missae sacrificio suppeditare tenebantur ».

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 705*.
(2) Lehmkuhl, *vol. II, n. 119*.

S. Alphonsus, *VI, n. 207*, cum aliis probabile putat « deficiente alio vino, licere sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum tantum parum acescens, sive non notabiliter acidum » ; etsi proinde sacerdos non ex necessitate, sed ex simplici devotione celebret ; qua sententia probabili in praxi uti possumus. Idem S. Doctor postea refert et non reprobat opinionem Sporer et Mazzotta putantium quod, urgente gravi necessitate, licitum esset uti vino adhuc notabiliter acescente, modo sit certum vinum. Ulterior acescentia est indicium ulterioris corruptionis vini et tunc materia potest esse etiam dubia. Tandem completa acescentia indicat completam corruptionem ita ut vinum non sit amplius vinum, sed acetum, et tunc materia est invalida. Ad rem S. Thomas, *p. 3, q. 74, a. 5, ad 5um* : « Dicendum quod vinum fit acetum per corruptionem : unde non fit reditus de aceto ad vinum ; et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut et de pane qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens ».

818. Quod si agatur non de vera acescentia vini quae ex ejusdem corruptione provenit, sed de aliquali acrimonia quae est ex causa naturali eidem vino, e. g., quia uvae non erant perfecte maturae, certe materia est valida et licita ; imo non expedit ut haec naturalis vini acrimonia corrigatur, mediante introductione extraneae substantiae. Sane expositum fuit : « Nos vins blancs de X... ont généralement le défaut de garder de l'acidité. Cette dernière est due à un excès d'acide tartrique et les rend peu agréables souvent. Il est reconnu qu'en ajoutant à ces vins du tartrate de potasse, sel qui est extrait des lies de vin par un procédé chimique, on corrige cette verdeur et on rend le vin plus agréable. Ce sel forme avec l'acide tartrique en excès un bitartrate de potasse qui tombe au fond du fût. Je viens vous demander si je puis traiter ainsi du vin destiné à la Messe. Pareil traitement avec un produit extrait du vin et qui est précipité presque en totalité, ne change ni ne diminue le liquide ; il l'améliore ». S. C. S. Officii feria IV, die

27 Aprilis 1892 reposuit : « Non expedire ». At liquor ex uvis omnino acerbis ita ut nullam habeat vini potabilis speciem, est materia invalida. S. Thomas, *l. c.*, *ad 3um* : « Agresta est in via generationis et ideo nondum habet speciem vini et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum ».

819. Vinum ita putridum ut potabile non sit, est materia invalida ; secus erit materia dubia, aut certe valida sed graviter illicita, aut etiam licita juxta gradum putredinis. Huc spectat mustum de uvis tunc expressum : nam mustum, continens necessario faeces non consecrabiles, assimilatur vino notabiliter turbido ; et ideo Ecclesia jure merito prohibet sub gravi illud adhibere in sacrificio eucharistico. In casu autem necessitatis id licere, traditur in *can. 7*, *dist. 2*, *De consecr.*, in Decreto : « Si necesse sit, botrus in calice comprimatur et aqua misceatur ». Haec necessitas verificaretur, si vinum fermentatum in regione haberi omnino non posset.

820. Vino consecrando admisceri debet paululum aquae. Ad rem Conc. Trid., *sess. XXII*, *cap. VII* : « Monet deinde S. Synodus praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum D. ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquae in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur ». Et deinde in *can. IX* : « Si quis dixerit... aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, A. S. ». Idem jam docuerat concilium Florentinum in instructione ad Armenos, et S. Cyprianus relatus in *can. 2*, *dist. 2*, *De consecrat.*, in Decreto, et S. Ambrosius relatus in *can. 83*, *cit. dist.* Licet vero, juxta veterum Patrum testimonia, credatur etiam Christum D. paululum aquae in calicem immisisse, tamen exinde non sequitur aquae mixtionem esse necessariam ad validitatem consecrationis aut esse praeceptam jure divino ; non enim omnia quae fecit Christus D. in institutione Eucharistiae requiruntur pro validi-

tate, aut sunt jure divino praescripta. Igitur dicendum consecrationem calicis sine aqua esse validam (1); et probabilius hoc praeceptum esse mere ecclesiasticum, sub gravi obligans, a quo tamen Ecclesia numquam dispensat (2), et nulla necessitas excusat. Num et quomodo haec aqua convertatur in sanguinem, vide *n. 834.*

821. Porro miscenda est *aqua*, nempe naturalis; et miscere aquam rosaceam aut alterius distillationis, gravi non vacat etiam in casu necessitatis. Tantum si in frigidissima regione consuetudo id habeat, ne forte vinum congelet, potest admisceri aqua calida Graecorum more (*n. sequ.*) quem Benedictus XIV in cit. const. *Etsi pastoralis, VII Kal. Junii, 1742*, § *VI, n. 2*, expresse adprobat.

Insuper miscenda est aqua *modicissima* ut ait concilium Florentinum, *l. c.*, dummodo sit sensibilis: aliquae guttae et etiam una tantum sufficeret. Si admisceretur magna pars aquae, materia esset illicita, aut dubia, aut invalida; juxta plures tertia pars aquae in duabus tertiis partibus vini, praesertim debilis, reddit materiam dubiam aut illicitam (3), sed certe materia esset invalida, si quantitas aquae superaret aut solum aequaret quantitatem vini. Honorius III in *cap. 13, De celebratione Missarum*, reprobat abusum ponendi in calice plus de aqua quam de vino.

Ex dictis apparet *loram* seu *loream*, ut vocant, non esse materiam aptam pro consecratione; de qua Benedictus XIV in cit. *Inst. Eccl. LXXVII, n. 3*, haec habet: « Ita conficitur: expressis uvis vinum ex vase detrahitur: racemi solum cum exiguo musto relinquuntur ut simul per horas viginti quatuor ebulliant, quibus magna aquae copia superinfunditur, ita ut musti partem plurimum exuperet. Hoc vini genus quod latini *loram* seu *loream* appellant, pro calicis consecratione idoneum non judicatur, ideoque illud non

(1) S. Thomas, *3 p., q. 74, art. 7*; Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. II, cap. X, n. 8*; S. Alphonsus, *VI. n. 208*; De Lugo, *De Euchar., disp. XIV, n. 22*; Rubricae Missalis *n. sequ.* citandae.

(2) Vide apud Benedictum XIV, *l. c., n. 9*, et apud Collectaneam S. C. de Prop. Fide, *n. 797*; responsionem S. C. de Prop. Fide diei *30 Jan. 1635*, pro Armenis.

(3) S. Alphonsus, *VI, n. 210*, in fine.

adhiberi jubemus in civitate ac dioecesi in sacris conficiendis ».

Pariter non est aptum pro consecratione vinum, quod vocant *Gallisatum* aut *Petiotisatum* ; siquidem aquae effusione et sacchari mixtione quantitas ejusmodi vini triplo aut quintuplo major efficitur, quam quantitas naturaliter elicita (1).

Tandem admixtio aquae naturalis modicissimae fieri debet non in dolio aut in ampulla, sed in ipso calice, tempore et ritu praescripto.

822. In Ecclesia Latina admixtio aquae fieri debet ante consecrationem ; et quidem in Missa privata ipse sacerdos ampullam e manibus ministri accipit et aquam in calicem immittit ; in Missa autem solemni subdiaconus ampullam e manibus acolythi accipiens infundit paululum aquae. Rubricae Missalis, *l. c.*, *n. 7*, statuunt : « Si autem celebrans ante consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate sacramenti ».

« Apud Graecos, ait Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 10*, diversus est ritus ; qui, juxta sanctorum Basilii et Chrysostomi liturgias...., bis aquam infundunt in calicem, semel ante Missam, cum seorsim in mensa parant quae ad Missam opus sunt et sacerdos lanceola panem transfigit dicens : *Unus militum lancea latus ejus aperuit statimque exivit sanguis et aqua*, interea dum diaconus frigidam infundit in calicem : iterum vero cum consecratione facta diaconus ante communionem petit a sacerdote ut calidam aquam benedicat ; quam sacerdos benedicit illis verbis : *Benedictus fervor Sanctorum jugiter nunc et semper et in saecula saeculorum, Amen* ; cui diaconus aquam interim calidam infundens in calicem respondet : *Fervor fidei plenus Spiritu Sancto. Amen* ».

823. Praeter aquam naturalem modicissimam, de qua supra, alia materia vino consecrando sine peccato gravi addi omnino non potest, etsi ex modica additione materia nec

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 119.*

invalida nec dubia redderetur. Una est exceptio ; nempe aliquando vino addi potest parva quantitas *alcool*, dummodo nonnullae serventur conditiones. Haec declarant sequentes S. C. S. Officii responsiones a Romano Pontifice probatae.

Episcopus Massiliensis S. C. exposuit ad vini corruptionis periculum praecavendum duo remedia proponi : 1° Ut vino naturali addatur parva quantitas *d'eau-de-vie* ; 2° Ut ebulliatur vinum usque ad 65 altitudinis gradus. Atque quaerebat utrum haec remedia licita essent in vino pro sacrificio Missae et quodnam praeferendum. S. C. *feria IV, die 4 Martii 1887* reposuit : « Praeferendum vinum prout secundo loco exponitur » (1).

Idem Massiliensis episcopus rursus S. C. retulit in pluribus Galliae partibus, maxime si eae ad meridiem sitae reperiuntur, vinum album quod incruento Missae sacrificio inservit, tam debile esse ac impotens, ut diu conservari non valeat, nisi eidem quaedam spiritus vini (*alcool*) quantitas admisceatur. Hinc quaerebat : « 1° An hujusmodi commixtio licita sit ; 2° Et si affirmative, quaenam quantitas ejusmodi materiae extrancae vino adjungi permittatur; 3° In casu affirmativo, requirituine spiritus vini ex vino puro seu ex vitis fructu extractus et ejusdem coloris ». S. C. *feria IV die 30 Julii 1890*, reposuit : « Dummodo spiritus (*alcool*) extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alcoolica addita una cum ea quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum, et admixtio fiat quando vinum est valde recens, nihil obstare quominus idem vinum in Missae sacrificium adhibeatur»(2). Non servatis hisce tribus conditionibus commixtio spiritus (*alcool*) reddit materiam saltem illicitam.

Archiepiscopus enim Tarraconensis exposuit vinum dulce quod pro Missae sacrificio adhiberi solet in Hispania spiritum ultra proportionem duodecim pro centum naturaliter continere. Et exinde positis dubiis : « 1° Utrum decem partium spiritus pro centum commixtio, ut ex experientia constat, omnino ad vini dulcis conservationem necessaria,

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 2162.*
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 706.*

continuari possit ; 2° Utrum vinum ita confectum adhiberi possit in Missae sacrificio » ; S. C. reposuit die *15 Aprilis 1891* : « Negative in ordine ad Missae sacrificium » (1).

Vicarius Apostolicus Tche-li in Sinis retulit : « Cum difficile sit meracum emere vinum in Europa et difficilius adhuc illud pretio haud modico comparatum in Sinas transvehere, quin in via fraude adulteretur, jam abhinc pluribus annis tutius nec non facilius missionariis hujus vicariatus visum est vinum pro Missae sacrificio in hac ipsa regione confici. Uvae vero quas in septentrionalibus sinensis imperii partibus reperire est, sacchari quantitatem nimis exiguam continent ; ex quo fit ut vinum ex his ad sacrificium Missae expressum alcoolis portionem infimam tantum habeat, et propterea vix incorruptum asservari possit, attentis praesertim diuturnis intensisque aestivi temporis ardoribus corruptioni quam maxime faventibus. Tollitur incommodum obtineturque vinum tuto servabile, nec non oculis, gustui olfactuique haud ingratum, si centum libris uvarum mox contusarum addantur decem librae *sacchari ex canna* (idest ex planta graminea, botanice *saccharum officinarum*, gallice vulgo *canne à sucre* nuncupata) haecque massa deinde more solito fermentatur. Quae cum defecerit, ex centum libris massae (novem sacchari libras juxta exposita continentibus) obtinentur sexaginta septem vini librae, quae ut ex calculo chimico conjicere licet, practice ad summum quatuor libras cum dimidia (idest circiter quintam decimam ponderis totalis partem) alcoolis ex saccharo geniti continent. Aliis verbis, supradicta operatione obtinetur vinum ex vite verum, cujus centum partes sex vel septem alcoolis heterogenei seu non ex vite producti admixtas habent..... Nunc autem, aliquo exurgente dubio, quaeritur : 1° An haec praxis ad obtinendum vinum pro Missae sacrificio tuta sit ; 2° An valida ; 3° Quid si hujusmodi vinum adhibitum fuerit in Missis ex justitia ».

S. C. reposuit die *25 Junii 1891* : « Vino pro sacrosancto Missae sacrificio addendum potius esse spiritum seu

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 2163.*

alcool qui extractus fuerit ex genimine vitis et cujus quantitas una cum ea quam vinum de quo agitur naturaliter continet, haud excedat proportionem duodecim pro centum. Hujusmodi vero admixtio fiat, quando fermentatio sic dicta tumultuosa defervescere incoeperit et ad mentem ». Mens est quod si missionarii nequeunt per se ipsos obtinere spiritum vini ex vino regionis, vino vel vinis regionis addant uvas passas et faciant omnia simul fermentare.

Ulterius episcopus auxiliaris episcopi Mariannensis in Brasilia exponit : « In Brasilia difficillimum est verum vinum habere ad sanctum Missae sacrificium conficiendum, et fere impossibile illud ab adulterino distinguere, nisi in ipsa eadem regione confectum. Jamvero uva his in locis adeo debilis et aquosa est, ut ad tolerabile vinum habendum, aliquid sacchari ex planta, quam vulgo *canna de assucar* appellamus, musto admisceri debeat ; et hoc quidem modo fabricatum quoque est vinum, quo sacerdotes in sancto Missae sacrificio passim utuntur. Nunc vero, cognita responsione S. R. et U. Inquisitionis *feria V loco IV, die 25 Junii 1891* lata, dubitationes et conscientiae anxietates ortae sunt. Quapropter humilis Orator instantissime supplicat, ut Sanctitas Tua benigne declarare dignetur utrum sic confectum vinum pro sancto Missae sacrificio tuto adhiberi valeat, necne ».

S. C. *feria IV, die 5 Augusti 1896*, reposuit : « Loco sacchari extracti e canna saccharina, vulgo *canna de assucar*, addendum potius esse spiritum *alcool*, dummodo ex genimine vitis extractus fuerit, et cujus quantitas, addita cum ea quam vinum de quo agitur, naturaliter continet, haud excedat proportionem duodecim pro centum ; hujusmodi vero admixtio fiat quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere inceperit ».

Tandem archiepiscopus Tarraconensis in Hispania rursus exponit « Tarraconensem regionem optimis vineis abundare; ex quo fit ut vinorum commercium ad exteras nationes protrahatur, et quamplurimi populi, Americae praesertim, a nostris vinicolis et mercatoribus vinum ad sanctum Missae sacrificium conficiendum emere soleant.

« At dubium hac super re a r. p. d. Episcopo Massiliensi dudum propositum, et lata a S. R. et U. Inquisitione *feria IV, die 30 Julii 1890* relativa responsio vinicolas ipsos et mercatores curis et anxietatibus affecerunt. Vina enim dulcia, quae hac in regione conficiuntur, quaeque magnopere a sacerdotibus pro Missae celebratione desiderantur, post primam fermentationem jam duodecim vis alcoolicae gradus exsuperant, ad quos Massiliensia, nec permissa succi alcoolici additione, pertingunt.

« Nihilominus ut haec generosa et dulcia vina, licet majori qua Massiliensia, virtute praedita, ad exteras regiones tuto exportari queant, decem et octo vis alcoolicae gradibus polleant oportet; secus enim propter ipsam eorum dulcedinem, novis fermentationibus sunt obnoxia, et in maris transmissione, ut plurimum, acescunt.

« Quam ob rem vinarii nostri mercatores, eosque inter maxime Augustinus Muller, vir de religione catholica optime meritus, gratiam implorant ei similem quae Episcopi Massiliensis supralaudati votis concessa fuit, facultatem videlicet roborandi spiritu seu *alcool*, ex genimine quidem vitis extracto, vina praesertim dulcia, ita ut ea quae naturaliter plus minusve ad quindecim vis alcoolicae gradus pertingunt, ad octodecim increscant. Ita enim eorum impeditur corruptio, quam iteratis fermentationibus subire solent, tutiusque evehi possunt ad exteras nationes quae apto vino carent ad decorose litandum.

« Praeterea, ut aiunt, in nonnullis Hispaniae regionibus viget perantiqua consuetudo qua plures sacerdotes vinum pro sancto Missae sacrificio sibi conficiunt praemissa vel ignea musti evaporatione, vel uvarum ad solis radios exsiccatione; qui mos cohonestari videtur declaratione S. Officii de *die 22 Julii 1706*, circa vinum ex acinis uvae passae confectum.

« Hisce praehabitis, ad omnem in re tanti momenti dubitationem auferendam, Archiepiscopus Orator humiliter declarari postulat:

« 1° Utrum praelaudatis vinis, praesertim dulcibus, pro eorumdem conservatione tantum spiritus seu *alcool* ex uva

deprompti addi queat, ut ad septemdecim circiter vel octodecim vis alcoolicae gradus increscant; quin cessent exinde esse materia apta pro sancto Missae sacrificio.

« 2° Utrum licitum sit ad sanctum Missae sacrificium conficiendum uti vino ex musto obtento, quod ante fermentationem vinosam per evaporationem igneam condensatum est ».

S. C. *feria IV, die 5 Augusti 1896*, reposuit :

« Ad 1um : Attentis noviter deductis, dummodo in casu proposito spiritus extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas alcoolica adjungenda, una cum ea quam vinum de quo agitur naturaliter continet, non excedat proportionem septemdecim vel octodecim pro centum, et admixtio fiat quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere inceperit, nihil obstare quominus idem vinum in Missae sacrificium adhibeatur.

« Ad 2um ; Licere ; dummodo dococtio hujusmodi fermentationem alcoolicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit, et de facto obtineatur ».

824. Tandem non est materia valida pro consecratione vinum in uva contentum, seu uva, nec vinum in offa panis imbibitum, nec vinum adeo coctum ut ad dimidiam vel tertiam partem reducatur, quia in his casibus non habetur potus, sed cibus. E contrario est materia valida vinum congelatum, quia reipsa est vinum ad potum, non ad cibum inserviens. Confirmatur ex Rubricis Missalis, *l. c.*, § *X*, *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus, n. 11* : « Si in hieme sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis : si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat ». Exinde sequitur in vino congelato minime corrumpi species vini, secus ibi desineret esse sanguis Christi : atqui si species vini sunt in vino congelato, sequitur hoc esse materiam validam pro consecratione. At est materia illicita propter reverentiam erga tantum sacramentum : vinum autem congelatum et liquefactum licite consecrari potest.

825. Benedictus XIV in cit. *Inst. Ecc. LXXVII, n. 11*, concludit : « Poenam suspensionis a divinis iis sacerdotibus

infligimus qui vino subacido seu lora qualibet in re divina peragenda consulto utantur, vel aliud vinum idoneum non exposcant si commode id fieri possit. Poenam eamdem illis subeundam decernimus, qui vina ejusmodi semel adhibuerint, nec facultas ipsa immutandi data fuerit, dum sacrum facerent, si iterum rem divinam operari suscipiant, antequam ministros de vini conditione monuerint, nec certum documentum habeant quod aliud idoneum vinum suffectum fuerit. Eadem poena illigatos constituimus sacerdotes sacrariis praepositos qui se in hac re negligenter gesserint nec statim domorum praefectos de vini immutandi necessitate certiores effecerint. Item ipsos praefectos eidem poenae obnoxios declaramus, nisi vinum sacrificio accommodatum aptumque protinus subrogaverint. Postremo arbitrio nostro poenam indicemus clericis aut laicis qui custodes in sacrario alicujus templi aut sacelli designati sunt, aut curam sacrarii quocumque modo gerunt, nisi jussa haec nostra fecerint, et omnino curaverint ut observentur omnia quae superius constituimus ». Haec poena videtur fuisse ferendae sententiae ; ceterum esse non poterat nisi pro dioecesi Bononiensi. At haec sapientissimi Archiepiscopi verba possunt esse norma pro aliis Ordinariis et gravitatem culpae ostendunt.

826. Ex huc usque dictis apparet quantae cautelae necessariae sint circa panem et vinum pro eucharistico sacrificio adhibendum. Nunquam in genere adhibere possumus tuta conscientia nec hostias quae publice a pharmacopolis aliisve vendi solent, cum saepe non ex tritico confectae sint, sed ex aliis materiis et nominatim ex fructu quem dicimus *pomme de terre*, *patata* ; nec vinum quod a cauponis aliisve negotiatoribus venditur, quia probabile est, praesertim in magnis civitatibus, ex aliis materiis esse confectum, aut saltem aliae materiae aut aquae in quantitate non modica esse admixtum.

Articulus II.

De Forma.

827. Retulimus *n. 2, 3*, verba Sacrae Scripturae enarrantis institutionem sanctissimae Eucharistiae ; sed circa actiones Christi et ordinem chronologicum earumdem actionum non una est sententia.

In primis Sacra Scriptura non refert Christum D. oculos in coelum levasse, sed, ut docet Innocentius III, in *cap. 6, De celebratione Missarum*, verosimile est id fecisse, sicut fecit *Joan. XI, 41* ; *Luc. IX, 16* ; *Marc., VI, 41* ; et ideo Ecclesia ex traditione apostolica id recitat in canone Missae (1).

Praeterea Protestantes dixerunt juxta narrationem scripturalem Christum D. verba consecratoria protulisse post communionem Apostolorum, et ideo Apostolis praebuisse panem vinumque benedictum quidem sed non consecratum. Haec sententia repugnat tum Sacrae Scripturae ex qua patet Christum D. dedisse Apostolis suum Corpus et Sanguinem, tum doctrinae Patrum ; et reprobata est a Conc. Trid., *sess. XIII, cap. I* : « Post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est... » ; et rursus *cap. III* : « Nondum Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse quod praebebat ». Etiam Innocentius III, *De mysteriis Missae, lib. IV, cap. VI*, cujus verba refert S. Thomas, *3 p., q. 78, a. 4, ad 1um*, cum nonnullis aliis catholicis, nimis insistens cortici verborum Sacrae Scripturae, putavit Christum D. pronuntiavisse verba post communionem Apostolorum, sed, non admittens Apostolos recepisse panem et vinum non consecratum, censuit Christum D. potestate excellentiae consecravisse panem et vinum simplici benedictione absque verbis, verba autem in fine

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XII, n. 10.*

protulisse ut ceteris formam consecrationis praeberet. Haec sententia a Tridentino Concilio directe damnata non fuit (1), sed clare opponitur ejus verbis mox relatis ex *cap. III*; et ideo, aliis omissis argumentis, cum communi dicendum, Christum D. panem et vinum consecravisse verbis quae Sacra Scriptura refert (2). Imo rejicienda quoque est cum D. Thoma, *l. c.*, illorum opinio qui putaverunt Christum D. verba consecratoria bis protulisse, primo secreto ad consecrandum, secundo manifeste ad instruendum ; nam Christus D. semel tantum verba protulit et ad consecrandum et ad instruendum, postea addens : *Hoc facite in meam commemorationem.*

Licet vero S. Thomas, *l.c.*, tradere videatur benedictionem de qua Sacra Scriptura, fuisse ipsam consecrationem, tamen conformius est narrationi Sacrae Scripturae, canoni Missae et praesertim Tridentini verbis relatis supra ex *cap. I*, dicere Christum D. prius panem et vinum benedixisse benedictione accidentali, non consecratoria, et postea super panem et vinum verba consecratoria protulisse.

Suarez, *l. c.*, *sect. II*, probabilius putat ipsam gratiarum actionem fuisse per se distinctam a benedictione panis et vini, licet utraque actio simul et fere una eademque actione perfecta fuerit.

Non conveniunt autem auctores utrum fractio panis facta fuerit ante an post panis consecrationem (3) ; sed Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XV, n. 10*, verosimilius putat Christum D. prius panem consecravisse, et deinde fregisse, sicuti nos ex apostolica traditione facimus in Missa.

Tandem Sacra Scriptura non refert Christum D. panem vinumque consecratum sumpsisse, antequam Apostolis traderet, sed « id contigisse communi omnium Patrum opinione

(1) Benedictus XIV, *De festis D. N. J. C., lib. I, cap. VI, n. 40*, cum Tournely ; Billuart, *De almo Euchar. sacram., Disp. V, art. 1.*

(2) S. Thomas, *l. c.* ; Billuart, *l. c.* ; Benedictus XIV, *l. c.*, et *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XV, n. 8 sequ.* ; Catechismus Romanus, *De sacram. Euchar., n. 19* ; Sylvius, in *cit. loc. D. Thomae* ; Suarez, *ib., sect. I.*

(3) Suarez, *l. c., n. 13.*

declaratur » ; ait Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXXVIII, n. 6*, et fusius, *De festis D. N. J. C., lib. I, cap. VI, n. 41*, cum D. Thoma, *l. c., q. 82, a. 1* ; de qua re rursus infra redibit sermo.

828. Si horum omnium ratio habeatur una cum scripturali narratione, sequitur actiones Christi D., sanctissimam Eucharistiam instituentis, sequentes ordine chronologico fuisse. In consecratione panis, ipse panem in manus accepit, oculos in coelum levavit, gratias agens, panem benedixit, benedictione accidentali, fortasse nil dicens, verba consecratoria protulit, panem fregit in partes sufficientes, sumpsit ipse deditque Apostolis, jussit ut eodem modo Apostoli omnesque sacerdotes facerent in ejus commemorationem. Idem de calicis consecratione repetatur, excepta fractione.

829. Igitur nemo qui praesentiam realem admittit, umquam negavit et negare potest verba Redemptoris necessaria esse pro consecratione, idest pertinere ad formam sacrificii et sacramenti eucharistici. Hinc omnes liturgiae haec verba habent ; et si ea desunt in nonnullis liturgiis syriacis, id ex errore amanuensium explicari debet (1).

Nonnulli, etiam inter catholicos, putaverunt ad hanc formam pertinere quoque preces ab Ecclesia additas quae in Ecclesia Occidentali antecedunt, in Orientali sequuntur verba Redemptoris, ita ut integra forma constaret et verbis Redemptoris et his precibus Ecclesiae. Vide prae ceteris omnibus Lebrun, *l. c.*, qui hanc sententiam firmat pluribus auctoritatibus.

E contrario, doctrina communis et certa est formam consecrationis consistere unice in verbis citatis Redemptoris. Nam, ne in hac theologica quaestione nimis insistamus, Pius VII in litteris ad Patriarcham Melchitarum, *8 Maii 1822*, prohibet « omnibus quominus sustineant ac tueantur illam opinionem a schismaticis hominibus propugnatam, consecrationem non consistere *unice* in verbis Christi quibus utraque Ecclesia Occidentalis et Orientalis utitur, sed ad perfectam

(1) Assemani, *Biblioth. Orient.*, *tom. II, p. 200* ; Lebrun, *l. c.*, *pag. 224*.

consummatamque consecrationem addi oportere precandi formulam quae in liturgia Occidentali antecedit, in Orientali subsequitur ». Igitur verba quae Christus D. adhibuit in ultima coena, consecrans personaliter panem et vinum, adhuc adhibet in sacrificio eucharistico consecrans ministerio sacerdotis. « Forma hujus Sacramenti, ait Eugenius IV in Decreto ad Armenos, sunt verba Salvatoris quibus hoc conficit sacramentum ; sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum ». Cohaerent Rubricae Missalis, *l. c.*, § *V*, *De defectu formae* : « 1° Defectus ex parte formae possunt contingere si aliquid desit ex iis quae ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis quae sunt forma hujus Sacramenti, sunt haec : *Hoc est enim Corpus meum* ; et : *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret vel immutaret de forma consecrationis Corporis et Sanguinis et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret ».

De utriusque consecrationis forma singillatim agendum est.

830. In primis forma consecrationis panis sunt verba Christi D. : *Hoc est enim corpus meum,* quae leguntur apud *S. Matth., XXVI, 26.* Erravit igitur Ambrosius Catharinus docens verba consecratoria panis esse potius verba : *Qui pridie quam pateretur, etc.* ; quae doctrina auctoritatibus mox allatis aperte repugnat. Scotus *in 4°, dist. 8, q. 2, n. 5*, cui alii quoque astipulati sunt, putavit formam quidem consecrationis panis consistere in verbis : *Hoc est*, etc., sed verba praecedentia : *Qui pridie*, etc., esse necessaria pro validitate consecrationis, quia sacerdos his verbis constituitur agens in persona Christi, dum dicit : *Hoc est*, etc., et sine illis haec verba non significarent corpus Christi, sed corpus sacerdotis. Haec sententia damnata non est, sed ab omnibus rejicitur et solido caret fundamento ; nam ver-

ba : *Hoc est*, etc., etiam sine praecedentibus, pronuntiantur in persona Christi, et ad hoc sufficit intentio sacerdotis. Hinc fit ut, si consecrationis verba repetenda sunt postquam celebrans jam longius progressus est, solummodo ex praecepto Ecclesiae resumi debeant a verbis : *Qui pridie*, etc., quo congruentius ad ipsam consecrationem deveniatur. Sin autem statim inter consecrationem error corrigendus est repetitione formae, non oportet ut resumantur illa verba : *Qui pridie*, etc., sed sola ipsius consecrationis forma (1).

831. Porro particula *enim* non legitur in Evangelio, sed ex antiquissima Ecclesiae Romanae consuetudine additur propter continuationem ad verba praecedentia. Igitur non est necessaria ad validitatem consecrationis ; qui vero illam praetermitteret scienter, peccaret profecto, sed probabiliter leviter tantum. Cetera autem verba sunt essentialia, ita ut mutatio substantialis, quae nempe alium sensum secum ferret, irritam redderet consecrationem ; accidentalis graviter illicitam. Hinc valida, sed graviter illicita foret consecratio, si sacerdos diceret : *Hic cibus*, *haec res*, *contentum sub his speciebus est corpus meum*, vel : *Hoc est corpus meum quod de virgine sumpsi* ; vel : *Hoc est meum corpus*. E contrario invalida foret consecratio, si diceret : *Hic* (adverbialiter) *est corpus meum* ; vel : *Hoc corpus est meum* ; vel : *Ecce corpus meum* ; vel : *Hoc fit corpus meum* ; vel : *Hoc sit corpus meum* ; vel : *Hic panis convertitur in corpus meum* ; vel : *Hic ponitur corpus meum* ; vel : *Haec substantia mea*. Tandem dubia est consecratio, si diceret : *Illud est corpus meum* ; vel : *Haec est caro mea* ; vel : *Hoc corpus meum*.

832. Illud *hoc* in forma consecrationis panis significat : *Hoc ens quod est in meis manibus*, vel : *hoc ens quod continetur sub his speciebus*, et semel prolato ultimo consecrationis verbo, per mirabilem conversionem, jam sub speciebus panis non est amplius panis substantia, sed Christi corpus, et ita propositio : *Hoc est corpus meum*, vera est.

833. Forma consecrationis vini sunt verba Christi D. :

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 130* ; Billuart, *l. c., art. III.*

Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti (mysterium fidei), qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum; quae in variis Scripturae locis leguntur. Profecto omnia haec verba nos tenemur sub gravi praecepto pronuntiare. Certum est esse essentialia verba : *Hic est calix sanguinis mei ;* et ideo mutatio essentialis in his verbis irritam reddit consecrationem ; accidentalis graviter illicitam. Hinc valide sed graviter illicite consecraret sacerdos Latinus dicens : *Hic est sanguis meus*, qua forma Graeci utuntur ; item sacerdos tum Latinus tum Graecus dicens : *Hic potus, hic calix est sanguis meus* ; vel : *Contentum sub his speciebus est sanguis meus ;* vel : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo ;* vel : *Hic est sanguis meus infiniti valoris ;* vel : *Hoc est sanguis meus.* E contrario invalide consecraret, dicens : *Hic sanguis est meus ;* vel : *Ecce sanguis meus ;* vel : *Hoc fit, hoc sit sanguis meus,* etc. Tandem dubie consecraret dicens : *Hic sanguis meus* ; vel : *Hic calix sanguinis mei* ; vel : *Ille est sanguis meus.* Nonnulli theologi putant etiam sequentia verba : *Novi et aeterni testamenti, etc.*, esse essentialia, sed sententia moraliter certa est ad essentiam pertinere sola verba : *Hic est calix sanguinis mei* (1). S. Alphonsus, *VI, n. 223*, censet utramque sententiam esse speculative probabilem, sed in praxi primae sententiae tutioris rationem habendam esse, ita ut si forte sacerdos prima tantum protulisset verba, deberet integram formam repetere sub conditione. At si omisisset tantum verba : *Novi*, aut tantum : *Et aeterni*, aut : *Mysterium fidei*, aut etiam haec omnia simul, integram formam sub conditione repetere nec deberet nec posset, ad praescriptum Rubricarum (*n. 839*), quia certum omnino est haec verba non esse essentialia (2).

834. Illud *hic* refertur ad calicem continentem et per ipsum ad vinum contentum ; et sensus est : *Hic potus est*

(1) Lehmkuhl, *vol. II, n. 129* ; Franzelin, *De Eucharistia, De Sacramento, thesi XI, pag. 358*, ubi probat verba : *Qui pro vobis, etc.*, non esse essentialia ; De Lugo, *Disp. XI, n. 60.*

(2) Vide Innocentium III in *cap. 6, De celebratione Missarum*, etc. ubi explicat curnam in forma consecrationis verbis Scripturae Ecclesia addiderit : *Et aeterni*, ac : *Mysterium fidei.*

sanguis meus. Semel prolato ultimo consecrationis essentiali verbo, substantia vini conversa est in Christi sanguinem, ita ut in calice sub speciebus vini jam non sit vini substantia, sed sanguis Christi. Innocentius III, *l. c.*, § *Quaesivisti*, ad examen revocat quaestionem num et aqua vino admixta convertatur in sanguinem Christi, et sententiam affirmativam ait esse probabiliorem, quam revera hodie omnes admittunt post D. Thomam, *3 p.*, *q. 74*, *a. 8*, qui censet opinionem oppositam sustineri non posse. Deinde doctores non conveniunt circa modum conversionis ; sed ni fallimur, res clara est. Nam vinum est compositum ex pluribus elementis (inter quae est aqua) in certa proportione. Igitur aqua modicissima quae in calice immittitur una cum aqua quae naturaliter vino inest, jam est unum essentiale vini elementum et ideo nil mirum quod per verba consecratoria convertatur in sanguinem. Et haec videtur esse mens Innocentii III et D. Thomae, *l. c.*, et est doctrina communis theologorum.

835. Ex formis quas huc usque explicavimus, patet evidenter formas ipsas ad validitatem consecrationis requirere materiam ita praesentem ut per verba *hoc*, *hic* demonstrari possit. Ex praecepto gravi Rubricarum Missalis omnis materia consecranda debet esse in *altari*, in *corporali*, in *petra sacra*, si altare est portatile ; ideoque et hostia pro expositione in ostensorio et ciborium cum particulis pro fidelium communione, cum in ordine ad sacrificium nulla sit inter has particulas et magnam hostiam differentia et omnes sint eadem victima quae per modum unius offertur absque ullo discrimine (1) ; idque saltem ab offertorio inclusive usque ad consummationem vel repositionem sacramenti in tabernaculo. Proposito dubio : « 19° Juxta Rubricas Missalis, *p. II*, *tit. V*, *n. 3*, hostiae pro communione populi consecrandae ponuntur vel super corporale, vel in alio calice seu vase. Quaeritur an per illud vas intelligere liceat aliam patenam in qua ponerentur hostiae consecrandae ; insuper an hostiae consecrandae poni possint in alio corporali pli-

(1) De Lugo, *De Euchar.*, *disp. XX*, *n. 69* ; Navarrus, *Manuale*, *cap. XXV*, *n. 83* ; Gury-Ballerini, *vol. II*, *n. 281* ; Lehmkuhl, *vol. II*, *n. 122*.

cato in parte corporalis superposito, quod tempore oblationis-consecrationis explicetur ut discooperiantur hostiae »; S. R. C. *Lucionen.*, *12 Aug. 1854* reposuit: « Ad 19um : Si multae sunt particulae consecrandae, satis est eas ponere in pyxide; si paucae, poni possunt in alia patena; numquam vero in alio corporali complicato » (1). Imo si paucae sunt, e. g., quinque vel sex, melius ponuntur super patenam sub magna hostia, et, facta oblatione, super corporale ex parte evangelii, semper tamen super petram sacram; idemque dicas de hostia pro expositione in ostensorio (2). Sufficit autem ut ciborium quoad majorem partem in petra sacra consistat, cum Rubricae idem disponant de calice. Insuper si propter petrae sacrae angustiam calix et ciborium in eadem simul consistere nequeunt, videtur sufficere ut consecrationis tempore ciborium ponatur in petra sacra, et postea parum removeatur ut locum cedat calici consecrando, etsi ciborium consecratum majori ex parte jam in petra sacra non sit (3); sed jam diximus (*n. 292*) expedire ut petra sacra talis magnitudinis sit, ut continere valeat non solum patenam et majorem partem calicis sed et ciborium aut majorem ejusdem partem. Tandem ex praecepto levi ciborium in altari, excepto momento oblationis et consecrationis, debet esse coopertum, sed (saltem post oblationem) sine velamine. Ceterum reprobanda est illorum praxis qui os adeo proxime admovent, ut halitum in hostiam et calicem inspirent.

836. Quid vero si ciborium consecrandum offertur post oblationem? Si offertur paulo post oblationem, licet illud pro consecratione retinere etiam sine gravi causa, suppleta oblatione mentaliter. Incepta praefatione, gravior causa requiritur: Benedictus XIV, *op. cit.*, *lib. III*, *cap. XVIII*, *n. 8*, docet causam legitimam esse si magna multitudo parata ad recipiendam Eucharistiam sacramento careret;

(1) *Analecta Juris Pontificii*, *série II*, *pag. 2192*; haec consultatio multiplex et responsio non habetur in collectione Gardelliniana.

(2) Meratus ad Gavantum, *p. II*, *tit. XIV*; Gardellini, *Instructio clementina*, *XIX*, *n. 2*; Martinucci, *lib. I*, *cap. XIV*, *n. 271*.

(3) Lehmkuhl, *l. c.*, *n. 124*.

item si diu haec multitudo expectare deberet : at communio unius alteriusve personae, etiam infirmae, non foret causa legitima, quia hoc in casu expedit potius detrahere parvam partem ex magna hostia consecrata. Haec videntur repetenda, si ciborium offertur, expleta praefatione, ante canonem, aut etiam incepto canone, ex S. Alphonso, *VI, n. 217*, cum aliis. At si offertur post canonem et multo magis post consecrationem, numquam licet illud consecrare.

837. Porro haec materiae praesentia adeo immediata, praeccpta ab Ecclesia, non est necessaria pro validitate consecrationis. At foret profecto invalida consecratio si materia esset post parietem, vel post tergum posita, vel in tabernaculo clausa : item si esset valde distans, etsi videri posset ; e. g., non omnes conveniunt de validitate consecrationis materiae distantis viginti passus ; item materiae, a toto decisae, tam modicae ut percipi non possit. Ratio praecipua horum omnium est quia in his casibus illud *hoc*, *hic* non verificaretur, et ideo formis consecrationis locus esse nequit. E contrario valida foret consecratio, si particulae sunt clausae in ciborio, panis in canistro praesenti, etc. ; item si sacerdos caecus aut in tenebris materiam praesentem non videt. Tandem dubia foret consecratio hostiae in Missali latentis (1).

838. Praeterea sacerdos formarum verba pronuntiare debet non recitative tantum sed etiam significative. « Quod ut probe intelligatur, ait Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. II, cap. XV, n. 44*, praemittendum est posse quempiam verba dicere quae alius dixerit, quin ea vel absolute affirmet vel absolute neget ; quod fecit David ea proferens : *Dixit insipiens in corde suo* : *Non est Deus* ; posse etiam verba dicere animo affirmandi vel negandi, ut si quis dicat : *Deus est unus in natura, trinus in personis*. Primus modus dicitur recitativus seu historicus et materialis ; secundus significativus. Nec quidquam impedit quin eadem verba recitative et significative proferantur. Potest enim quisquam quae verba alius dixerit, narrare, et simul quod ille vel affirmaverit vel negaverit, animo vel affirmare

(1) S. Alphonsus ex Busembaum, *VI, n. 211*.

vel negare. Exempli gratia, si quis dicat : *Christus nos docuit ita orare* : *Pater noster qui es in coelis* ; haec verba qui refert tamquam a Christo prolata, ea narrat recitative seu historice et materialiter ; sed si proferantur animo orandi et significandi mentem loquentis, tunc dicta sunt significative seu assertive et formaliter ». Jamvero cum sacerdos ministerialis in formarum prolatione loquatur et agat in persona Christi sacerdotis principalis (*n. 22*), manifeste patet sacerdotem debere formas pronuntiare significative ; et cum D. Thoma, *3 p.*, *q. 78*, *a. 5*, probabilius est eas pronuntiare quoque narrative. Idem juxta communiorem theologorum sententiam dicatur de verbis Christi formas immediate praecedentibus aut subsequentibus.

839. Tandem eadem verba sacerdos pronuntiare debet distincte, accurate et attente, sicuti Christus D. ea protulit in sanctissimae Eucharistiae institutione, et proferret si corporaliter loqueretur. Ex una igitur parte valida esset consecratio, sed per se levi peccato non vacaret, si sacerdos praecipiti pronuntiatione corrumpit *est* in *es*, *corpus* in *copus*, *meum* in *meu*, *calix* in *calis*, *sanguinis* in *sanquis*. Sed pariter ex alia parte laudandus minime est sacerdos qui scrupulosa pronuntiatione corrumpit *meum* in *meume*, *hoc* in *hocque* vel *hocche* (1). Quodnam vero peccatum committat sacerdos voluntarie distractus in formarum prolatione, vide *n. 455*. Addunt vero Rubricae Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, § *V*, *De defectu formae*, *n. 2* : « Si celebrans non recordetur se dixisse ea quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si autem certe ei constet se omisisse aliquid eorum quae sunt de necessitate sacramenti, idest formam consecrationis seu partem, resumat ipsam formam et cetera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resumat sed procedat ulterius ».

(1) Collet, *Traité de la Messe, chap. V.*

CAPUT VII

DE RITIBUS ET CAEREMONIIS SACRIFICII MISSAE.

Articulus I.

De ritibus et caeremoniis sacrificii Missae in genere.

840. In Missae celebratione, praeter partes juris divini quales sunt consecratio panis et vini ac communio sacerdotis (*n. 23 sequ.*), sunt partes juris ecclesiastici ; quae veniunt nomine *rituum* et *caeremoniarum* (1). Ritus et caeremoniae saepe promiscue sumuntur ; e contrario, apud plures auctores cum Conc. Trid., *sess. XXII, cap. V (n. 55)*, distinguuntur ita ut *ritus* consistant in iis quae, juxta Ecclesiae dispositionem, recitari debent in Missa ; *caeremoniae* vero in solis gestibus quibus praedictae preces, juxta ejusdem Ecclesiae praescriptum, peragi debent ad majorem ornatum et decentiam sacrificii quod celebratur (2). Caeremoniae et ritus sunt vel ordinarii, si in omnibus Missis, vel extraordinarii, si in aliquibus tantum servandi sunt. Rubricae Missalis et *Caeremoniale episcoporum* indicant, praeter alia, ritus et caeremonias Missae ; de quibus modo agendum est.

841. In primis circa caeremonias et ritus sacrificii in genere quaeri potest de eorum origine. Ad originem juridicam quod attinet, idest curnam Ecclesia et quo jure has caeremonias et ritus pro sacrificio Missae instituerit, vide *n. 55*. Quod spectat ad originem historicam, S. Gregorius M., *epist. IX, n. 12*, ait : « Mos Apostolorum fuit ut ad ipsam

(1) De origine etymologica vocis *caeremoniae*, vide Merati ad Gavantum, *p. 1, pag. 2*.

(2) Merati, *l. c., pag. 3*. Hinc caeremoniae (juris utique ecclesiastici) afficiunt etiam partes juris divini in sacrificio, determinantes modum easdem peragendi.

solummodo orationem (dominicalem) hostiam consecrarent ». Duchesne, *Origines du culte chrétien, chap. VI, pag. 176*, merito observat : « On n'est pas obligé de croire, malgré l'autorité de ce texte, que la liturgie apostolique n'ait connu d'autre formule que le *Pater* ; mais il est difficile de contester que saint Grégoire l'ait pensé ». Conc. Trid., cit. *sess. XXII, cap. V (n. 55)*, docet ritus et caeremonias sacrificii Missae Ecclesiam instituisse *ex apostolica disciplina et traditione*. Licet igitur admittere velis Apostolos in sacrificio eucharistico offerendo unam adhibuisse orationem dominicalem, tamen illud certum est, statim, ipso aevo apostolico, alios ritus aliasque caeremonias additas fuisse, ut colligitur ex S. Justino, *Apologia 2ª* (1), diversas pro diversis locis et temporibus ; atque ita diversae liturgiae cum diversis Missalibus ortum habuerunt *(n. 58 sequ.)*.

842. In proprio territorio unusquisque suum ritum, a Sede Apostolica probatum, servet. Sacerdos ritus Orientalis, dum per loca ritus Latini peregrinatur et Missam celebrat in ecclesia etiam ritus Latini, debet juxta suum ritum Missae sacrificium offerre ; idem dicatur de sacerdote ritus Latini, qui peregrinatur per loca ritus Orientalis et celebrat in ecclesia ritus Orientalis *(n. 352, 805)*. E contrario, sacerdos ritus Ambrosiani, dum in loco ritus Romani commoratur, potest Missam celebrare ritu Ambrosiano, sed potest etiam ritu Romano, imo expedit ut ritum Romanum sequatur. Revera in *Novarien., 24 Febr. 1890*, ad dubium : « 1° An iidem sacerdotes (dioecesi Mediolanensi adscripti Missali ac ritu Ambrosiano utentes) extra dioecesim propriam commorantes, teneantur celebrare ritu Romano » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Negative, quamvis expediat ut ritui Romano sese conforment ». Idem sine dubio dicatur si sacerdos dioecesis Lugdunensis in Gallia, aut alterius dioecesis propriam liturgiam habentis, extra proprium territorium Missam celebrat. Sacerdos autem, e. g., Lugdunensis, celebrans in dioecesi Mediolanensi, nequit ritum Ambrosianum sequi; proinde aut in suo ritu celebret aut in

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XIX, n. 3.*

Romano ; item sacerdos ritus Romani ubique terrarum suam liturgiam servare debet. Horum omnium ea videtur esse ratio, quia ritus Romanus potior habetur. Tandem quod attinet ad Regulares, propriam liturgiam habentes, sacerdotes extranei, in eorum ecclesiis celebrantes, nequeunt eamdem sequi, sed simul regulares sacerdotes, etiam in alienis ecclesiis celebrantes, propriam sequi debent etiam prae Romana. Ceterum si quaeratur quaenam Missa celebrari debeat, hodie standum est decreto generali dici *9 Jun. 1895* (*n. 867*). Nos hic agimus de ritibus et caeremoniis liturgiae romanae.

843. Ritus et caeremoniae Missae in genere obligant in conscientia, scilicet Rubricae relativae sunt in genere praeceptivae.

Nam cum communi sententia admittimus Rubricas quae indicant ritus et caeremonias antecedentes vel subsequentes Missam, non esse omnes praeceptivas. Ita omittere lotionem manuum post Missam nullum est peccatum, et S. R. C. in *Lucionen.*, *12 Aug. 1854*, *ad 28um*, declaravit episcopum, occasione instaurationis liturgiae Romanae, posse pro arbitrio et prudentia hanc praxim introducere, sed non per modum praecepti (1) ; ante Missam, si manus sunt valde immundae, erit mortale propter irreverentiam, potiusquam vi Rubricae ; secus est veniale et fortasse ne veniale quidem, si paulo ante manus ablutae sunt ; a fortiori leve admodum erit manus non ante vestium sacrarum assumptionem, sed intra vel post abluere. Item omittere orationes quas Rubrica praecipit recitare, dum sacerdos assumit vestes sacerdotales, peccatum leve est ; et nullum videtur esse peccatum non servare ordinem in assumptione vestium, e. g., assumere stolam ante manipulum. De praeparatione ante Missam vide *n. 452* ; de gratiarum actione post Missam *n. 929*.

At Rubricas quae indicant ritus et caeremonias in ipsa Missae celebratione, cum magis recepta sententia putamus esse omnes praeceptivas sub gravi vel sub levi juxta materiam. Id deducimus ex *can. XIII, sess. VII*, Conc. Trid.

(1) Hoc decretum in collectione Gardelliniana non reperitur (*n. 835*).

(*n. 55*), quo anathemate plectuntur illi qui dixerint receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut *sine peccato a ministris pro libito omitti*, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse (1). Quibus vero modis Rubricae Missalis violari possint, et utrum haec violatio peccatum grave secumferat, an leve tantum, ex dicendis patebit.

844. Omittere *Credo*, *Gloria*, *Sequentiam*, *Collectam* (praeter propriam orationem Missae), *Tractum*, benedictiones, inclinationes, genuflexiones, *Kyrie eleison*, evangelium S. Joannis in fine, unam vel alteram crucem super oblata, tunsionem pectoris, lotionem manuum, psalmum *Judica*, signum crucis super aquam, digitorum ablutionem post consummationem, est leve, si de singulis omissionibus agitur, vel etiam paucioribus simul ; sed si agitur de omnibus simul, aut de pluribus simul judicio prudentis, posset esse grave. E contrario, foret per se grave omittere omnes preces in principio, epistolam, evangelium, orationes principales, offertorium, fractionem hostiae, illius mixtionem in calicem, quamlibet canonis orationem, aut etiam aliquod canonis verbum quo sublato sensus deficeret, purificationem patenae et calicis post communionem. Nullatenus peccat sacerdos qui in Missa solemni non recitat quae cantantur a choro : cum eadem jam ipse recitaverit ; imo juxta veterem disciplinam celebrans nullatenus legebat quae subdiaconus, diaconus, lectores, cantores totusque chorus canebat, ut docet Catalanus, *Caeremoniale episcoporum*, *lib. II*, *cap. VIII*, § *XLI*, *n. 4* ; et Lebrun, *Explication, etc.*, *tom. I*, *p. II*, *art. VII*, *n. 2*. Ceterum si advertis te aliquid omisisse, non debes illud repetere nisi certe aut probabiliter necessarium sit ad consecrationem, vel sit notabile et post pauca verba adverteris (*n. 839*).

845. Ex dictis jam apparet Missae *abruptionem* seu *truncationem*, si pars quae praetermittitur notabilis est et

(1) Citatur etiam Bulla Pii V *Quo primum*, quae habetur initio Missalis; sed haec minus probare videtur. Ballerini-Gury, *vol. II*, *n. 403*.

sufficiens hujus abruptionis ratio non adest, non posse a gravi excusari (1). Id traditur expresse in *can. 57, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, sub poena suspensionis, et in *can. 16, c. 7, q. 1*, in Decreto, sub poena excommunicationis ; quae poenae sunt ferendae sententiae, ut declaravit S. C. C., apud Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XIV, n. 2.* Ut autem determinetur causa sufficiens pro hac abruptione, distinguendum inter varias Missae partes. Si Missa abrumpenda est inter partes jure divino necessarias sive essentialiter sive integraliter ad sacrificium, ita ut facta consecratione unius speciei, praetermittenda sit consecratio alterius cum communione sacerdotis, aut facta consecratione utriusque speciei, praetermittenda sit communio sacerdotis, non excusat nisi gravissima seu extrema necessitas, cum urgeat praeceptum divinum de perfectione sacrificii. Casus istius gravissimae seu extremae necessitatis retulimus *n. 791 sequ.*, cum Rubricis Missalis. Si per abruptionem sacrificium imperfectum non remanet, quia vel expletum est communione sacerdotis vel nondum incoeptum consecratione, causa minus gravis sufficit, sed eo major quo Missa ad consecrationem magis accesserit. Ita causa sufficiens est, si celebrans, incoepta Missa, recordatur alicujus impedimenti prohibentis Missae celebrationem, e. g., se non esse jejunum (*n. 436*), aut esse censura alligatum (*n. 439*), aut in peccato mortali (*n. 448*). Item si novum impedimentum supervenit, e. g., pollutionis ecclesiae (*n. 243*), aut praesentia publice excommunicati vitandi vel interdicti (*n. 934, 935*). Item si magnum animarum bonum exigat ut Missa abrumpatur et de novo incipiatur. In *Marianopolitan., 3 Julii 1869* (n. 5540), proposito dubio : « 1° An liceat sacerdoti qui in ecclesia publica dominica die privatam Missam celebrat, altare relinquere ad *Kyrie eleison*, omissis aliis Missae partibus, ut Missam solemnem cantare possit, ad supplendum loco sacerdotis qui subito et inopinate impeditur, quominus hanc solemnem Missam pro populo celebret, vel an in tali aut simili casu congruentius

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. XIV* ; S. Alphonsus, *VI, n. 353, 354.*

expediat apostolico indulto uti bis celebrandi in die, de quo graviter oneratur conscientia episcopi »; S. R. C. reposuit: « Ad 1um: Ad primam dubii partem in casu exposito licere Missam derelinquere, dummodo adstantes moneantur. Ad secundam partem non expedire ». Hinc plures auctores tradunt sacerdotem qui ad offertorium pervenit, posse quoque Missam incoeptam deserere et de novo incipere in gratiam magnae turbae peregrinorum die festo quo alias Missam audire non possent. Imo plures censent sacerdotem id posse etiam in gratiam supervenientis principis, episcopi, etc.; quod nobis non arridet, licet sacerdos possit aliquantulum expectare, non recedens ab altari.

846. Aliquid Missae ritibus et caeremoniis addere animo introducendi novos ritus, foret grave, ut patet ex citato canone Conc. Trid. (*n. 843*); importuna devotione addere plures collectas ex eodem Missali, *Credo*, *Gloria*, etc., quando juxta Rubricas recitandum non est, foret leve; tandem aliquam piam orationem jaculatoriam recitare submissa voce, quando juxta Rubricas sacerdos nil dicit, e. g., dum genu flectit, nullum foret peccatum cum proprie contra Rubricas non sit.

847. Ex his sequitur Missae interruptionem per extraneam intermediam actionem quae actiones Rubricis praeceptas separet, a peccato excusari non posse, nisi Rubricae aut S. R. C. decreta intermediam actionem permittant (quo in casu extranea non erit) vel a lege Rubricarum eamdem prohibentium necessitas excuset.

Ut aliqua afferamus exempla, dicimus Missae interruptionem permitti post evangelium sive ad publicandas nuptias, ordinationes, vigilias, etc., sive ad concionem habendam (*n. 899*); sed haec concio, si est id quod juxta Ecclesiae mentem esse debet, scilicet brevis et dilucida evangelii seu Missae explanatio, non inanis declamatio de rebus ad evangelium et Missam non pertinentibus, nonnisi impropric dici poterit. Missae interruptio per extraneam actionem. Item Missae interruptio permittitur post communionem sacerdotis, ut hic vel alius fideles communicaturos paucis verbis excitet ad actus fidei, doloris, propositi, amoris erga

D. N. J. C. (*n. 921*). Pariter permittitur vota religiosa emitti aut renovari intra Missam ad normam decreti generalis quod S. R. C. tulit die *14 Aug. 1894*, et confirmavit die *5 Jun. 1896*. Licite etiam Missa interrumpitur si gravis urget necessitas vel propria, e. g., morbus, etsi brevi transiturus, cui ex Navarro, *De orat., cap. VI, n. 69*, aequiparatur necessitas exonerationis quae nullatenus ad finem Missae differri possit; vel proximi, ut si moriturus sit baptizandus vel absolvendus, nec alius sit qui eumdem baptizare aut absolvere queat. Sed primus casus de baptismo vix practicus est, cum in casu necessitatis quisque possit baptismum conferre. Ad administranda autem moriturо alia sacramenta non adeo necessaria, idest confirmationis, Eucharistiae, extremae unctionis, non decet Missam interrumpere, maxime inter consecrationem et communionem, nisi forte moriturus esset in propinquo, ita ut opus non esset vestes sacras exuere, aut moriturus poenitentiae sacramentum ob phrenesim suscipere nequiret.

Nos putamus esse reprobandam consuetudinem, qua celebrans, deposita post evangelium casula, eleemosynam a fidelibus per ecclesiam sollicitat, nec episcopum posse id praecipere (1). Pariter in *Oscen., 11 Junii 1605* (n. 267), S. R. C. declaravit preces ex episcopi jussu recitandas in Missa conventuali post orationem dominicalem « non esse eo tempore recitandas, ne sacrificium Missae interrumpatur ». Item in *Salmonen., 15 Sept. 1633* (n. 1027), et in *Hispalen., 16 Jan. 1677, ad 9um* (n. 2811), eadem S. C. prohibuit Missam interrumpi ad processionem agendam; et in *Taurinen., 23 Maii 1881* (n. 5824), ad alias conciones, praeter superius indicatas, intra Missam habendas.

Ceterum sacerdos, Missam ex justis causis interrumpens post consecrationem ante sumptionem, salva semper unione morali, in primis curet ut Sacramentum diligentissime custodiatur, et melius erit illud in tabernaculo, si adest, occludere. Deinde rediens ad sacrificium, si facta fuerat consecratio, incipiet ubi desivit; item si facta non fuerat consecratio, sed parva mora intercesserat, minor scilicet quam unius

(1) Boudinhon, *Canoniste contemporain, 1891, pag. 88.*

horae: si autem longior, rursus incipiet ab initio (1), et in hoc casu fuit potius Missae abruptio, de qua supra.

848. Satis non est ritibus et caeremoniis Missae nihil addere et nihil ex eisdem omittere; oportet insuper ritus et caeremonias modo praescripto servare. Missam celebrare sedendo, maxime in canone, nemini licet sine Apostolicae Sedis indulto: de quo Benedictus XIV, epist. *Aetas, 11 Oct. 1757*: exemplum hujus indulti, a S. R. C. recenter concessi, habes in *Ord. Min. Capuccinorum, 27 Apr. 1896*. Non genuflectere usque ad terram, altare apparenter tantum deosculari, perturbare benedictiones, verba non substantialia mutilare, dividere, repetere, leve est. *Rubricae Generales Missalis, XVI, 1°* haec habent: « Sacerdos autem maxime curare debet ut ea quae clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quae legat, nec nimis morose ne audientes taedio afficiat, neque etiam voce nimis elata ne perturbet alios qui fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrant, neque tam submissa ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quae et devotionem moveat et audientibus ita sit accomodata ut quae leguntur intelligant. Quae vero secreto dicenda sunt ita pronuntiet ut et ipsemet se audiat et a circumstantibus non audiatur ». Solum in Missa ordinationis, si presbyteri ordinati sunt, episcopus et novi presbyteri etiam secretas lenta ac paululum elata voce recitant. Jamvero quae sunt recitanda submissa voce, alta recitare aut nimis submissa: quae sunt recitanda alta voce, submissa recitare aut nimis alta, plerumque peccatum veniale non excedit, a quo rationabilis causa penitus excusat. Hinc proposito dubio: « An tolerandi sint sacerdotes qui submissa voce totam legunt Missam ne forte audiantur vel ab extraneis qui in eadem domo versantur, vel a vicinis paganis, vel etiam a foribus qui in multis locis per totam noctem circumeunt domos quaerentes quid furentur »; S. C. de

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XIV*; S. Alphonsus, *VI, n. 333, 334*: Tamburini, *De sacrificio Missae, lib. II, cap. VII.*

Prop. Fide die *19 Julii 1838* reposuit: « Affirmative » (1).

E contrario, sacerdotem qui adeo festinanter celebrat, ut intra horae quadrantem absolvat Missam etiam *de requie*, auctores communiter non excusant a mortali. Nam haec adeo magna praecipitantia secumfert irreverentiam erga sacrificium eucharisticum; praeterea sacerdos necessario plures defectus committet, verba mutilando et cum caeremoniis commiscendo, benedictiones et genuflexiones male faciendo, etc., qui defectus, licet singuli leves sint, tamen simul uniti materiam gravem constituunt; tandem Missa adeo festinanter expleta non solum minime ingerit in populo debitam devotionem, sed potius causa est ut veneratio in populo erga tantum sacrificium deficiat; atque ita grave scandalum non deest. Imo sacerdos qui non habet expeditos gestus expeditamque pronuntiationem, potest peccatum mortale committere, etsi paulo longiori tempore Missam absolvat.

Pariter sacerdos nec nimis morose celebrare debet ita ut, juxta Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. XXIV, n. 3,* ex unanimi scriptorum opinione Missa ad tertiam horae partem saltem debeat pertingere, neque horae dimidium excedere. At sacerdos nimis morosus facilius a mortali excusatur, praesertim si privatim celebrat. Imo si haec lentitudo a naturali defectu procedit, sacerdos nullatenus peccat, sed tunc curet privatim celebrare.

849. Ut sacerdos omnia verba pronuntiet, legat quae legenda sunt, et non memoriae quae plerumque labitur, facile confidat; secus enim periculo errandi se exponit, et praeterea Rubrica relata *n. prace.* satis indicat verba omnia legenda esse. At si ex una parte experientia probat proximum errandi periculum non adesse, et ex alia aliqua ratio a lectione excusat, e. g., quia Missale hic et nunc non adest, communissima sententia apud S. Alphonsum, *VI, n. 390,* permittit omnia verba posse memoriter recitari. Praesertim canon Missae ex Missali legi debet ita ut non videatur ab

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 806.*

omni culpa excusari posse sacerdos qui per socordiam et negligentiam canonem memoriter recitat. Pauca autem verba canonis, maxime quae cum gestibus conjuncta sunt, dummodo probe sciantur, memoriter recitare, nullum peccatum est, cum materia parva sit, errandi periculum ex hypothesi moraliter absit et legere verba, dum signa fiunt, cum decentia, vix possit et aliquando ne vix quidem ; e. g., cum sacerdos extendens et jungens manus, elevans ad coelum oculos et statim dimittens, profunde inclinatus super altare, manibus super illud positis, dicit : *Te igitur*, etc. ; aut dum hostiam manibus accipiens, et elevans ad coelum oculos, ait : *Et elevatis oculis in coelum*, etc. (1).

850. Omnis Missa in Ecclesia Occidentali celebranda est latina lingua, salvo indulto.

Nam periti historiae ecclesiasticae ostendunt Apostolos eorumque successores non modo praedicasse, sed divina etiam officia vernacula ejus populi lingua celebrasse, apud quem evangelium praedicabant ; ideoque in Occidentali Ecclesia latino (et alicubi etiam graeco) sermone usos qui tunc temporis vernaculus erat omniumque communis. Atqui firma et constans est Ecclesiae disciplina ne Missae idioma mutetur, etsi mutetur lingua vernacula, sed eo sermone Missa celebretur quo celebrata est ab initio, etiamsi ea lingua exoleverit apud vulgus ejusque notitiam viri docti dumtaxat habeant. Hinc Conc. Trid., *sess. XXII, cap. VIII* : « Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiae antiquo et a sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre et magistra, probato ritu, ne oves Christi esuriant neve parvuli panem petant et non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant ; atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent diebus praesertim dominicis et

(1) Cavalieri, *tom. V, cap. XVI, n. 41.*

festis ».Deinde in *can. IX* anathemate plectit eum qui dixerit lingua tantum vulgari Missam celebrari debere (*n. 55*).

Solum in recenti populorum conversione ad fidem est Apostolicae Sedis pro variis circumstantiis vel permittere vel prohibere vernaculae linguae usum in divinis officiis celebrandis. Exempla vide apud Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. II, n. 9 sequ...* Sed vere affirmari potest S. Sedem propensiorem esse in eam partem ut ex recens conversis ad fidem, habiliores qui sint ingenio, seligantur, et latinis potius litteris erudiantur, quam ut facultas concedatur adhibendi in Missae celebratione vulgarem linguam. Ceterum hac facultate concessa, vernacula lingua semper est retinenda in sacris officiis, etsi, in populo exoleta, viris dumtaxat doctis fieret cognita.

Ex huc usque dictis facile intelligitur responsio S. C. de Prop. Fide data die *30 Jan. 1627* Carmelitanis Discalceatis petentibus facultatem celebrandi Missam ritu Romano lingua armena; scilicet S. C. censuit « petitionem esse rejiciendam, quia per hujusmodi facultates summopere Ecclesia Romana impeditur » (1).

851. Olim mos fuit ut in Missa evangelium, prophetiae et epistola duabus linguis,si in usu essent,legerentur. Certe in Romana Ecclesia prophetiae, epistolae et evangelia quibusdam diebus latina et graeca lingua legebantur; et etiam hodie,Romano Pontifice solemniter celebrante,epistola primum latine a latino, deinde graece a graeco subdiacono; et evangelium primum latine a latino,postea graece a graeco diacono cantatur. Thomassinus, *De vet. et nov. Ecc. disc., lib. II, cap. LXXXII, n. 3*, ostendit nono saeculo in solemnioribus Missis epistolam et evangelium Romae primo graece deinde latine, Constantinopoli autem primo latine deinde graece legi consuevisse, ut utriusque Ecclesiae unitas palam fieret (2). In praesenti disciplina hoc unum licet, nempe parochus in Missa parochiali, post evangelium lingua latina recitatum, si illud populo explicat, potest illud

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 796*.
(2) Benedictus XIV, *l. c., n. 11*.

lingua vulgari praemittere ut partem sermonis, dummodo versio probata sit. Hinc proposito dubio : « An licitum sit in Missa parochiali, post lectum in lingua latina evangelium, illud legere alio ritu et alia lingua, et quod minister recitet alta voce et vulgari idiomate *Gloria*, *Credo*, etc. » ; S. C. de Prop. Fide, *29 Mart. 1829*, reposuit : « Non licere, et ad mentem ». Mens fuit : solum evangelium, si parochus illud populo exponit, posse lingua vulgari praemitti uti partem sermonis, dummodo versio sit probata seu legitime adoptata (1).

Imo vetitum quoque est in Missae celebratione ne fideles alta voce et lingua vulgari dicant Missae preces quae a celebrante, a subdiacono, a diacono, a ministro respondente, a choro recitantur, ita ut eae preces, a fidelibus alta voce et lingua vulgari dictae, partem Missae aliquo modo constituant. Haec declarant sequentes responsiones S. C. de Prop. Fide. Nam die *7 Jan. 1755* rescripsit : « Moneatur missionarius Pekini eo quod in solemnitatibus lingua sinensi Missam celebrari permiserit, quod fieri in posterum omnino prohibetur. Caveat etiam ne in Missae sacrificio preces et cantica lingua sinensi admisceantur ». Mentem suam eadem S. C. melius declaravit die *15 Sept. 1759* : « In quanto alle preci che in tempo della celebrazione della santa Messa sogliono ad alta voce cantarsi o recitarsi dai cristiani Cinesi nella propria lingua nativa, colla lettera del 1755 furono bastantemente resi noti alta P. V. i giustissimi sentimenti della S. C. Laonde debba essere sua cura che le suddette preci non siano quelle medesime che dal celebrante o dal diacono o dal servente ovvero dal coro si dicono in lingua latina di maniera che invece di esse si recitino dai laici in lingua volgare e facciano in tal guisa parte della Messa » (2). Rursus eadem S. C. die *23 Sept.*

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 805*.

(2) *Latine* : Quoad preces quae tempore celebrationis sanctae Missae solent alta voce a christianis Sinensibus eorum vernacula lingua decantari aut recitari, per epistolam an. 1755 satis Paternitati Tuae declarata est piissima S. C. mens. Quapropter tibi curae debet esse ut praedictae preces non sint eaedem quae a celebrante vel a diacono vel a ministro vel a choro dicuntur lingua latina, ita ut loco ipsarum, recitentur a laicis lingua vulgari atque ita Missae partem efficiant.

1773 circa eamdem rem statuit : « Circa la consuetudine per la quale i cristiani in tempo della Messa cantano in lingua cinese il *Gloria*, il *Credo*, etc., si dovrà mandare il decreto del 1755 e la risposta data nel 1759 ; e si è detto che può tollerarsi che continuino in simil prattica recitando tali orazioni, purchè non contengano errori, *secretamente* e *privatamente*, e *non con voce alta* e *unitamente* insieme » (1). E contrario cum Vicarius Apostolicus Sandwic. exposuisset : « Aux Messes qui ne sont pas chantées, nos chrétiens récitent tous ensemble les prières que nous avons traduites et qu'on sait par cœur dans toutes les peuplades » : S. C. S. Officii reposuit die *11 Dec. 1850* : « Praxim de qua agitur laudandam verbis amplissimis » (2).

852. Haec de Ecclesia Occidentali ; nam Ecclesia Orientalis in sacris officiis et etiam in Missae celebratione nationalem linguam adhibet. Joseph Papp-Szilagyi, *Enchiridion Juris Ecc. Orient. Cathol., p. II, n. 52*, haec habet : « Proprium est Ecclesiae Orientalis ut in sacris lingua nationali utatur : ita praeter linguam graecam, lingua slavica, romanica, arabica, syriaca, armenica et coptica in sacris apud respectivos populos adhibetur et etiam sacra liturgia celebratur. Plurimum autem propagatae sunt consuetudines Ecclesiae Constantinopolitanae librique Ecclesiae hujus rituales in memoratas linguas versi sunt. Sacra Sedes Apostolica quae de cetero gravibus e rationibus linguae popularis usum in mysteriorum celebratione, eo ipso quod mysteria sint, non admittit, Orientalem Ecclesiam in suo usu relate ad propriam linguam ritualem permittit ». Attamen etiam in Oriente saepe nationalis lingua quae in sacris adhibetur, e. g., lingua graeca, multum distat ab ea quâ vulgo nunc Graeci aliique populi utuntur.

853. Complexus omnium rituum et caeremoniarum qui-

(1) *Latine* : Circa consuetudinem vi cujus christiani, Missarum tempore, lingua sinensi canunt *Gloria*, *Credo*, etc., communicandum erit decretum an. 1755 cum responsione an. 1759 ; dictumque est posse tolerari ut in hac praxi pergant, illas orationes, dummodo ab erroribus immunes, recitando *secreto* et *privatim*, non autem *alta voce* et *una simul*

(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 800, 801, 802, 808* ; vide etiam *n. 847*, ubi ratio consuetudinis contrariae in dioecesi Quebecensi non habetur.

bus in Ecclesia catholica sacrificium eucharisticum offertur, appellatur *Missa*, ita ut Missae vocabulum indicet non solas sacrificii partes juris divini, sed etiam partes juris ecclesiastici seu ritus ac caeremonias. Cum enim, inter alios ritus, duplex antiquitus esset dimissio, quarum priore diaconus dimittebat catechumenos, poenitentes et infideles post evangelium et concionem (*n. 900*), altera ceteros omnes in fine, quae adhuc superest, ideo sacrificium eucharisticum, qualiter in Ecclesia catholica offertur, appellatum est *Missa*, quasi *missio*, brevi facta inflexione, a verbo latino *mittere* seu *dimittere*; vel etiam dictum est in numero plurali *Missae*, unde frequenter in libris occurrit *Missas facere*, *Missarum solemnia*, etc. Hinc etiam alii sacri conventus *Missa* vel *Missae* dicti fuere, cum fideles eodem modo in fine dimitterentur, donec tandem hoc vocabulum uni eucharistico sacrificio fuit reservatum. Nonnulli pie quidem, sed minus probabiliter, putant sacrificium eucharisticum ob aliam rationem fuisse appellatum *Missam*, scilicet quia in hoc sacrificio preces fidelium, sacerdotis ministerio, ad Deum offeruntur et quodammodo mittuntur. Ceterum sacrificium eucharisticum *Missa* appellatum est usque ab antiquitate, cum hoc vocabulum in tali sensu occurrat in concilio Chalcedonensi, in secundo et tertio Carthaginensi, in Ephesino (1), etc.

854. Ratione rituum et caeremoniarum variae sunt Missarum species; de quibus nonnulla adnotanda sunt. Quid sit Missa *sicca* et Missa *praesanctificatorum*, vide *n. 277* et *n. 24* (2).

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio*, *lib. II*, *cap. I*, *n. 1 sequ.*; ubi haec omnia allatis documentis explicat et probat.

(2) Missa distinguitur etiam in *publicam* et *privatam*; quae distinctio ante omnes a rituum et caeremoniarum differentia desumitur. Benedictus XIV, *op. cit.*, *lib. II*, *cap. XXII*, *n. 7*, notat, juxta controversiarum scriptores, Missam multifariam dici posse *privatam*: « Vel quia in privato loco, vel quia non in die festo celebratur, vel quod privatae cuidam personae medius Missae fructus applicatur, vel quod ei Missae pauci adsint, vel quod non ad altare princeps ecclesiae, nec parochialis est seu conventualis, vel denique quod solus sacerdos suscipit Eucharistiam, nec quisquam alius communicat ». Exinde patet quonam sensu Missa appellari possit *publica*. Sufficiat adnotare Missam conventualem et parochialem dici publicam, quia illa a *communitate* canonicorum vel

855. 1° In primis Missa alia est *solemnis* et alia *non-solemnis*, quae est vel *cantata*, seu cum cantu celebrata, vel *lecta* (1). *Solemnis* est illa quae cum cantu celebratur, ministrantibus diacono, subdiacono, acolythis, thuriferario, etc... Hinc ad quaesitum : « Num Missa quae cantatur a solo sacerdote sine ministris sit solemnis et acquiratur indulgentia data pro assistentia Missae solemni »; S.C. Indulgentiarum, die *14 Novembris 1724*, reposuit : « Negative ». Etiam S. R. C. in *Piscien.*, *3 Aug. 1869*, *ad 7um* (n. 4859), declaravit ad habendam Missam solemnem, requiri saltem ministros; sed in *Saconen.*, *7 Junii 1681* (n. 2959), prohibuit duos subdiaconos duosque diaconos cum presbytero assistenti in Missa solemni adhiberi. Si omnes istae solemnitates servatae non sunt, Missa est non-solemnis, sive sit cum cantu celebrata sive sine cantu seu lecta. Ut autem habeatur Missa cantata seu cum cantu celebrata, sufficit, rigorose loquendo, ut a sacerdote cum cantu celebretur, unico clerico respondente (*n. 591*). Ex his jam patet diaconum et subdiaconum adhiberi non posse in Missa lecta. Revera S. R. C. in *Vicariatus Apostolici Constantinopolitani*, *21 Julii 1855* (n. 5211), proposito dubio : « 1° Utrum loco Missae solemnis cum cantu, ad evitandam diuturniorem moram, celebrari possit Missa lecta, eidem inservientibus diacono et subdiacono dalmatica et tunica indutis »: reposuit : « Negative in omnibus ». Contrariam praxim quae aliquibus in locis viget pro Missis defunctorum aut pro Missis *pro sponso et sponsa*, putamus sustineri non posse.

856. Licet vero Ecclesia musicos concentus in divinis officiis et nominatim in Missae celebratione ex traditione apostolica semper probaverit, « ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat », ut ait S. Augustinus, *Confess.*, *lib. X. cap. XXXIII*, *n. 3*, tamen sem-

religiosorum, haec pro *communitate* parochianorum qui convocantur, celebratur; quaelibet alia, ratione contrariorum, privata est. At etiam Missa non-solemnis, praesertim lecta, privata eo ipso dici meritoque est.

(1) In vetustis ecclesiasticis documentis *canere Missam*, *Missarum solemnia celebrare*, etc., significat ipsum Missae sacrificium offerre, etiam sine cantu aliisque solemnitatibus; ut docet Benedictus XIV, *op. cit.*, *lib. III*, *cap. II*, *n. 6*.

per etiam cavit ut abusus in re tam gravi eliminarentur. Quin historiam musices sacrae hic enarremus cum decretis a Sede Apostolica desuper latis (1), sufficiat subjicere S. R. C. instructionem, a Sanctissimo D. N. Leone PP. XIII probatam, die *21 Julii 1894*, quae, licet ad episcopos solos Italiae data, omnibus tamen inservire potest et debet.

In prima parte S. C. tradit normas generaliores in musica quae in ecclesiasticis functionibus solet adhiberi, omnino servandas :

« 1° Omnis sonorum vocumque musica compositio, spiritu sacrae functionis cui consociatur, informata, cum ritus et verborum significationi respondeat. Inde ex sancte percellit atque ideo domo Dei digna est.

« 2. Hujusmodi est cantus Gregorianus quem Ecclesia uti proprium reipsa specialique quemque ideirco solum in libris liturgicis ab se comprobatis adoptat.

« 3° Item cantus polyphonus et cantus chromaticus, si modo eisdem sint dotibus praediti, possunt et ipsi sacris functionibus convenire.

« 4° In genere polyphonico aptissima omnium omnium existimatur musica Petri Aloysii Praenestini ac praedantiorum ex ejus discipulis ; quemadmodum in genere chromatico divino cultui idonea musica habetur, quae ad nos usque in praesens ab praeclarissimis variarum italicarum tum etiam exterarum scholarum magistris, praesertim vero romanis, transmissa est ; quorum musicae lucubrationes fuerunt ab ecclesiastica auctoritate, uti vere sacrae, saepe numero commendatae.

« 5° Cum apprime constet quamlibet, etsi optime lucubratam, musices polyphonicae compositionem, si perperam pronuntietur, dominum omnium dedecere, id si contingat, cantus gregorianus in functionibus pure liturgicis omnino adhibeatur.

« 6° Musicus concentus qui organo personante conficitur, hujusmodi uniformi harmonicae gravique respondeat. Instrumentorum vero musicorum comitatus cantum decoros

(1) Vide praesertim Benedict. XIV const. *Annus qui hunc* variatum, *19 Febr. 1749.*

sustineat, non opprimat. In praeludiis interludiisque cum organum tum vero etiam musica instrumenta sacrum characterem ecclesiasticae functionis indoli respondentem conservent (1).

« 7° Idioma quo in canticis, dum sacrae functiones strictim liturgicae peraguntur, utendum omnino est, sit lingua ritus propria ; textusque pro libito decantandi ex sacra scriptura, ex ecclesiastica liturgia, ex hymnis demum precibusve ab Ecclesia comprobatis excerpantur.

« 8° In ceteris quae fieri solent functionibus, vulgari lingua uti licebit ex piis riteque probatis catholicorum libris, excerptis verbis.

« 9° In templis severissime interdicitur musicus sive cantus sive sonus, cujus sit profana indoles, praesertim vero si concentus modulationes, allusiones denique factis modisque theatralibus praeseferat (2).

« 10° Quo debitae verbis liturgicis reverentiae consulatur nimiaque sacrarum functionum prolixitas devitetur, quilibet cantus vetatur in quo vel vocula sacrae liturgiae omissa sit, aut verba extra fuerint sensum translata, aut demum aequo plus repetantur.

« 11° Item inhibetur in fusta, prorsus disjuncta, secare vel dividere versus qui sunt inter se necessario nexu colligati.

« 12° Ex improviso atque ut aiunt *a fantasia improvisation*) fundere cantus nemini liceat, qui id juxta musicae artis regulas facere nesciat ; eo videlicet modo quo et eaedem regulae serventur et fidelium pietas ac religio neutiquam offendatur ».

In altera autem parte S. C. tradit normas ad studium musices sacrae promovendum et abusus arcendos :

« 1° Cum sacra musice quaedam sit ecclesiasticae liturgiae pars, Rmos Ordinarios enixe adhortamur, ut specialem ejusdem curam suscipiant, atque opportuna super illa identidem, nacta occasione, praesertim vero in synodis sive dioc-

(1) De organo aliisque musicis instrumentis quae in divinis officiis tolerari possunt, confer Benedictum XIV, *l. c.*, *n. 10 sequ.* Quandonam vero organum pulsari possit aut debeat, et quandonam pulsari nequeat, docet *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XXVIII.*

(2) Vide Benedictum XIV, *l. c.*, *n. 6 sequ.*

cesanis sive provincialibus praescripta edant, at semper hisce legibus conformia. Laicorum concursus permittitur ; quibus tamen advigilet et praesideat cujusque dioecesis episcopus. Comitatus instituere et comitia habere non licet sine expresso assensu auctoritatis ecclesiasticae, idest episcopi pro dioecesi, archiepiscopi cum suis suffraganeis pro provincia. Mucises sacrae ephemerides publicae, nisi a proprio episcopo potestate facta, typis edi non possunt. In iisdem vero quaevis super harum praescriptionum articulis controversia inhibetur ; in reliqua vero ad sacram musicen materia spectante permittitur, dummodo 1° christianae charitatis leges serventur ; 2° ceterorum se magistrum ac judicem constituat nemo.

« 2° Quilibet episcopus in propria dioecesi sedulo curabit ut clerici officio cantum Gregorianum addiscendi satisfaciant (1) ; qui praesertim in libris a S. Sede approbatis adinvenitur (2). Quod vero pertinet ad alia musices genera atque ad organi sonitum, clericis nequaquam addiscendi necessitatem imponant, ne a gravioribus studiis in quae incumbere debent, forte abstrahantur. Si qui vero hujusmodi studiis jam instructi sint, aut specialem in illa animi propensionem praeseferant, eis permittere poterunt ut in eisdem perficiantur.

« 3° Maximopere advigilent iidem Rmi Episcopi ne parochi aut ecclesiarum rectores musicos contentus fieri permittant his legibus oppositos, etiam si quidem opus fuerit, pro sua prudentia et arbitrio canonicis poenis in contumaces adhibitis.

« 4° Hisce praescriptionibus rite promulgatis et Rmis Italiae Episcopis communicatis, quaelibet alia praecedens super hac eadem re praescriptio hactenus edita abrogata censeatur ».

857. S. Paulus, *1ª ad Cor. XIV, 34*, ait : *Mulieres in ecclesia taceant : non enim permittitur eis loqui... turpe*

(1) Vide Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. XVIII, de ref.*

(2) Nempe cura Sedis Apostolicae libri cantus Gregoriani editi sunt ; editionem Pius IX et Leo XIII authenticam declaraverunt et enixe locorum Ordinariis commendaverunt, sed non imposuerunt.

est enim mulierem loqui in ecclesia. Cohaerenter huic apostolicae praescriptioni, statuta dioecesana aut provincialia permittunt quidem mulieres omnes in ecclesia adstantes una simul cum viris canere, aut alternatim cum viris, sed passim expresse prohibent, ne mulieres solae in publicis ecclesiis et oratoriis canant. Et merito; nam vox muliebris solitaria animos virorum et juvenum in ecclesia adstantium non ad coelestia, sed potius ad terrena et fortasse ad carnalia facile provocabit. Haec ratio non valet pro oratoriis semi-publicis communitatum foeminarum; proinde in his capellis possunt mulieres etiam solae canere praesertim cantiunculas non liturgicas; imo cum mulieribus eae capellae reserventur, minus deceret homines in eisdem canere. Idem dicatur si in ecclesia aut oratorio publico divinum officium celebratur, praesentibus tantum mulieribus ad confraternitatem aut piam societatem pertinentibus. Tandem alicubi permittitur ut puellae, piam societatem filiarum B. M. V. constituentes, mense Maio etiam in publicis caeremoniis aliquid modeste ac devote canant in honorem B. M. V.

858. Celebrans autem in Missa cantata sequi debet cantum a Missali indicatum et nequit illum pro libito variare. Hinc in *Guadalaxara*, *21 Apr. 1873* (5537), ad dubium: « 1° Non attendere in Missae celebratione ad cantum in Missali impressum, sed quamdam cantilenam traditionalem cantare nullibi adnotatam ideoque ad arbitrium variabilem, est uti usus legitimus retinendus, vel ut corruptela extirpanda »; S. R. C. reposuit: « Ad 1um: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam ». Id eadem S. C. confirmavit in *Romana*, *11 Mart. 1896*, ubi ad dubium: « An intonationes hymni angelici ac symboli, necnon singulae modulationes a celebrante in Missa cantata exequendae, videlicet orationum, praefationis, orationis dominicae et cum relativis responsionibus ad chorum pertinentibus, ex praecepto servari debeant prout jacent in Missali, an mutari potius valeant juxta consuetudinem quarumdam ecclesiarum »; rescripsit: « Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, et quamcumque con-

trariam consuetudinem esse eliminandam, juxta decretum *21 Apr. 1873* ».

859. Ad ministros quod attinet, Rubrica Missalis, *Ritus servandus in celebratione Missae*, *VI*, *8*, praecipit : « Si quandoque celebrans cantat Missam sine diacono et subdiacono, epistolam cantat in loco consueto aliquis lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum celebrantis... ». Quid vero si hic lector non habeatur, quod praesertim in ecclesiis monialium et in ecclesiis ruralibus saepissime accidit ? Patriarcha Lisbonensis in *Lisbonen.*, *23 Apr. 1875* (*n.* 5604), sequentia dubia proposuit : « 1° Sufficitne ut in casu legatur tantum epistola ab ipso celebrante, vel ab eodem debet cantari ; 2° In ecclesiis monialium potest ab aliqua moniali epistola cantari in choro ; 3° Omittendus omnino est cantus epistolae » ; S. R. C. reposuit : « Cum Missa cantetur sine ministris et nullus sit clericus inserviens qui superpelliceo indutus epistolam decantet juxta Rubricas, satius erit quod ipsa epistola legatur sine cantu ab ipso celebrante ; numquam vero in ecclesiis monialium decantetur ab una ex iis ». At hic lector epistolam cantans superpelliceo indutus, potest esse ipsemet minister Missae inserviens et respondens (*n. 594*).

860. Demum ad praescriptum *Caeremonialis episcoporum*, *lib. II*, *cap. VIII et IX*, chorus canere debet preces communes in Missa, nec contraria consuetudo sustinetur. Hinc in *Dianen.*, *22 Julii 1892*, ad dubium : « A pluribus annis in cathedrali ecclesia Dianensi invecta est consuetudo qua canonici et mansionarii choro addicti in Missis conventualibus imo et in pontificalibus neque canunt neque submissa voce recitant *Kyrie*, *Gloria*, *Credo*, *Sanctus* et *Agnus* ; sed haec omnia peragi sinunt ab uno laico qui organum pulsat. Quaeritur an haec consuetudo sustineri possit, vel potius eliminanda velut abusus » ; S. R. C. reposuit : « Standum esse in omnibus *Caeremoniali episcoporum* ».

861. Ceterum S. R. C. decreta prohibent ne eadem die et in eadem ecclesia duae Missae ejusdem Sancti vel ejusdem solemnitatis cum cantu celebrentur. Ita in *Asten.*, *3*

Aug. 1652 (n. 4645), expositum fuit episcopum, assistentibus canonicis ecclesiae cathedralis, die festo S. Secundi celebrare Missam solemnem in ecclesia collegiata ejusdem Sancti; et quaerebatur an capitulum collegiale posset eodem die alteram ejusdem Sancti Missam cum cantu celebrare. S. C. reposuit: « Non licere eadem die canere (alteram) Missam ejusdem Sancti ». Vide etiam *Mediolanen., 3 Aug. 1652* (n. 4647); *Angelopolitana, 11 Sept. 1847 ad 18um* (n. 6102); *Derthusen., 3 Julii 1869, ad 1um* (n. 5441). At recentius eadem S. C. declaravit sensum hujus prohibitionis per decretum dici *30 Junii 1896*: « Cum per plura particularia decreta jam alias edita S. R. C. declaraverit in eadem ecclesia eademque die plures non posse cantari Missas de eodem officio, in praesenti, ut plurium votis satisfaciat, opportunum ac propemodum necessarium judicat ulterius declarare, quemadmodum reapse declarat, plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio eodem die ac in eadem ecclesia prohibitas illas esse quae, praeter conventualem (numquam in collegialibus ecclesiis omittendam), in officiatura chorali concinuntur vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter praefatas Missas sive ad petitionem viventium sive ex fundatione, dummodo ante vel post absolutum chorale officium ac sine ulla cum eis relatione concinantur, non esse vetitas ».

862. Praeterea ejusdem S. C. decreta prohibent ne in Missa solemni aut cantata, praeter cantum ipsius Missae, aliquid canatur lingua vernacula; de qua re vide *Valentin., 22 Mart. 1862, ad 1um* (n. 5321), et *S. Hyacinthi, 10 Dec. 1870* (n. 5466). Sed in Missa lecta id permittitur. Hinc in *Bisarchien., 31 Jan. 1896*, ad dubium: « An in parochiali ecclesia a fidelibus intra Missam cani possint, juxta antiquum morem a nonnullis annis interruptum, preces et hymni lingua vernacula compositi in honorem sancti martyris vel mysterii cujus festum agitur »; S. C. reposuit: « Affirmative de consensu Ordinarii quoad Missam privatam; negative quoad Missam solemnem sive cantatam, juxta ordinationis pro musica sacra articulum septimum et octavum, non obstante decreto die *21 Junii 1879* dato et aliis qui-

buscumque ». Ordinarium vetare posse ne in ecclesia aliquid lingua vernacula canatur quod prius non fuerit ab eodem Ordinario approbatum, S. C. censuit etiam in *Hispalen., 31 Aug. 1697. ad 3um* (n. 3443), et palam est.

863. 2° Praeterea Missa debet esse generaliter conformis officio quod sacerdos celebrans recitare debet (1). Hinc sicuti officium est vel *de festo* alicujus Sancti, alicujus mysterii, etc., vel *de dominica*, *de feria*, *de vigilia*, *de octava*. ita et Missa. Rursus sicut officium, juxta Rubricas Breviarii Romani, est vel *duplex*, vel *semiduplex*, vel *simplex* ; et duplex rursus est *primae classis*, *secundae classis*, *majus*, *minus*, ita etiam Missa, officio conformis, celebrabitur sub simili ritu duplici, semiduplici, simplici ; duplici primae classis, secundae classis, majori, minori.

864. Protestantes dixerunt sacrificium Missae in honorem Sanctorum, absque idololatriae crimine, offerri non posse, quia quodlibet sacrificium est actus cultus latriae soli Deo debitus (*n. 16*), et a fortiori, ratione infinitae dignitatis victimae, sacrificium eucharisticum. Doctrinam catholicam declarat, novatorum errorem refellens, Conc. Trid., *sess. XXII, cap. III*, his verbis : « Et quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed soli Deo qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet : *Offero tibi sacrificium, Petre vel Paule*, sed, Deo, de eorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis quorum memoriam facimus in terris ». Et deinde in *can. VI* : « Si quis dixerit imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit ; A. S.». Et ut diversorum meritorum in Sanctis Ecclesia rationem haberet, eorum festa celebrare solet diverso ritu, nempe ritu duplici, vel semiduplici, vel simplici ; duplici primae classis, secundae classis, majori, minori.

865. Ceterum nos non possumus celebrare nisi Missas

(1) Merati ad Gavantum, *tom. I, pag. 21* assignat rationes propter quas Missa, de regula generali, debet esse officio conformis.

a S. R. C. approbatas. Initio Missalis *ex decretorum registro* S. R. C. haec notantur : « S. R. C., inhaerendo decretis alias factis, prohibet omnino Missas a S. R. C. non approbatas et signanter Missas nuncupatas S. Gregorii pro vivis et defunctis (1), Missas quindecim auxiliatorum, Missam de Patre aeterno et quascumque alias, ut supra, non approbatas, etc. ».

866. Supra diximus (*n. 863*) ex regula generali Missam debere esse conformem officio. Si agitur de Missis conventualibus ac de Missis parochialibus diebus dominicis aliisque festis, haec generalis regula non patitur exceptiones infra ponendas. Solum, quoad Missas conventuales, hic recolimus Rubricas quae nonnullis diebus aliam ab officio Missam conventualem praescribunt. Nempe in sabbatis Adventus, si officium est feriae, dicitur Missa B. M. V., ex *Rubricis Generalibus Missalis*, *IV*, *1°* : in vigiliis occurrentibus in Adventu, si officium est feriae, dicitur Missa vigiliae cum commemoratione feriae, ex iisdem *Rubricis*, *III*, *4°* ; in vigiliis, feriis quatuor temporum, feria II Rogationum, occurrentibus in aliqua octava, si officium est octavae, dicitur Missa vigiliae vel feriae cum commemoratione octavae, ex iisdem *Rubricis*, *III*, *2°* ; demum in sabbato sancto et vigilia Pentecostes officium est feriae, dum

(1) S. R. C. reprobavit Missas S. Gregorii ab ignoto confectas, sed non reprobavit praxim ab Ecclesia probatam, quae a S. Gregorio M. originem habet, celebrandi in suffragium alicujus defuncti per triginta dies continuos totidem Missas. Pie et rationabiliter creditur, ut S. C. Indulg. reposuit die *15 Mart. 1884* has Missas peculiarem vim habere ad animas e purgatorio liberandas, quin tamen aliquid certi hac in re statui possit. Propositis dubiis : « Estne necessarium, uti apud nos existimatur, quod Missae triginta quae Gregorianae appellantur, celebrentur : 1° In memoriam S. Gregorii, quin tamen in illis fiat de eo commemoratio ; 2° Ab eodem sacerdote ; 3° Pro una tantum anima absque ulla alia speciali intentione ; 4° Diebus triginta continuis sine interruptione ; 5° In eodem altari » ; S. C. Indulg., die *14 Jan. 1889* reposuit : « Quoad 1am partem : Negative ; Quoad 2am : Negative ; Quoad 3am : Missae pro ea anima debent applicari, cujus liberatio a poenis purgatorii a divina misericordia imploratur ; Quoad 4am : Affirmative ; Quoad 5am : Negative ». At non obstat interruptio in postremis tribus diebus majoris hebdomadae, dummodo postea triginta dies expleantur. Vide Benedictum XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XXIII, n. 2,3* ; Gavanti, *p. I, tit. V* ; Cavalieri, *tom. III, cap. XIII, decret. 2* ; Boudinhon, *Canoniste Contemporain, 1890, pag. 377.*

Missa est prima Missa anticipata dominicae subsequentis. De pluribus conventualibus Missis eadem die celebrandis in capitulo, vide *n. 635*. Si vero agitur de aliis Missis privatis, nempe nec conventualibus nec parochialibus, ex una parte illa regula generalis non secumfert gravem obligationem, ita ut celebrare unam Missam pro alia ex approbatis, et diebus prohibitis celebrare votivam vel *de requie*, per se non excedat veniale (1); ex alia autem parte huic regulae generali sunt exceptiones, quas interest exponere.

867. *a*) In primis regula generalis fallit in casu quo nos Missam celebramus in ecclesia vel oratorio cujus Kalendarium cum nostro non concordat. Usque ad nostra tempora variae erant regulae hoc in casu servandae quae in praxi non levem aliquando difficultatem secumferebant. Hinc S. R. C. recenter sequens tulit decretum, praecedentes regulas hac de re corrigens et prae oculis unice habendum (2):

« Omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent officio ejusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in romano, sive in Regularium missali contineantur, exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis.

« Si vero in dicta ecclesia vel oratorio officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex celebrantibus liberum sit Missam *de requie* peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae Missalis Romani, vel S. R. C. decreta prohibent. *Die 9 Julii 1895*.

« Super quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me subscriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, rescripta seu decreta, tum particularia tum etiam generalia, in contra-

(1) S. Alphonsus, *VI*, *n. 417*.

(2) S. R. C. in *Strigonien.*, *3 Julii 1896*, *ad 3um*, declaravit hoc decretum unam pati exceptionem, neque in casu quo idem est color officii proprii et officii alienae ecclesiae.

rium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando. *Die 9 mensis Decembris eodem anno* ».

In hoc autem decreto nomine oratorii *publici* comprehenditur etiam oratorium *semi-publicum* seu *semi-privatum* principale. Id declaravit S. R. C. in *Ruthenen., 22 Maii 1896*, ubi ad dubium : « Utrum post decretum generale diei *9 Dec. 1895* editum de *Missa conformi officio ecclesiae vel oratorii publici*, Kalendario loci, an vero celebrantis respondere debeant Missae quae celebrantur in capellis episcoporum, seminariorum, collegiorum, piarum communitatum, hospitalium et carcerum » ; censuit : « Dummodo agatur de capella principali quae instar oratorii publici ad effectum memorati decreti habenda est : Affirmative ad 1um : negative ad 2um ». Et rursus in *Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum, 27 Junii 1896*, ubi ad dubia : « 5° Utrum in ecclesiis et oratoriis monialium aut religiosarum quae chorale officium habent, quilibet sacerdos Missam conventualem seu solemnem celebrans, officio earumdem conformem semper dicere teneatur ; 6° An in casu quo unus duntaxat sacerdos apud praefatas moniales seu religiosas celebret, possit ipse diebus semi-duplicibus vel ferialibus semper seu saltem aliquando, loco Missae diei currenti conformis, celebrare Missam votivam seu *de requie* » ; reposuit : « Ad 5um et 6um : Servetur generale decretum *9 Dec. 1895* ». Ceterum id verum fuisse etiam ante hoc decretum vide in *Annecien., 1 Dec. 1882, ad 2um* (n. 5855). In oratorio vero stricte privato Missa concordare debet cum Kalendario celebrantis, uti censuit eadem S. C. in *Marsorum, 12 Nov. 1831. ad 31um* (4669), et in *Ord. Min. S. Francisci de Observant., 16 Apr. 1853, ad 14um* (n. 5183) ; item in oratorio semi-publico secundario. Relatum decretum abrogavit « quaecumque contraria regularium privilegia, eadem S. C. declaravit die *8 Febr. 1896* ; et nullam pati exceptionem, edixit in *Strigonien., 3 Julii 1896, ad 3um*. Igitur hodie nos, in aliena ecclesia seu oratorio vel publico vel semi publico celebrantes, debemus sequi Kalendarium et celebrare Missam propriam, si quae est, ejusdem ecclesiae seu oratorii (de liturgia retinenda vide *n. 842*) ; cele-

brantes vero in oratorio stricte privato, vel semi-publico secundario sequi debemus kalendarium nostrum.

868. Sed dubitari potest quodnam sit Kalendarium proprium oratorii semi-publici principalis non regularis regularibus commissi; utrum dioecesanum, an regulare. In *Marianen., 20 Martii 1880* (n. 5804), episcopus exposuit S. R. C. majus suae dioecesis seminarium curae et administrationi clericorum Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo commissum esse, qui officium a dioecesano diversum habent; et ideo quaerebat utrum in oratorio supradicti seminarii dioecesani servari debeat Kalendarium ecclesiae cathedralis, an potius Kalendarium Congregationis Missionis. S. C. reposuit: « Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam ». In cit. *Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum* ad dubium: « 4° Ubi unus tantum sacerdos quoad Missae celebrationem addictus sit oratoriis competenti auctoritate erectis in gymnasiis, hospitalibus ac domibus quarumcumque piarum communitatum; hic, si saecularis, tenetur ne sequi Kalendarium dioecesis in qua extat oratorium, et si regularis, Kalendarium Ordinis, si proprio gaudeat; et si aliquando celebrent extranei, hi debentne se conformare Kalendario sacerdotis ejusmodi oratoriis addicti »; S. C. reposuit: « Ad 4um: Affirmative in omnibus, si oratoria habenda sint ut publica (1): secus negative ».

869. *b)* Praeterea regula generalis fallit in Missa *votiva*, idest in Missa alicujus Sancti vel mysterii (2), quae ex *permissione* Rubricarum, praeter ordinem officii diei, celebrantur juxta *votum* idest voluntatem sacerdotis, aut praebentis eleemosynam, aut superioris. De Missis votivis fuse agit Merati ad Gavantum, *p. I, tit. IV, n. 5 sequ.*, explicans *Rubricas Generales Missalis, IV*; nobis sequentia adnotatione sufficiat, praescindendo ab indultis particularibus a S. R. C. forte concessis.

(1) Idest vel publica proprie dicta vel semi-publica principalia, juxta cit. decretum in *Ruthenen.*

(2) In *Dubiorum, 4 Mart. 1866* (n. [illegible]), ad dubium: 2° Missae de dominicis [illegible] per annum [illegible] possunt tamquam votivae »; S. R. C. reposuit: « Ad 2um: Negative ».

870. Qualibet die, exceptis duplicibus, dominicis, octavis privilegiatis Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, die Cinerum, feriis majoris hebdomadae, vigilia Nativitatis, Epiphaniae, Pentecostes (1), sacerdos, loco Missae conformis officio, potest ex rationabili causa (2), si velit, *privatim* celebrare unam ex Missis quae sunt in Missali post Missam dedicationis ecclesiae sub appellatione Missarum votivarum. At nonnullae ex his Missis *pro diversis rebus*, idest pro eligendo Summo Pontifice, in die creationis et coronationis ejus et ejusdem diei anniversario, in anniversario creationis et consecrationis episcopi, etc., celebrari nequeunt nisi determinatis diebus et circumstantiis, ut patet ; de Missa autem pro sponso et sponsa, vide Rubricam quae praecedit hanc Missam et nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio*, *n. 1013 sequ.* Praeterea die non impedita, ut supra, sacerdos, Missam votivam praeferens, licet melius sit ut unam ex Missali celebret, tamen potest etiam celebrare Missam alicujus Sancti (non Beati) (3) vel alicujus mysterii per annum, dummodo veritas et ritus verborum non violetur, permissa tantum parva in verbis variatione, e.g., *commemoratio* vel *memoria* loco *natalitia* vel *festivitas*, juxta responsionem S.R.C. in *Wilnen.*, *22 Dec. 1753*, *ad 5*^{um} (n. 4237) ; secus Missa alicujus Sancti sumi poterit de communi. At Missa votiva de B. M. V. alia celebrari non potest, nisi vel Missa quae prostat in fine Missalis pro diversis temporibus, vel Missa Immaculatae Conceptionis aut Septem Dolorum B. M. V. feria VI post dominicam Passionis ; solum in vigilia aut infra octavam alicujus festivitatis B. M. V., si Missa votiva celebrari possit et velit, non alia celebrari debebit nisi Missa ejusdem

(1) Si Missam votivam celebrare non licet, nec licet Missae occurrenti addere commemorationem Sancti vel mysterii, in cujus honorem praebens eleemosynam postulassel Missam votivam, ut censuit S. R. C. in *Asturicen.*, *7 Sept. 1850*, *ad 3*^{um} (n. 5146).

(2) Haec rationabilis causa est, e.g., petitio praebentis eleemosynam, specialis devotio erga Sanctum aut mysterium, etc. ; non vero ut sacerdos citius sese expediat. S. Alphonsus, *VI*, *n. 419*.

(3) Merati, *l. c.*, *n. 16*.

festivitatis (1); quod etiam de Sanctorum et mysteriorum festivitatibus repetendum est.

871. *Pro re gravi* seu pro *publica Ecclesiae causa*, ut ajunt *Rubricae Generales Missalis, VIII, 4°; IX, 1°*, cum permissione Ordinarii, Missa votiva *solemnis* cum *Gloria* et *Credo* et unica oratione celebrari poterit quacumque die, exceptis festis duplicibus ac dominicis primae classis, feriis cinerum et majoris hebdomadae, vigiliis Pentecostes et Nativitatis; quibus diebus Ordinarius permittere aut praecipere solum potest ut orationi Missae addatur oratio Missae votivae sub unica conclusione et deinde dicantur aliae orationes a Rubrica praescriptae sub distincta conclusione. Si autem quaeratur quaenam sit *res gravis* aut *publica Ecclesiae causa* propter quam Ordinarius Missae votivae solemnis celebrationem permittere aut praecipere potest, respondemus in genere esse rem vel causam quae per se vel per accidens tangit totam communitatem vel majorem ejus partem, judicio Ordinarii (2). S. R. C. decreto diei *28 Junii 1889* indulsit ut in ecclesiis et oratoriis (3) ubi feria VI quae prima in unoquoque mense occurrit, peculiaria pietatis exercitia in honorem Sacratissimi Cordis, approbante loci Ordinario, mane peraguntur, celebrari valeat Missa votiva de sacro Corde Jesu; et quidem tanquam *pro re gravi* et ideo cum *Gloria*, *Credo* et unica oratione, prout declaravit eadem S. C. in *Montis Politiani, 20 Maii 1890. ad 1um*, et alias.

872. Ritus et caeremonias in Missa votiva privata servandas indicat *tabella pro Missis votivis privatis recte ordinandis*, quae in omnibus Kalendariis divini officii habetur; de Missa vero SSmi Sacramenti in altari aut ecclesia expositionis agemus in *cap. X, art. I.*

(1) S. R. C. in cit. *Strigonien., ad 2um*, declaravit has regulas servandas quoque esse pro Missa sanctissimi Rosarii B. M. V.: quae proinde, tanquam votiva, celebrari nequit extra vigiliam et octavam festivitatis: in vigilia vero et octava festivitatis alia, praeterquam ipsa, celebrari non potest.

(2) Merati, *l. c., n. 52.*

(3) Sive publicis sive semi-publicis principalibus, non autem stricte privatis, aut semi-publicis secundariis.

873. *c*) Tandem regula generalis fallit pro Missis *de requie*. Ecclesia semper solemne habuit Missae sacrificium pro defunctis offerre ; idque ex apostolica traditione repetendum esse docet cum eruditis omnibus Conc. Trid., *sess. XXII, cap. II*, in fine. Scilicet Ecclesia in defunctorum suffragium solita fuit non modo Missae sacrificium applicare (*n. 181*), sed etiam ipsas Missae preces ad hoc accommodare. Hinc in antiquis sacramentariis Gelasiano et Gregoriano sunt Missae defunctorum, e. g., pro sacerdote, abbate, neophyto, etc., defuncto. Profecto magis defunctis prodest Missae applicatio, quam Missa *de requie* sine applicatione ; sed ratione precum, magis prodest Missa *de requie* cum applicatione, quam applicatio simplex sine Missa *de requie* (*n. 595*). Ad rem S. Thomas, in *4, dist. 45, q. 1, a. 3, quaestiunc. 1, ad 1um* : « Ex parte sacrificii Missa aequaliter prodest defuncto, de quocumque dicatur ; ex parte tamen orationum magis prodest illa in qua sunt orationes ad hoc determinatae ».

874. Porro juxta Rubricas Missalis multiplex Missa *de requie* distingui debet, nempe Missa in *commemoratione omnium fidelium defunctorum, in die obitus seu depositionis defuncti, in die tertio, septimo, trigesimo depositionis defuncti, in anniversario defunctorum*, tandem Missa *quotidiana defunctorum*(1). Omnes istae Missae non differunt nisi in evangelio, epistola et orationibus. Notat vero Rubrica in fine Missae quotidianae pro defunctis : « Epistolae et evangelia superius posita in una Missa pro defunctis dici possunt etiam in alia Missa similiter pro defunctis ». Unde licet melius sit Missas celebrare prout in Missali, tamen possumus unam pro alia assumere, dummodo propriae orationes serventur. At in die depositionis et anniversario Romani Pontificis et episcopi dicenda omnino est Missa ut in die commemorationis omnium defunctorum cum orationibus : *Deus qui inter summos sacerdotes*, *Deus qui inter apostolicos*, ita praecipiente Rubrica, quam confirmavit S. R. C. in *Dubiorum, 31 Junii 1847, ad XIII, 3°*

(1) De his Missarum *de requie* speciebus in antiquitate vide Vicecomes, *De ritibus Missae, vol. I, cap. IV.*

(n. 4536), et in *Omoluccen.. 5 Mart. 1870. ad 5um* (n. 5665). De Missa in commemoratione omnium fidelium defunctorum vide quae diximus *n. 277* et *638 in nota 2*; modo de reliquis nonnulla adnotanda sunt, praescindendo a peculiaribus indultis.

875. Missa *in die obitus seu depositionis defuncti* est Missa *de requie* quae pro defuncto celebratur in ipso die mortis seu sepulturae: eadem Missa si celebratur intermedio tempore aut post sepulturam, sed non ultra biduum a die mortis, dicitur potius *pro die* obitus seu depositionis.

In primis *Rituale Romanum*, *De exequiis*, animadvertit: « Quod antiquissimi est instituti illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur ». Ubi illud *pro eo celebretur* includit applicationem, etsi eleemosyna data non fuerit; sed hoc in casu applicationem non esse obligatoriam, censuit S. R. C. in *Adrien.. 2 Sept. 1871, ad 1um et 2um* n. 5391, et S. C. C. in *Romana. 27 Apr. 1895*.

Jamvero, praesente cadavere, haec Missa *cum cantu* celebrari potest semper, « dum tamen conventualis Missa, et officia divina non impediantur magnaque dici celebritas obstet »; ut ait *Rituale Romanum*, *l. c.* (1): scilicet haec Missa prohibetur tantum in duplicibus primae classis cum praecepto, idest in festis Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, omnium Sanctorum, Patroni loci, Assumptionis, Immaculatae Conceptionis et Annuntiationis B. M. V., S. Joseph, Nativitatis S. Joannis Baptistae; et in sequentibus duplicibus primae classis sine praecepto, nempe triduo ante Pascha, festo Titularis et festo consecrationis propriae ecclesiae (2). Quod si exequiae his diebus contingant, et differri

1) In die commemorationis omnium fidelium defunctorum, praesente cadavere, dicitur Missa ut in die obitus seu depositionis, et aliae Missae ut adsunt, de communi defunctorum. Vide *Ulyssbonen., 14 Apr. 1646, ad 4um* (n. 1554); et *Tridentina., 20 Sept. 1621* (n. 349).

2) « ... aliquod ex his festis in dominicam subsequentem transfertur, Missa *de requie* prohibetur tantum in die dominica. Ita reponunt S. R. C. in *Quebecen., 6 Mart. 1896, ad 1um* et in *Andegaven., 2 Aug. 1896*, declaravit hanc responsionem applicandam quoque esse festis translatis in Galiia « quia ubi idem indultum, ibi eadem declaratio ».

nequeant, vel mane privatim, submissa voce, sine Missa, preces recitentur, vel sero post vesperas (1). Et nunquam Missa *de requie* locum tenere poterit Missae parochialis, ut docet *Rituale Romanum*, *l. c.*, et censuit S. R. C. in *Santanderien.*, *26 Jan. 1793*, *ad* 7um (n. 4448) et patet ex dictis *n. 866*. Quod si cadaver non sit praesens, sed nondum sit sepultum, haec Missa cum cantu ulterius prohibetur in omnibus duplicibus primae classis sine praecepto. Tandem si cadaver jam sepultum est, sed non ultra biduum a die obitus, haec Missa cum cantu ulterius prohibetur in omnibus festis de praecepto et in omnibus festis secundae classis (2). Hic autem notanda est responsio S. R. C. in *Calaguritana*, *13 Febr. 1892* : « Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens ita ut Missa exequialis in casu cantari licite valeat quoties, praesente cadavere, permittitur » ; qua S. C. ampliavit responsionem datam in *Palmae in Balearibus*, *22 Mart. 1862*, *ad 1*^um^ (n. 5320). Ceterum Missa exequialis in die vel pro die obitus seu depositionis cum cantu una tantum et in una tantum ecclesia celebrari potest.

Quod vero attinet ad Missas *lectas* in die vel pro die obitus seu depositionis, hodie prae oculis habendum est S. R. C. decretum diei *19 Mai 1896*, a Leone PP. XIII probatum die *8 Junii* : « 2° In quibuslibet ecclesiis et oratoriis quum publicis tum privatis et in sacellis ad seminaria, collegia et religiosas vel pias utriusque sexus communitates spectan-

(1) In nonnullis locis, e. g., Parisiis his diebus toleratur consuetudo legendi vel canendi Missam festi ad petitionem parentum defuncti.

(2) Plures Ordines religiosi habent indultum ut primo die post nuntium mortis alicujus confratris in loco dissito commorantis Ordini a superiore datum, in cunctis Ordinis ecclesiis Missa *de requie* cum cantu celebrari possit ut pro die obitus seu depositionis. Hujus Missae celebratio licet in iis solum diebus quibus licet Missa cum cantu in anniversario proprie dicto (*n. 877*) ; et si prima dies post nuntium est impedita, differri potest in diem primam sequentem et non ultra, ut censuit S. R. C. in *Ord. Min.*, *27 Mart. 1779*. *ad* 2um (n. 4393). Alias id non posse sine apostolico indulto eadem S. C. declaravit in *Ord. Min.*, *16 April. 1853*, *ad 21*^um^ (n. 5183).

tibus, Missas privatas *de requie*, praesente, insepulto vel etiam humato non ultra biduum cadavere, fieri posse die vel pro die obitus aut depositionis ; verum sub clausulis et conditionibus quibus, juxta Rubricas et decreta, Missa solemnis *de requie* iisdem in casibus decantatur, exceptis duplicibus primae classis et festis de praecepto ». Hoc decretum declaratum fuit in *Romana, 12 Jan. 1897*, ubi ad dubia : « 2° Missae privatae *de requie* quae sub expressis conditionibus celebrari possunt, praesente cadavere, licitaene erunt in quibuslibet ecclesiis vel oratoriis sive publicis sive privatis (1) ; 3° Hujus Missae privatae *de requie* celebrari ne poterunt sine applicatione pro defuncto cujus cadaver est vel censetur praesens ; 4° Eaedem pariter Missae possuntne celebrari diebus non duplicibus, qui tamen festa duplicia primae classis excludunt, uti, e. g., feria IV cinerum » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Affirmative, dummodo cadaver sit physice vel moraliter praesens ; sed si agatur de ecclesiis et oratoriis publicis, fieri debet etiam funus cum Missa exequiali ; Ad 3um et 4um : Negative ».

876. Dies tertius, septimus, trigesimus computantur a die obitus vel a die sepulturae, incluso vel excluso ipso die obitus vel sepulturae, juxta diversam ecclesiarum consuetudinem, uti reposuit S. R. C. in *Carthaginen., 23 Aug. 1866, ad 2um* (n. 4336) ; in *Neapolitana, 23 Febr. 1884, ad 10um* (5907) ; et in generali decreto diei *2 Decembris 1891*, citato in *Caeremoniali Romano-Seraphico*.

Jamvero Missa *cum cantu* in die tertio, septimo, trigesimo prohibetur tantum in duplicibus primae et secundae classis ; in dominicis et festis de praecepto ; diebus infra octavas privilegiatas Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi ; die cinerum et tota hebdomada majori ; in vigiliis Nativitatis et Pentecostes et tempore expositionis solemnis sanctissimae Eucharistiae in respectivis ecclesiis, ut constat, aliis omissis, ex cit. decreto diei *2 Decembris 1891*. Si iis diebus occurrit dies tertius, septimus, trigesimus, Missa debet anticipari vel transferri ad

(1) Nempe etiam semi-publicis tum principalibus tum secundariis, et etiam stricte privatis. »

primum diem non impeditum et non ultra, cum eadem solemnitate et absque mutatione in collectis ; sed melius est ut anticipetur. Dies autem non impediti ii sunt qui in recensitis non comprehenduntur, uti in eodem traditur decreto. Nec ad Missam his diebus cum cantu celebrandam requiritur ut defunctus sic in suo testamento ordinaverit, sed sufficit voluntas consanguineorum, amicorum vel testamenti executorum, ut reposuit S. R. C. in cit. *Palmae in Balearibus, ad 2um*.

Missa autem *lecta* nullo privilegio gaudet, et ideo die tertio, septimo, trigesimo celebrari poterit si eo die Missa *de requie* communis seu quotidiana potest celebrari (*n. 878*) ; secus celebrabitur Missa de die, quae pro defuncto applicari utique potest (*n. 595*).

877. Anniversarium proprie dictum computatur a die obitus, aut etiam, ex eodem decreto diei *2 Decembris 1891* a die depositionis (1), incluso vel excluso ipso die obitus aut depositionis juxta consuetudinem : solum si mors sequuta est post occasum solis ante mediam noctem, computari potest a die obitus vel a die sequenti juxta ecclesiae consuetudinem, uti reposuit eadem S. C. in *Veronen., 21 Julii 1855, ad 3um* (n. 5220). Sunt etiam anniversaria improprie dicta, cum scilicet Missa ex fundatione pro defuncto celebratur certo die non anniversario ab ejusdem morte vel depositione.

Jam vero anniversaria seu Missae *cum cantu* pro defunctis, sive fundata a testatoribus pro die obitus aut alia determinata die, sive privata ad petitionem viventium, dummodo pro die obitus, idest in die vere anniversaria a die obitus aut depositionis, ut supra, ex eodem decreto diei *2 Decembris 1891* prohibentur solum illis diebus quos *n. praec.* indicavimus pro Missa in die tertio, septimo, trigesimo (2). Si anniversarium incidit in die prohibito, repete

(1) Ante hoc decretum anniversarium proprie dictum computari a die depositionis plura S. R. C. decreta prohibuerant, e. g., in *Curien., 19 Junii 1700, ad 10um* (n. 8565).

(2) Proinde juxta citatum decretum jam corrigi debet doctrina et praxis passim recepta ; et falsum jam est non gaudere privilegio nisi anniversaria fundata a testatoribus vel haeredibus pro vera anniversaria die

quae supra diximus, nempe Missa anticipanda vel transferenda est in primum diem non impeditum, ut S. R. C. reposuit etiam in *Nullius dioecesis et Prov. Treviren.*, *31 Julii 1865*, *ad 6um* (n. 2345), ac saepe alias.

Missa autem *lecta* in quocumque anniversario defunctorum nullo privilegio gaudet.

878. Tandem Missa *quotidiana* defunctorum, non ideo dicitur quia qualibet die celebratur, sed quia frequenter in anno et praeter Missas superius recensitas celebrari potest.

Jamvero *Rubricae generales Missalis*, V, statuunt quandonam Missa *de requie* communis seu quotidiana celebrari queat, sive conventualis in ecclesia cathedrali aut collegiata usque ad verba : *Fit commemoratio*, sub *n. 2.* sive a singulis sacerdotibus etiam extra ecclesias cathedrales vel collegiatas, ibi : « Missae autem privatae pro defunctis quocumque die dici possunt, praeterquam in festis duplicibus et dominicis diebus ». Praeterea Missa *de requie* vetatur a vigilia Nativitatis usque ad octavam Epiphaniae inclusive, in die Cinerum, a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis, in vigilia et octava Pentecostes, in octava Corporis Christi. S. R. C. in *Bergomen.*, *24 Nov. 1691* (n. 3251), et in *Strigonien.*, *30 Aug. 1892*, *ad 7um*, declaravit Missam *de requie* celebrari posse in duplici ad libitum vel in duplici votivo.

Demum prae oculis habendum est decretum S. R. C. dici *19 Maii 1896* (*n. 875*), quo statuitur : « 1° In quolibet sacello sepulchreti rite erecto vel erigendo, Missas quae inibi celebrari permittuntur (*n. 224*), posse esse *de requie* diebus non impeditis a festo duplici primae vel secundae classis, a dominicis aliisque festis de praecepto servandis, nec non a feriis, vigiliis octavisque privilegiatis ». Circa hoc decretum in cit. *Romana* (cit. *n. 875*), proposito dubio : « 1° Privilegium circa Missas lectas *de requie* ex praefato decreto concessum sacellis sepulchreti, favetne

ab obitu vel depositione, quae quotannis celebrentur. In *Taurinen.*, *20 Nov. 1677* (n. 2847), S. R. C. reposuit diebus prohibitis nec pro Rege defuncto Missam cum cantu celebrari posse.

sive ecclesiae vel oratorio publico ac principali ipsius sepulchreti, sive aliis ecclesiis vel capellis extra coemeterium, subter quas ad legitimam distantiam alicujus defuncti cadaver quiescit »; S. R. C. reposuit: « Negative ad utrumque ».

Si Missa *de requie* dicenda est die vetito, e. g., ex fundatione, vide pro applicatione *n. 595*.

879. Quoad sequentiam et orationes in Missis defunctorum dicendas, omnes dubitationes S. R. C. sustulit per decretum generale diei *30 Junii 1896*, ubi declarat:

« 1° Unam tantum esse dicendam orationem in Missis omnibus quae celebrantur in commemoratione omnium fidelium defunctorum, die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis vel lectis permittente ritu diebus tertio, septimo, trigesimo et die anniversario, nec non quandocumque pro defunctis Missa solemniter celebratur, nempe sub ritu qui duplici respondeat (1), uti in officio quod recitatur post acceptum nuntium de alicujus obitu et in anniversariis late sumptis.

« 2° In Missis quotidianis quibuscumque sive lectis sive cum cantu plures esse dicendas orationes, quarum prima sit pro defuncto vel defunctis certo designatis pro quibus sacrificium offertur, ex iis quae inscribuntur in Missali, secunda ad libitum, ultima pro omnibus defunctis.

« 3° Si vero pro defunctis in genere Missa celebratur, orationes esse dicendas quae pro Missis quotidianis in Missali prostant eodemque ordine quo sunt inscriptae.

« 4° Quod si in iisdem quotidianis Missis plures addere orationes celebranti placuerit, uti Rubricae potestatem faciunt, id fieri posse tantum in Missis lectis, impari cum aliis praescriptis servato numero, et orationi pro omnibus defunctis postremo loco assignato (2).

« 5° Quod denique ad sequentiam attinet, semper illam

(1) S. R. C. hic solummodo praecipit unam tantum in his Missis dicendam esse orationem; ceterum cae Missae, salvo indulto, privilegiatae haud sunt.

(2) In oratione: *Deus qui inter apostolicos*, particula *seu* pertinet ad orationem et recitanda est.

esse dicendam in quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus, ut supra, privilegiatis fiunt; in reliquis vel recitari posse vel omitti ad libitum celebrantis, juxta Rubricas ».

880. Si vero diebus permissis in ecclesia expositum est SSmum Sacramentum, dubitari potest num Missa *de requie* ibidem celebrari queat. Regula generalis haec est: « In altari ubi publice exponitur SSmum Sacramentum sive in pyxide sive in ostensorio, Missae *de requie* tempore quo expositio perdurat, omnino prohibentur »; ut reposuit S. R. C. in *Agrigentina*, *14 Junii 1873*, *ad 2um* (n. 5551); in aliis ecclesiae altaribus, vetantur, si SSmum Sacramentum expositum est in ostensorio aut in pyxide ex publica causa, ut patet ex instructione Clementina, § *XVII* (*Allegat. IV*), et ex responsione S. R. C. in *Eugubina*, *27 April. 1697* (n. 3422); *Catanien.*, *19 Dec. 1829* (n. 4650), ac alias; permittuntur, si expositum est in pyxide ex causa privata, uti eadem S.C. censuit in *Varsavien.*, *7 Maii 1746*, *ad 9um* (n. 4180), ibi: « Missae *de requie* extra altare ubi est expositum SSmum Sacramentum (in pixide), poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non sit ex publica causa ». At expositio SSmi Sacramenti facta in ecclesia subterranea non impedit Missas *de requie* celebrandas in ecclesia superiori, uti censuit S. R. C. in *Pistorien.*, *27 Febr. 1847*, *ad 1um* (n. 5086), et vice versa.

881. A regula generali superius tradita est aliqua exceptio pro die commemorationis omnium fidelium defunctorum, si eo die occurrat solemnissima SSmi Sacramenti expositio quadraginta horarum. Nam in casu si alia altaria in ecclesia adsunt, praeter altare expositionis, Missae *de requie* in aliis altaribus permittuntur cum paramentis nigris vel violaceis ad arbitrium superioris localis vel rectoris ecclesiae, non autem in altari expositionis. Nam in *Romana*, *16 Sept. 1801* (n. 4477), propositis dubiis: « 1° An in ecclesiis in quibus expositum manet sanctissimum Eucharistiae sacramentum fidelium adorationi in turno perpetuae orationis quae dicitur quadraginta horarum, occurrente die commemorationis omnium fidelium defunctorum, liceat

recitare officium defunctorum et celebrare Missam solemnem et etiam Missas privatas itidem defunctorum ; 2° Et quatenus affirmative ; an adhiberi debeant paramenta coloris violacei, potius quam coloris nigri ; 3° An in eodem casu excipiendum sit altare in quo habetur expositum SSmum Sacramentum » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Affirmative. Ad 2um : Arbitrio superioris localis. Ad 3um : Affirmative ». Et hanc responsionem rursus confirmavit decreto generali diei *27 Jun. 1868* (n. 5403) : « Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris adeo ut violacea adhiberi nequeant nisi in casu quo die *2 Novembris* sanctissimae Eucharistiae sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione quadraginta horarum, prouti cautum est in decreto Sacrae hujus Congregationis diei *16 Sept. 1801* ». Quod si alia altaria in ecclesia, praeter altare expositionis, non adsint, non constat nos Missam *de requie* cum paramentis violaceis celebrare posse in ipsomet expositionis altari ; unde standum erit regulae generali superius traditae quae hanc celebrationem prohibet. S. R. C. in *Agrigentina, 14 Junii 1874* (n. 5551), declaravit die *2 Novembris* in altari ubi SSmum Sacramentum sive in ostensorio sive in pyxide ex consuetudine exponebatur non pro oratione quadraginta horarum, non posse Missam *de requie* neque in paramentis violaceis celebrari, sed dicendam esse Missam de Sancto occurrente, si est duplex, secus de octava vel votivam SSmi Sacramenti, ut in fine Missalis, et cum orationibus tempori congruentibus.

882. Pro die obitus seu depositionis, die tertio, septimo, trigesimo et anniversario nullam legimus exceptionem, imo in citato decreto diei *2 Decembris 1891* expresse prohibetur Missa pro defunctis cum cantu die tertio, septimo, trigesimo et anniversario, si in ecclesia est expositio solemnis SSmi Sacramenti. Hinc S. R. C. in *Florentina, 11 Junii 1875* (n. 5613), declaravit : « Juxta instructionem Clementinam iis diebus (expositionis quadraginta horarum) abstinendum esse a celebrandis Missis defunctorum (praesente cadavere in die obitus seu depositionis) sive solemnibus

sive lectis ; ac Missa solemnis pro defuncto cani poterit die tertio, septimo, trigesimo ac anniversario a die obitus, vel depositionis defuncti ». Vide etiam ejusdem S. C. responsionem in *Ord. Can. Reg. Lateran., 2 Dec. 1684, ad 5um* (n. 3074). Solum si adest consuetudo, poterit in die obitus seu depositionis, non obstante expositione SSmi Sacramenti, dici psalmus *De profundis*, vel *Miserere* et in fine *Requiem aeternam, A porta inferi*, etc., uti rescripsit eadem S. C. in *Volaterrana, 16 Dec. 1838, ad 5um* (n. 4645).

Articulus II.

De ritibus et caeremoniis sacrificii Missae in specie.

883. Hos ritus ac caeremonias describunt, uti diximus, sive Rubricae Missalis sive *Caeremoniale episcoporum*. Inutile est has dispositiones transcribere ; lector igitur eas sub oculis habeat, dum nonnullas quae aliquam difficultatem praeseferre possunt, ex historia et decretis S. R. C. illustramus. Hinc praetermittimus omnia S. R. C. responsa quibus observantia Rubricarum aut *Caeremonialis episcoporum* simpliciter urgetur.

§ 1. — *Ab initio Missae usque ad offertorium exclusive.*

884. Quod tradunt Missalis Rubricae, *Ritus servandus in celebratione Missae, I*, de calice parando vestibusque sacerdotalibus assumendis in sacrario, conforme est antiquae liturgiae ; nam sacrarium erat in fine ecclesiae (*n. 138*) et ex eo celebrans egrediebatur sacerdotalibus vestibus indutus, ut ad altare pergeret. Hinc in genere non licet parare calicem in altari et vestes sacerdotales ex altari sumere ; vide responsa S. R. C. in *Incerti loci Mediolanen., 18 Aug. 1629* (n. 830) ; *Cusentina, 15 Julii 1631* (n. 915) ; *Patavina, 17 Jun. 1673* (n. 2641) ; *Ebroicen., 9 Maii 1857, ad 1um* (n. 5244), etc. Hoc privilegium competit Cardinalibus et episcopis, etiam titularibus tantum, tum pro pontificalibus tum pro privatis Missis ; imo S. R. C. in *Sallu-*

tiarum, 29 Nov. 1856, ad 2um (n. 5228), declaravit non esse tolerandum ut canonici episcopum pontificaliter celebrantem vestiant non ad altare majus, sed in sacrario. Praelatis episcopo inferioribus hoc privilegium est pro Missis pontificalibus tantum (*n. 677, 11°*); protonotariis autem apostolicis aliisque omnibus usum *insigniumpontificalium* habentibus nec pro Missis pontificaliter celebratis (*n. 678, 16°, 679, 15°*). In *Reatin., 19 Maii 1838* (n. 4834), cum episcopus Reatinus hoc privilegium pro canonicis suae ecclesiae cathedralis postulavisset, S. R. C. reposuit : « Obstant decreta ». Deficiente sacrario, paretur calix in mensa separata ad id ordinata et ex ea vestes sacerdotales sumantur. Deficiente autem et hac mensa, paretur calix in medio altaris ; vestes ponantur in cornu evangelii et exinde sumantur (1), cum hic necessitatis casus a praescripto Rubricarum excuset. Est autem aliqualis exceptio ; nam sacerdos Missam solemnem celebraturus, post aspersionem aquae benedictae die dominica faciendam, potest in plano seu in medio altaris et ante gradus ejus se expoliare pluviali et induere casulam de scammo vel credentia excipiendam, ut declaravit S. R. C. in *Sancti Marci, 22 Martii 1862, ad 4um* (n. 5318).

885. Ad ipsam calicis praeparationem et paramentorum assumptionem quod attinet, in *Tuden., 7 Sept. 1816* (n. 4526), ad dubium : « 29° An purificatorium poni debeat super pedem calicis, dum praeparatur, vel potius super patenam » ; S. R. C. reposuit : « Ad 29um : Relinqui posse sacerdotis arbitrio ». Ceterum super calicem poni non potest nec manutergium, uti declaravit eadem S. R. C. in *Pisauren., 1 Sept. 1703* (n. 3661), nec clavis tabernaculi, quam sacerdos, dum ad altare pergit, manu sinistra tenente calicem gerere debet, et multo minus strophiolum sacerdotis aut quid aliud.

Sacerdos, amictum assumens, parvam crucem quae in medio est, debet deosculari. Quod si parva crux desit, sacerdos amictum assumat sine deosculatione (2). Juxta Ru-

(1) Gavanti, *p. II, tit. I, n. 2*.
(2) Baldeschi, *p. I, art. I, n. 8* ; aliique contra S. Alphonsum, *Cere-*

bricas Missalis stolae medium *imponendum est collo* ita scilicet ut crux quae est in medio prodeat e planeta ; proinde usus rejiciendi stolam post tergum videtur minus conformis litterae Rubricarum (1). Id quod Rubricae consulunt, nempe quod sacerdos saecularis vestes sacerdotales assumat supra superpelliceum, si commode haberi possit, nullibi servatur.

Tandem ministri pro Missa solemni coadjuvare non debent celebraturum, dum sacras vestes induit, ut edixit S. R. C. in *Neapolitana, 13 Jun. 1676, ad 3*um (n. 2791), nisi antiquissima et immemorialis consuetudo id ferat, ut eadem S. C. declaravit in *Sancti Miniati, 23 Apr. 1875* (n. 5605).

886. Sacerdos celebraturus e sacrario pergens ad altare debet habere caput coopertum, non obstante contraria consuetudine, uti censuit S. R. C. in *Ord. Discalceat. SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum, 14 Junii 1845* (n. 5018). Si sacristia est directe post altare, « a sacristia ad illud e sinistra egrediendum, a dextera ad illam accedendum », edixit eadem S. R. C. in *Briocen., 12 Aug. 1854, ad 17*um (n. 5208). Rubricae Missalis nil dicunt de aqua benedicta, quam sacerdos celebraturus solet digitis tangere, ut deinde se signo crucis signet. Proposito dubio : « An sacerdos pergens ad celebrandum et calicem manu sinistra portans, possit ad januam sacristiae accipere aquam benedictam eaque se signare » ; S. R. C. in *Ord. Min., 27 Mart. 1779, ad 14*um (n. 4393) reposuit : « Si commode fieri potest, se signet ; sin minus, se abstineat ».

887. Si sacerdos transit ante SSmum Sacramentum expositum, servandae sunt Rubricae Missalis « quae videntur innuere quod post factam adorationem genibus flexis, detecto capite, surgens caput operiat », uti reposuit S. R. C. in *Urbis, 24 Julii 1638* (n. 1086). Nempe sacerdos accedat

monie della Messa, cap. I, n. 9, cum Merati, putantem sacerdotem debere signare digito crucem in medio amictus eamque deinde deosculari ; quod est contra Rubricas Missalis, *l. c., IV, 1°*.

(1) Martinucci, *lib. I, cap. XVIII, n. 12*, et *cap. XXV, n. 13* ; contra De Albertis, *De sacris utensilibus, cap. XI, n. 45* ; Merati ad Gavantum, *p. II, tit. I, n. 30*, aliosque.

capite cooperto; ante SSmum Sacramentum prius utrumque genu flectat; postea birretum deponat, non illud ponens supra bursam, sed vel ministro tradens, vel tenens manu dextera posita supra bursam; deinde profunde caput inclinet; rursus birretum capiti imponat: surgat et abeat (1). Idem repetas, si transit ante altare ubi communio fidelibus administratur, quin genuflexus finem communionis expectet, uti docet S. R. C. in *Collen., 5 Julii 1698, ad 19*[um] (n. 3477); vel si transit ante altare momento elevationis, non ante surgens quam celebrans deposuerit calicem super corporali, ut Rubricae tradunt. Si transit ante altare post elevationem, vel ante altare in cujus tabernaculo reconditum est SSmum Sacramentum, aut in quo reliquia sanctae Crucis exposita est loco principe (2), unicum genu flectit usque ad terram, cooperto capite, surgit et abit. Tandem altare majus ubi non est SSmum Sacramentum, aut altare ubi exposita est reliquia insignis aut etiam reliquia sanctae Crucis recondita in custodia, salutat profunda capitis cooperti et corporis inclinatione; Cardinalem vero, archiepiscopum, episcopum, legatum Sedis Apostolicae, regem, magnatem loci (3), chorum, media, uti vocant, aut simplici capitis inclinatione.

Sacerdotem ad altare accedentem, posse submissa voce recitare aliquem psalmum, e. g., *Miserere*, dubitandum non est.

888. Circa genuflexionem quam sacerdos facere debet juxta Rubricas cum ad altare pervenerit, si in tabernaculo sit SSmum Sacramentum, S. R. C. in *Marsorum, 12 Nov. 1831, ad 51*[um] (n. 4669), declaravit « in accessu et recessu in plano esse genuflectendum; in infimo autem gradu altaris, quoties genuflectere occurrat ». Praeterea in *Granaten., 16 Junii 1663* (n. 2223), ad dubium: « 4° Si altare non habet planitiem, sed novem vel decem gradus, vel si habet planitiem nimis latam, an sacerdos celebraturus Missam, pro illa incipienda descendere debeat ad ultimum gra-

(1) Gardellini in commentario Instructionis Clementinae, § *VII, n. 10*, cum Merati; De Albertis, *De sacris utensilibus, cap. VII, n. 157 sequ.*
(2) S. R. C. in *Varsavien., 7 Maii 1712, ad 12um* (n. 4181)
(3) S. R. C. in *Theanen., 9 Dec. 1792* (n. 3638).

dum, vel a primo tantum, et an etiam descendere debeat planitiem vel sufficiat quod se ab altari sejungat duobus vel tribus passibus » ; S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Deberet apponi predella quae dividat altare a planitie et satis esset descendere ipsam predellam ».

889. Ad praescriptum *Caeremonialis episcoporum*, *lib. I*, *cap. XV*, § *XIV*, et *lib. II*, *cap. XXXI*, § *III*, et Rubricarum Missalis, *Ordo ad faciendam aquam benedictam*, post orationes pro defunctis, qualibet die dominica ante Missam conventualem facienda est a sacerdote celebrante aspersio cum aqua benedicta ; et inibi omnes caeremoniae in hac aspersione servandae describuntur. Hic duo tantum recolimus. Primum est aquam benedicendam esse ante Missam in sacrario a celebrante vel ab alio sacerdote ; solum in Dominica Resurrectionis et Pentecostes adhibetur aqua in praecedenti sabbato benedicta, ut Rubricae Missalis, *l. c.*, tradunt. Alterum est sacerdotem hanc aspersionem facere posse vel stando in aditu sanctuarii et inde populum a dextris et a sinistris aspergendo, vel ecclesiam circumeundo prius a parte epistolae et postea a parte evangelii, ut censuit S. R. C. in *Sancti Pauli de Minesota*, *22 Mart. 1862*, *ad 2um* (n. 5321).

890. Usus recitandi psalmum : *Judica me*, *Deus*, etc., in principio Missae est satis antiquus ; sed sacerdotes illum privatim, antequam ad altare pervenissent, recitabant, praetermissis aliis quae modo dicuntur initio Missae, et quidem non omnes ; hinc S. Pius V, cum Missale recognovit, statuit ad ritus uniformitatem ut a quolibet sacerdote illa antiphona et psalmus recitaretur (1). S. R. C. non semel declaravit illicitum esse in *Confiteor* alicujus Sancti nomen addere, e. g. in decreto *13 Febr. 1666*, *ad 5um* (n. 2362), in *Valentina. 12 Julii 1704* (n. 3696) et in *Ord. Min.*, *18 Dec. 1779*, *ad 16um* (n. 4395). Proinde ut alicujus Sancti nomen addi possit, necessarium est indultum apostolicum, quo nonnullae familiae religiosae gaudent ; vide, e. g., *Hispalen.*, *25 Aug. 1818*, *ad 2um* (n. 4549). Rubricis contrarium est in *Confi-*

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio*, *lib. II*, *cap. III*, *n. 9*.

teor dicere : *tibi*, vel : *te*, *Reverendissime Pater*, si celebrans est episcopus.

891. In antiqua liturgia sive romana sive gallicana celebrans Missam solemnem nec introitum dicebat, sed illum canebat schola cantorum, episcopo procedente ad altare. In Missali Ambrosiano introitus appellatur *ingressa*, in Mozarabico *officium*, sicuti et hodie in Missali Carthusianorum, Fratrum Praedicatorum, Carmelitarum. Juxta liturgiam romanam, antequam Romanus Pontifex ad altare pervenisset, clericus ei offerebat partem panis consecrati in Missa praecedenti, qui adorabatur a Pontifice, immittendus in calicem ante fractionem panis ; ad melius monstrandam specificam sacrificii unitatem (*n. 42*), et ideo etiam *fermentum*, idest pars hostiae in praecedenti Missa pontificali consecratae, ad presbyteros in *titulis* celebrantibus mittebatur (*n. 706*). Sanctuarium ingressus, Pontifex dabat osculum pacis episcopis, presbyteris, diaconis (1) ; et sese prosternebat ante altare ; postea diaconi osculabantur altare ; tandem etiam Pontifex osculabatur altare et librum evangeliorum.

Etiam oratio *Kyrie eleyson* serius ex Missa orientali in Missam occidentalem recepta est, nec recitabatur in Missis quae post litanias celebrabantur in quibus jam antea dicta fuerat ; insuper non erat determinatum quoties celebrans ea verba repeteret ; imo in ritu Ambrosiano sacerdos ea recitat post *Gloria*, post evangelium et in fine Missae.

Etiam hymnum *Gloria in excelsis*, quem in Missa solemni celebrans et ministri integrum simul recitant (*n. 898*), liturgia tum romana tum gallicana ab Oriente recepit ; sed in liturgia gallicana dicebatur post communionem. In liturgia romana hic hymnus ab initio dicebatur tantum in nocte Nativitatis ; postea inductum est ut ab episcopis quidem celebrantibus diceretur in omnibus et solis diebus festis ; a presbyteris vero in die Paschatis, cum Missam loco Pontifi-

(1) Etiam hodie Romano Pontifici, solemniter celebranti, cum sacris indutus vestibus e throno descendit accessurus ad altare, tres ultimi presbyteri Cardinales occurrunt eumque osculantur in facie et in pectore.

cis celebrabant, et in die installationis in proprio munere(1).

892. Salutatio populi per verba: *Dominus sit semper vobiscum*,vel: *Dominus vobiscum*, respondente populo et hodie ministro populum repraesentante: *Et cum spiritu tuo*, erat initium Missae, seu primus sacerdotis actus in antiqua liturgia tum romana tum gallicana (2). At haec salutatio fiebat in cornu epistolae et non in medio altaris, sicuti etiam hodie fit a Carthusianis, Carmelitis, Fratribus Praedicatoribus. In Orientali Ecclesia formula qua sacerdotes populum salutant, est: *Pax vobis*. Eadem formula in Ecclesia Occidentali utuntur episcopi pro hac tantum prima Missae salutatione, quando dictus est hymnus *Gloria in excelsis Deo*, uti Rubricae praecipiunt.

893. Oratio quam celebrans postea recitat, in liturgia romana dicebatur *collectio*, in gallicana *collectio post prophetiam*, quia celebrans eam recitabat post *Benedictus*, aut etiam *benedictio*. In utraque antiqua liturgia una erat collecta; sed in romana et in quibusdam aliis Ecclesiis serius inductum est ut, recitata collecta, aliae in praecipuis festivitatibus adderentur pro Papa, pro Imperatore, etc. Etiam nos hodie aliquando plures collectas recitamus; quibus commemorationes Sanctorum, si fieri debent, substituuntur. Collectas Missae quibus nunc utimur referunt Sacramentaria adscripta S. Gelasio et S. Gregorio M., Romanis Pontificibus; nonnullae autem sunt posterioris aevi. Aliquando post *Oremus*, sacerdos in Missis privatis, diaconus in solemnibus dicit: *Flectamus genua*, ministro in Missis privatis, subdiacono in solemnibus respondente: *Levate*. Antiquitus idem diaconus populum qui in genua procidebat, post brevem orationem in silentio, invitabat ad surgendum.

894. Quaenam orationes et commemorationes dicendae sint, indicant *Rubricae Generales Missalis*, *VII*, *IX*; et quo ritu, tradunt eaedem Rubricae.*Ritus servandus*, *etc.*, *V.*; de oratione autem SSmi Sacramenti in ecclesia et altari expositionis agemus in *cap. X*, *art. I*. Hoc unum ad-

(1) Benedictus XIV, *l. c.*, *cap. IV*; Duchesne, *Origines*, *etc. chap. VI, 1°*; *chap. VII, 2°*.

(2) Duchesne, *l. c.*, *chap. VI, 3°*; *chap. VII, 1°*.

notamus, nempe si in oratione habetur littera N., nomen tantum ponendum esse; secus orationem legendam, prout jacet, ut declaravit S. R. C. in *Viglevanen.*, *7 Apr. 1832* (n. 4687). Sine permissione Sedis Apostolicae vel Ordinarii, nemini licet orationibus a Rubrica praescriptis aliam addere, ut saepe S. R. C. declaravit. Si Rubricae indicant orationem *ad libitum*, haec oratio est obligatoria, sed celebrans ex Missali eam seligit; dummodo oratio, tamquam votiva, dici possit (*n. 870*) et praecedentes non fuerint de eodem mysterio vel de eodem Sancto, aut eamdem petitionem non continuerint. Ordinarius potest collectam praecipere aut permittere, e. g., ad petendam pluviam, pro Papa, etc., ejusque praeceptum obligat etiam regulares. Haec collecta imperata omittenda est in duplicibus primae classis; in duplicibus secundae classis omittenda est in Missa conventuali et solemni, in Missis vero privatis relinquitur arbitrio sacerdotis, uti reposuit S. R. C. in *Assisien.*, *15 Maii 1819*, *ad 2um* (n. 4560), et in *Namurcen.*, *23 Maii 1835*, *ad 1um* (n. 4746). Praeterea si collecta, imperata ab Ordinario, sit praescripta a Rubrica, sufficit praescriptam a Rubrica recitavisse; de qua re vide responsionem S. R. C. in *Dubii*, *29 Febr. 1868* (n. 5388), et in *Olomucen.*, *5 Mart. 1870*, *ad 1um* (n. 5445). Quod si Rubrica praescribit orationem pro Ecclesia vel pro Papa et Ordinarius jusserit collectam pro Papa, utraque dicenda est et pro Ecclesia et pro Papa, uti reposuit S. R. C. in cit. *Namurcen.* In *Ord. Minor.*, *27 Mart. 1779* (n. 4393), ad dubium: « 16° An praelati regulares, etiam locales, possint ordinare collectam dicendam in Missa a subditis suis tam pro necessitatibus Ordinis, quam pro necessitate communi »; S. C. reposuit: « Ad 16um: Non licere sine licentia episcopi ».

895. In oratione *A cunctis*, sicuti et in analoga *postcommunione*, ad litteram N. nominandus est in qualibet ecclesia patronus seu titularis proprius ejusdem ecclesiae; si vero Missa celebratur in ecclesia dedicata alicui mysterio, SSmae Trinitati, sanctae Cruci, etc., vel in sacello et oratorio semipublico vel privato, non habenti patronum seu titularem,

nominari potest patronus loci, si consuetudo adsit faciendi ejus commemorationem in officio ; secus omittenda sunt verba : *Ac beato*. Ita S. R. C. in *Sancti Germani, 15 Febr. 1873* (n.5532),et alias.Pariter si Missa celebratur de Sancto, qui in oratione *A cunctis* nominandus esset, liberum est celebranti vel dicere orationem *A cunctis*, suppresso nomine Sancti, vel loco illius dicere orationem *Concede*, uti censuit S. R. C. in *Assisien., 15 Maii 1819, ad 3um* (n. 4560). Quod si ecclesiae in qua celebratur, plures sint patroni aeque principales, e. g.,SS. Gervasius et Protasius, omnes numerandi sunt ; si unus est principalis, e. g., S. Dionysius cum sociis, principalis tantum nominari debet. Ex litteris apostolicis diei *7 Julii 1871* in oratione *A cunctis* addi debet nomen S. Joseph : *Cum beato Joseph* ; et quidem juxta decisionem S. R. C. in *Ratisbonen., 22 Apr. 1871* (n. 5484), addendum est post B. M. V.et ante quoscumque alios sanctos Patronos, exceptis Angelis et S. Joanne Baptista. Tandem S. R. C. in *Ord. Exalceat. SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum, 17 Junii 1843, ad 3um* (n. 4964), declaravit permitti posse ut regulares addant nomen fundatoris, dummodo non omittatur titularis ecclesiae.

896. Tandem hodie oratio pro principe civili dici non potest nisi ex speciali Sedis Apostolicae concessione ; qua, e. g., gaudet Imperator austriacus ex decreto S. R. C. diei *10 Febr. 1860* ; varia autem dubia cum S. C. responsione circa hanc orationem vide in *Lincien., 3 Jun. 1892, ad Ium*. Etiam monitio seu oratio pro Imperatore in feria VI majoris hebdomadae ejusdemque mentio in cantu *Exultet* in sabbato sancto, hodie penitus omittenda est, uti reposuit S. R. C. in *Mechlinien., 7 Dec. 1844, ad 6um* (n. 4985).

897. Usus legendi S. Scripturas sive veteris sive novi Testamenti in Missae celebratione ab ipso aevo apostolico est repetendus ; item in Missarum solemniis legi consueverunt Apostolorum litterae et postea Romanorum Pontificum et episcoporum ; quod et hodie servamus. Hinc *epistola*, quae tamen aliquando non ex Apostolorum epistolis, sed ex aliis S. Scripturae partibus, praeter evangelia,

desumpta est. In Missa cum cantu celebrata subdiaconus epistolam cantat a latere sinistro altaris vel in ambone, ut tradit *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. VIII, § XLI*; in antiqua disciplina lector canebat epistolam in ambone seu pulpito, minus elevato et minus ornato quam eo in quo evangelium legebatur.

Post epistolam est *graduale*; quae antiphona sic appellata est, quia, juxta antiquam liturgiam romanam, canebatur a diacono in gradibus ambonis; dicitur etiam *responsorium* vel *psalmus responsorius*, quia chorus respondebat.

Alleluia Romae prius dicebatur solo die Paschatis, postea toto paschali tempore; in liturgia gallicana canebatur post evangelium, durante processione oblatorum.

Tractus seu *psalmus tractus* pariter canebatur a diacono in ambone. « Son nom de *tractus*, ait Duchesne, *Origines du culte chrétien, chap. IV, § 3*, ne peut dériver que de son caractère mélodique; le trait est, en effet, d'une musique moins éclatante et plus traînante que le graduel ».

Deinde legitur *Sequentia* in nonnullis Missis.

898. Sequitur *evangelii* lectio. In *Tuden., 7 Sept. 1816* (n. 4526), ad dubium: « 25° An manus sinistra poni debeat super Missale ad evangelium, cum dextera fit signum crucis super ipsum »; S. R. C. reposuit: « Ad 25um: Affirmative ». Evangelii lectionem sive cum cantu sive sine cantu omnes audiunt stantes juxta antiquissimum Ecclesiae ritum; cujus rationes tradit Catalanus, *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XXX*. Locum quo diaconus in Missa solemni evangelium canere debet, indicat *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. VIII, XLIV, XLV*, permittens antiquam servari disciplinam, nempe ut evangelium in ambone seu pulpito, si in ecclesia est, legatur. Hic ambo seu pulpitum pro evangelii lectione eo in quo legebatur epistola, paulo altius et ornatius erat, ad quod plerumque duo graduum ordines erigebantur, unus per quem ascendebat diaconus, alter vero per quem descendebat.

Perlectum evangelium presbyter celebrans sive in Missa lecta sive in Missa cantata deosculatur; quod si assistat

Romanus Pontifex, Cardinalis, Legatus Romani Pontificis, archiepiscopus, episcopus in proprio territorio, dignior tantum, loco presbyteri celebrantis, librum evangeliorum deosculatur, et si plures assistunt aequales, nemo, juxta dispositionem Rubricae Missalis, *Ritus servandus, etc., VI, 2*; et *Caeremonialis episcoporum, lib. I, cap. XXX*, § *III sequ.* Vicario apostolico non deberi osculum libri evangeliorum, nisi fuerit episcopus, declaravit S. C. EE. et RR. in *Lancianen., 8 Maii 1615*. Antiquitus subdiaconus librum evangeliorum osculandum praebebat omnibus de clero et populo. Hodie (1), praeter enumeratos antistites, permittitur principibus saecularibus *sacro oleo inunctis* deosculari librum evangeliorum distinctum ab illo quo utitur celebrans; sed de facto liber evangeliorum deosculandus porrigitur regibus et reginis non habentibus superiorem, etsi unctionem ex sacro oleo non receperint. Aliis omnibus id prohibetur etiam in Missis privatis in oratorio privato celebratis, ut S. R. C. non semel declaravit apud Merati ad Gavantum, *p. II, tit. VI, n. 9*; vide, e. g., *Pennen., 9 Febr. 1692* (n. 3265); *Licien., 17 Maii 1692* (n. 3276), etc. Etiam in casu quo episcopus Missam coram Cardinali celebrat, episcopus librum evangeliorum quo utitur, deosculatur, et Cardinali alius deosculandus perhibetur, ut *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XXIX*, § *XI*, expresse cavet.

Receptum fuit ut perlectum evangelium populo explicaretur. Haec disciplina brevi in desuetudinem abiit in liturgia romana; nam ex una parte presbyteri Romae non praedicabant, et ex altera duorum tantum Pontificum, nempe S. Leonis M. et S. Gregorii M., homilias post evangelium in Missa pronuntiatas habemus. Diutius in liturgia gallicana haec disciplina servata fuit, demandato praedicandi munere non solum episcopis sed etiam presbyteris; imo in Oriente plures presbyteri qui vellent, verba ad populum habebant et ultimo loco episcopus. Hodie cele-

(1) Ex litteris Honorii III relatis a Rainaldo ad an. 1221, *n. 28*, citatis a Merati ad Gavantum, *p. II, tit. IV, n. 9*; et a De Albertis, *De sacris utensilibus, cap. VII, n. 79.*

brans potest post evangelium sermonem ad populum habere, sed non tenetur; ipse parochus qui ex praecepto Conc. Trid., *sess. V, cap. II, de ref.*, diebus saltem dominicis et festis solemnibus ad populum concionem habere debet, expedit quidem ut eam habeat intra Missarum solemnia, sed rigorose loquendo ad id non adstringitur (*n. 851*). « Sermo vero, ait *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XXII*, § *II*, regulariter intra Missam debet esse de evangelio currenti ». Celebrans, concionem faciens, remanet in cornu evangelii et tantum ad populum vertitur, sed potest etiam deponere casulam et manipulum, e sanctuario egredi et in ambone praedicare, ut Merati, *l. c.*, cum aliis docet.

899. Tandem, si juxta Rubricas recitandum est, dicitur symbolum Constantinopolitanum, quod est ipsum Apostolorum symbolum, auctum definitionibus conciliorum Nicaeni et Constantinopolitani. In Romana Ecclesia usus symbolum in Missa recitandi ignotus erat saec. IX; in nonnullis Ecclesiis liturgiae gallicanae jam antea receptus fuerat; Occidentalis autem Ecclesia ab Orientali hunc usum mutuata est (1). In *Sancti Marci, 7 Sept. 1851, ad 16um* (n. 3315), S. R. C. declaravit in Missa cum cantu celebrata symbolum integre canendum esse, etiamsi pulsetur organum et cantui intermisceatur. Vide etiam aliam *Sancti Marci, 22 Mart. 1862, ad 7um* (n. 5318). Insuper in *Urgellen., 22 Apr. 1871, ad 5um* (n. 4583), eadem S. C. censuit celebrantem et ministros in Missa solemni debere *Gloria* et *Credo* concomitanter integre recitare. Tandem ad verba: *Et incarnatus est*, omnes stantes genuflectere debent; sedentes debent genuflectere in festo Nativitatis Domini et in festo Annuntiationis B. M. V., sed in aliis diebus satis est ut caput detectum inclinent, uti censuit S. R. C. in *Neapolitana, 15 Febr. 1659, ad 2um* (n. 1966); in *Majoricen., 13 Febr. 1677* (n. 2817); in *Veliternen., 15 Jun. 1895.*

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. VII, n. 7 sequ.*

§ 2. — *Ab offertorio ad communionem inclusive.*

900. Post symboli et homiliae recitationem, juxta antiquam romanam et gallicanam liturgiam, ex ecclesia pellebantur catechumeni et poenitentes, remanentibus in ecclesia ceteris fidelibus (1). Quamvis enim vetustioribus temporibus dimissio catechumenorum et poenitentium fieret post lectionem epistolae, tamen deinceps statutum fuit ut catechumeni ac poenitentes lectioni evangelii et homiliae assisterent : imo in nonnulis ecclesiis liturgiae gallicanae catechumeni videntur dimissi post orationem fidelium, de qua mox. Exinde factum est ut Missa usque ad evangelium et homiliam inclusive diceretur *Missa catechumenorum* aut *Missa poenitentium* ; deinceps *Missa fidelium*, aut *Missa Sacramentorum*. Haec dimissio catechumenorum et poenitentium brevi in desuetudinem abiit, ita ut nulla illius vestigia supersint in libris liturgicis saeculi VIII.

901. Expulsis catechumenis et poenitentibus, celebrans populum rursus salutabat et invitabat ad orandum : *Oremus*, quin subsequentem orationem habeamus. Haec salutatio est initium *Missae fidelium*.

Deinde locum habebat *offertorium*. Scilicet juxta liturgiam gallicanam oblatio panis et vini non fiebat in ipsa Missae caeremonia, sed oblata jam erant super altare quando celebrans ad illud accedebat, licet serius etiam liturgia gallicana, saltem in nonnullis locis, usum oblationis in ipsa Missae caeremonia receperit. In liturgia vero romana oblatio fiebat post invitationem : *Oremus* ; Romanus Pontifex cum episcopis et presbyteris assistentibus colligebat panem ; diaconi cum aliis ministris vinum ; et interim schola cantorum canebat aliquas S. Scripturae partes aliasve preces quae hodie dicuntur *offertorium* in sensu stricto (2). Hic usus aliquid canendi tempore obla-

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. VII, n. 9.* Divisio poenitentium in varias classes Ecclesiae potius Orientalis erat.

(2) Lato sensu *offertorii* nomine veniunt omnia a salutatione: *Dominus vobiscum* ad clausulam secretae orationis, cum sacerdos elata voce dicit : *Per omnia saecula, etc.*

tionis panis et vini introductus est in ecclesia Carthaginensi tempore S. Augustini, et licet maledicus quidam nomine Hilarus illum reprehenderit, tamen S. Augustinus retinendum esse existimavit, ut videre est *lib. II Retractationum, cap. XI* (1).

902. Offertorium in Missa defunctorum, aliquam facessit dogmaticam difficultatem, quia videtur insinuare animas damnatas posse a gehenna liberari aut animas in purgatorio degentes posse ad inferos dejici.

Plures sunt responsiones ; Benedictus XIV, *l. c., cap. IX, n. 6*, sequentem praefert. Ecclesia in hoc offertorio nomine inferni intelligit purgatorium, et ideo fortasse purgatorium appellat infernum, quia, juxta multorum doctrinam, idem utrobique ignis est. Igitur orat Ecclesia ut defunctorum animae liberentur *de poenis inferni, de profundo lacu, de ore leonis*, idest e purgatorio ; *ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, nempe ne in tenebricoso illo carcere, tot cruciatibus afflictae, diutius detineantur.

Si historiam consulamus, hoc offertorium ab initio alium obviumque habebat sensum. Nam « ad ipsum egressum animae, ait Cavalieri, *tom. III, cap. III, decret. 1, n. 1*, aut dum erat in agone, sacrificium offerebant majores nostri ; et de Missa qua animam ad tremendum Dei tribunal comitabantur, apud nos adhuc reliquum est offertorium, et est quod dicitur in defunctorum Missis, in quo adhuc apparent vestigia circumstantiae temporis in quo dicebatur. Agebant illud quavis diei hora, licet non jejuni ».

Quoniam vero hodie Missa celebratur non pro moribundis sed pro mortuis, offertorii verba intelligi possunt sensu de quo Benedictus XIV aliique.

903. Ritus et caeremonias ab offertorio ad praefationem nos melius intelligimus si ad antiquam romanam liturgiam attendamus.

Duchesne, *l. c.*, 7°, haec habet : « L'offrande terminée, l'archidiacre choisit parmi les pains offerts ceux qui doivent servir à la communion et les range sur l'autel. Il y place

(1) Duchesne, *op. cit., chap. VI, 6°*.

aussi le vase (*scyphus*) contenant le vin pour la communion des fidèles, les deux pains offerts par le Pape lui-même, enfin le calice qui servira, comme ces deux pains, à la communion tant du Pontife que du haut clergé. Il a soin de verser dans ce calice, avec le vin offert par le Pape, un peu de celui qu'offrent les prêtres et les diacres et de celui qui est contenu dans le *scyphus* et qui représente l'offrande des fidèles ; enfin il y ajoute une petite quantité d'eau. Aucune prière n'accompagne ces dispositions. Le Pape n'intervient pas. Il est en ce moment à son siège au fond de l'abside. Les prières actuelles de l'offertoire ne sont pas marquées dans les anciens livres. Elles sont tout à fait analogues, pour le sens, à celles que font les prêtres grecs et que faisaient sans doute les prêtres gallicans avant le commencement de la messe à la table de prothèse ».

Hinc est orationes in offertorio diversas fuisse apud diversas Ecclesias, quia cum diu Romana Ecclesia illis usa non fuerit, unaquaequae Ecclesia sibi peculiares instituit, ut videre est apud Card. Bona, *Rer. lit.*, *lib. II*, *cap. IX*.

904. Nonnullos ex his ritibus et caeremoniis declarant sequentes S. R. C. responsiones.

In *Tuden.*, *7 Sept. 1816* (n. 4526), propositis dubiis : « 28° An sacerdos debeat extergere purificatorio guttas vini adhaerentes lateribus interioribus cuppae calicis quae aliquando resiliunt dum praeparatur ipsemet calix ; 29° An purificatorium poni debeat super pedem calicis dum praeparatur vel potius super patenam ; ...38° Utrum fieri debeat capitis inclinatio in fine psalmi *Lavabo* qui dicitur in Missa, idemque fieri in officio divino, sicut praescribitur in principio Missae »; S. R. C. reposuit : « Ad 28um : Praxim extergendi calicem purificatorio magis congruere et summopere laudabilem esse. Ad 29um : Relinqui posse sacerdotis arbitrio. Ad 38um : Congruere, ut fert praxis universalis, praesertim Urbis ». Pariter purificatorio abstergantur guttae aquae vel vini quae in calicis pedem forte ceciderunt.

Ad quaestionem : « 4° An cruces quae fiunt super oblata a sacerdote, debeant fieri manu transversa, an vero manu

recta in transversa parte crucis »; S. R. C. in *Dalmat.*, *4 Aug. 1663* (n. 2241), censuit : « Ad 4um : Manu recta ». Quod confirmavit in *Albinganen.*, *24 Jun. 1683* (n. 3025), ubi ad dubium : « 6° Utrum celebrans alios vel rem aliquam, e. g., oblata benedicens, debeat manum semper extensam tenere aut manum inflectere. Rubrica enim de ritu celebrandi Missam, *cap. III*, *n. 5*, unicum tantum modum benedicendi praescribit » ; reposuit : « Ad 6um : In benedictionibus congruentiorem, juxta Rubricas et ritum, videri modum benedicendi manu recta et digitis simul unitis et extensis ».

In oblatione panis : *Suscipe, Sancta Trinitas*, celebrans ait : *Offero*, dum in oblatione calicis ait : *Offerimus*, quia in Missa solemni hanc precem recitat una simul cum diacono, ut advertit Card. Bona, *l. c.*, *n. 5*. Verba autem *Hanc immaculatam hostiam, calicem salutaris*, etc., dicuntur de pane et vino non consecrato per relationem ad terminum substantiae panis et vini mox subrogandum. S. R. C. in *Ratisbonen.*, *25 Maii 1877*, *ad 3um* (n. 5694), declaravit, contra nonnullos rubricistas recentiores, in oratione : *Suscipe, Santa Trinitas*, legendum esse : *in honorem Beatae Mariae Semper Virginis*, etc., et non : *in honore*. Demum animadvertimus Graecos ordinare panem et vinum non in longum coram se, sed in transversum ; qui mox etiam apud Latinos diu observatus fuit.

905. Hic autem non possumus non recolere id quod *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I*, *cap. VI*, § *III* ; et rursus *cap. IX*, § *IV* ; ac *lib. II*, *cap. VIII*, § *LXI*, praescribit. Nempe sacrista, in presbyterio praesens, debet unam ex duabus hostiis diacono exhibitis manducare, altera pro sacrificio inserviente, et similiter de vino et aqua praegustare. Hic ritus in media aetate invectus fuit et a Missa papali acceptus, ad vitandum veneni periculum, quod in caput sacristae qui omnia parare debet, hoc pacto redundaret. Non servatur nisi in Missa pontificali episcopi, cum Rubricae Missalis, *Ritus servandus, etc.*, *VIII*, *9*, de hoc ritu sileant omnino. Vide Catalanum in locis citatis *Caeremonialis episcoporum*, et Mabillonium, *tom. II Musaei Italici*, in ommen tario praevio ad Ordinem Romanum.

906. Si Missa solemniter celebratur, incensantur, conformiter antiquae liturgiae (1), oblata, altare, celebrans ministri aliique Missae assistentes ; sicuti ante *introitum* incensatum est altare et celebrans tantum. Rubricae Missalis, *Ritus servandus, etc., IV, 4 sequ.* ; *VIII, 10°* ; *et Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. XXIII.* accurate describunt omnia in his incensationibus servanda ; et *Caeremoniale, l. c.,* indicat quoque personas quae incensandae sunt, quonam ordine et a quibusnam personis. S. R. C. non semel institit pro observantia tum Rubricarum Missalis tum dispositionum *Caeremonialis episcoporum.* Hic tantum liceat animadvertere in benedictione thuris pro incensatione post offertorium benedicentem dicere : *Per intercessionem beati Michaelis*, etc. ; ubi *Gabriel* potius legendum foret et errore librariorum *Michaelis* nomen irrepsisse videtur (2). Nihilominus hanc mutationem admittere recusavit S. R. C. in *Urbis et Orbis, 25 Sept. 1706, ad 22um* (n. 3754).

In Missa autem cum cantu celebrata, sed sine ministris, incensationes omnes omittendae sunt, ut tradit S. R. C. in *De Zacathecas, 1874, ad 1um* (n. 5581) ; et solum ex gratia in *Ord. Min. Capuccinorum, 17 Dec. 1888, ad 3um*, eas permittit in Missis aliqua majori solemnitate celebrari solitis.

907. In antiqua romana liturgia cum archidiaconus omnia paravisset, Romanus Pontifex, lotis prius manibus, accedebat ad altare ; invitabat omnes ad orandum : *Orate fratres*, etc. ; et submissa voce, recitabat unam *orationem super oblata* quae proinde dicebatur *secreta* (cui serius aliae, sicuti ab initio Missae (*n. 893*) additae fuerunt) et orationem terminabat per verba : *Per omnia saecula*, etc., quae alta voce aut etiam cum cantu recitabat quaeque erant simul finis secretae et initium orationis eucharisticae seu consecratoriae. Haec omnia adhuc servantur : orationem eucharisticam seu consecratoriam Graeci *anaphoram* appellant. Anaphora ritus romani constat duabus partibus. Prima, quae recitatur alta voce aut etiam cum cantu,

(1) Vide *Ephemerides liturgicae*, an. 1895, *pag. 666 sequ.*

(2) Merati ad Gavantum, *p. II, tit. VIII, n. 53* ; Catalanus, *Caeremoniale episcoporum, l. c.*, § X.

dicitur *praefatio*, vel etiam in antiquis liturgiis *inlatio* aut *contestatio*, quia ex fidelium verbis celebrans infert dignum et justum esse Deo gratias agere. Altera quae recitatur submissa voce, appellatur *canon*, veluti regula fixa offerendi sacrificium, vel etiam in vetustis liturgiis *oratio*, *actio*, *prex canonica*, etc. Anaphora ritus romani est antiquissima et Duchesne, *Origines du culte chrétien*, *cap. VI*, *7°*, probat ejusdem vestigia reperiri in documentis saeculi IV.

908. Praefationis initium in antiqua liturgia romana idem erat ac in nostro romano ritu, in gallicana erat diversum ; sed in utraque praefatio terminabatur per hymnum *Sanctus*, et praefationis verba non videntur fuisse ita determinata ut celebrans non potuisset aliquid addere. Hodie in ritu romano sunt undecim praefationes ; insuper in nonnullis dioecesibus quae romanam liturgiam sequuntur, sunt praefationes particulares a S. R. C. probatae (1). In dominicis quadragesimalibus et paschalibus dicenda est praefatio de tempore quadragesimali vel paschali ; infra octavam, de octava, ita ut praefatio propria de octava praeferenda sit praefationi propriae de tempore. Haec pluries declaravit S. R. C., e. g., in *Ord. Min.*, *18 Dec. 1779*, *ad 19um* (n. 4935) ; in *Einsidlen.*, *23 Julii 1736*, *ad 31um* (n. 4044) ; in *Veronen.*, *17 Sept. 1853*, *ad 5um* (n. 5196). Salutans autem populum per verba : *Dominus vobiscum*, celebrans se ad populum non vertit, fortasse quia in nonnullis saltem ecclesiis ante praefationem sanctuarium claudebatur et circum altare velum appendebatur.

909. Canon Missae incipit ab illis verbis : *Te igitur*, usque ad orationem dominicalem exclusive, quam ad Missae canonem non pertinere verius est. De Missae canone vide *n. 55* doctrinam Conc. Trid., *sess. XXII*, *cap. IV*, quam deinde reassumit et definit sub *can. VI* : « Si quis dixerit canonem Missae errores continere ideoque abrogandum esse, A. S. ».

(1) In can. *Invenimus*, *Dist. 1*, *De consecr.*, in Decreto, recensentur novem tantum praefationes praeter communem : quibus deinde addita fuit praefatio B. M. V. Graeci unam tantum habent praefationem.

910. Post hymnum *Sanctus*, juxta antiquam liturgiam romanam, legebantur dyptica Sanctorum ac vivorum. Dyptica erant asseres divisi in duas vel tres partes ita sibi juncti ut complicari possent. In primo erant nomina Sanctorum, prae primis B. M. V., Apostolorum, et quorumdam Martyrum, Confessorum, Virginum, praesertim localium; in altero nomina fidelium qui vivebant et in dignitate erant constituti vel de Ecclesia optime meriti, prae primis Romani Pontificis, Patriarchae, Episcopi localis, aliorum de clero primorum, et postea Regis, aliorum laicorum in Ecclesiam bene affectorum et omnis fidelium coetus; in tertio nomina defunctorum qui in communione fidelium mortui erant. Igitur in Missis privatis sacerdos, in solemnibus diaconus vel subdiaconus post hymnum *Sanctus* juxta liturgiam romanam legebat dyptica Sanctorum et fidelium vivorum, tacitis fortasse pluribus nominibus ne diu sacram caeremoniam protrahi oporteret; dyptica autem fidelium defunctorum legebantur post consecrationem. In liturgia gallicana et orientali dyptica recitabantur ante praefationem. Actualis ritus romanus refert antiquam liturgiam romanam et orationes canonis: *Te igitur, Memento, Communicantes, Hanc igitur, Quam oblationem* referuntur ad recitationem dypticorum Sanctorum et fidelium vivorum (1).

911. Commemoratio Romani Pontificis in prima canonis parte: *Te igitur*, facienda est in universa Ecclesia tum Occidentali tum Orientali, juxta veterem receptum morem, uti fuse exponit Benedictus XIV in const. *Ex quo primum tempore, 1 Mart. 1756, § 9 sequ.*, nisi Sedes Apostolica fuerit vacans. Ipsemet autem Romanus Pontifex loco verborum: *Una cum famulo tuo Papa nostro N.*, dicit: *Una cum me indigno famulo tuo quem gregi tuo praeesse voluisti*, uti docent Rubricae Missalis, *Ritus servandus, etc., VIII, 2.* Insuper in ritu Orientali (exceptis Italo-Graecis) presbyter commemorationem facit episcopi dioecesis in qua Missa celebratur; episcopus archiepiscopi; archiepiscopus patriarchae. E contrario, in ecclesia Occidentali (cujus disciplinam

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XIII, n. 26*; Duchesne, *Origines, etc., cap. VI, 1°.*

hac in re sequuntur Italo-Graeci), episcopi quidem dioecesis in qua Missa celebratur, commemoratio fieri debet ab omnibus, etiam abbatibus et praelatis regularibus exemptis, uti Rubricae, *l. c.*, praecipiunt, et censuit S. R. C. in *Galliarum, 8 Apr. 1690* (n. 3208), etsi episcopus nondum consecrationem episcopalem obtinuerit, dummodo possessionem dioecesis vel per se vel per suum procuratorem ceperit, uti reposuit S. R. C. in *Hispalen., 19 Jan. 1713* (n. 4135), et in *Congr. Oratorii, 4 Julii 1879, ad 2um* (n. 5789). Ipse autem episcopus loco verborum: *Et antistite nostro N.*, dicit: *Et me indigno servo tuo*, prout Rubricae, *l. c.*, expresse tradunt. Et quoniam episcopus Urbis Romae est Romanus Pontifex, hinc omnes sacerdotes Romae celebrantes illa verba: *Et antistite nostro N.*, praetermittunt; sicuti sacerdotes celebrantes in dioecesi vacante. Quod si episcopus extra suam dioecesim celebret, S. R. C. in *Lincien., 3 Junii 1892, ad 20um*, reposuit debere commemorationem facere non episcopi dioecesani, sed suipsius; quam proinde episcopus nec Romae omittet. Episcopi titulares tantum nullo hac in re privilegio gaudent. Sed aliorum omnium commemoratio fieri non debet; non archiepiscopi aut patriarchae nisi in propria dioecesi, ut patet; non episcopi a quo celebrans ordinatus est aut pendet; non superioris regularis; non abbatis *Nullius*, uti expresse etiam radit Benedictus XIV, *l. c.*, § *19, 20*; non administratoris apostolici, licet charactere episcopali insigniti, prout censuit S. R. C. in *Sarsinaten., 22 Aug. 1722, ad 5um* (n. 3952), et in *Pekinen., 9 Maii 1857, ad 4um* (n. 5239); non vicarii apostolici, ut pluries tradidit S. C. de Prop. Fide in Collectanea, *n. 120, 126, 127*, quae tamen *n. 123, 131*, tolerat usum a longo tempore bona fide introductum vicarium apostolicum in canone nominandi; tandem non coadjutoris cum futura successione, uti S. R. C. reposuit in *Pisana, 11 Martii 1882* (n. 5833).

912. In uno tantum casu sacri canones prohibent in Missae canone nominare episcopum (aut archiepiscopum vel patriarcham pro Orientali Ecclesia), nempe si episcopus est publicus haereticus, aut schismaticus, aut excommunicatus,

prouti Benedictus XIV, *l. c.*, § *24*, fuse declarat. Solum dubitari potest utrum post extravagantem *Ad evitanda* Martini V haec prohibitio intelligi debeat de solis excommunicatis vitandis, an etiam de toleratis. Putamus sub prohibitione et toleratos comprehendi, dummodo excommunicatio publice constet; secus enim ii ex cit. extravaganti aliquod non leve commodum obtinuissent, quod Martinus V expresse cavet. Haec autem immerito extendi ad solam secretamque Missae applicationem aut ad commemorationem in *Memento* vide *n. 483 sequ.*

913. In Ecclesia latina non licet mentionem facere principis civilis, nisi in his regionibus in quibus hujusmodi consuetudo jamdudum recepta est, aut pro quibus Apostolicae Sedis concessio id permisit, uti docet Benedictus XIV, *l. c.*, § *26*; qua concessione gaudet, inter alios in Europa, e. g., Imperator Austriacus. Hinc S. R. C. die *18 Nov. 1852*, reposuit vicario Apostolico Tunkini Orientalis in canone solum Papam nominandum esse, in reliquis idest in officio, in precibus ad laudes et vesperas, permitti posse ut nominetur rex paganus illius regionis (1). Sed apud Orientales nationes communis dici potest haec disciplina memoriam faciendi Regis in sacra liturgia, uti videre licet in liturgiis Armenorum, Coptorum, Aethiopum, atque Syrorum. Hunc morem Sedes Apostolica non reprobavit, etsi rex in regione paganus sit; de qua re vide Benedictum XIV, *l. c.*, § *27-28*. In *Lincien.*, *3 Junii 1892*, ad dubium: « 1° An sacerdotes exteri (v. g., Galli, Hispani, etc.) in itinere, celebrantes in ecclesiis intra ditionem austriacam, debeant in canone addere verba: *Et imperatore nostro N.* »; S. R. C. reposuit: « Ad 1um: Posse, sed non teneri ».

914. Ad orationem *Communicantes* sacerdos, pronuntians nomen alicujus Sancti cujus factum est officium vel saltem commemoratio, debet facere inclinationem capitis, uti reposuit S. R. C. in *Tuden.*, *7 Sept. 1816*, *ad. 34* (n. 4526); non autem si Missa est *de requie*, ut eadem S. C. censuit in *Panormitana*, *12 Apr. 1823*, *ad 13um*

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 811.*

(n. 4594), cum missa defunctorum nil habeat commune cum officio diei. Nonnullae autem festivitates propriam habent orationem *Communicantes* aut etiam orationem *Hanc igitur* per totam octavam. Jamvero si infra octavam dicitur Missa votiva habens propriam praefationem, praefatio dicenda erit de Missa votiva, sed oratio *Communicantes* et *Hanc igitur* de octava, uti reposuit S. R. C. in *Granaten.*, *16 Junii 1663*, *ad 8um* (n. 2223). Pariter si infra octavam Ascensionis celebratur festum SS. Apostolorum Philippi et Jacobi, praefatio erit de Apostolis, oratio *Communicantes* de octava, uti eadem S. C. censuit in *Urbis*, *7 Aug. 1627*, *ad 2um* (n. 707). Tandem posito dubio : « 5° An manus sacerdotis ad *Hanc igitur oblationem* debeant ita extendi ut palmae sint apertae, pollice dextero super sinistrum in modum crucis supra manus, an vero infra manus »; S. R. C. in *Dalmat.*, *4 Aug. 1663* (n. 2241), reposuit : « Ad 5um : Supra manus ».

915. Sequitur recitatio institutionis Eucharistiae : *Qui pridie*, cum verbis consecratoriis, de quibus in *cap. praec.* egimus. In Ecclesia Graeca species consecratae elevantur non statim post consecrationem, sed paulo ante communionem, ex vetustissimo more, quem Armeni et Abyssini sequuntur. Nec in antiquis libris liturgicis Ecclesiae Latinae ullum est vestigium elevationis hostiae et calicis in hoc Missae loco ; in Ordine Romano ea solum elevatio commemoratur quae fit ante orationem dominicalem, ibi : « Cum dixerit (celebrans) : *Per quem haec omnia, Domine*, erigit se archidiaconus solus, et cum dixerit : *Per ipsum et cum ipso*, levat cum offertorio calicem per ansas et tenet exaltatum illum juxta Pontificem ». Nec liquet quaenam in Ecclesia Latina fuerit origo elevationis statim post consecrationem, ut notat Card. Bona, *Rer. lit.*, *lib. II*, *cap. XIII*, *n. 2* ; fortasse hic mos introductus fuit occasione haeresis Berengarii. Elevatur autem hostia consecrata et vinum consecratum, ut fideles Christum D. sub speciebus sacramentalibus adorent. Mabillonius, in *Comm. ord. Rom. VII*, probat fuisse liturgiae romanae disciplinam ut toto canonis tempore presbyteri, diaconi, subdiaconi, qui Missae summi Ponti-

ficis ministrabant, et presbyteri qui erant in sanctuario, manerent inclinati, et diaconi ad ea verba : *Nobis quoque*, surgerent. Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XVI, n. 31*, haec habet: « In quibusdam Galliae ecclesiis cum elevatur hostia, populus canit : *O salutaris hostia*, quem morem induci postulavit ab ejus regni episcopis Ludovicus XII ad Dei opem implorandam in bellis quibus princeps ille premebatur ».

916. Post orationes *Unde*, *Supra*, *Supplices*, commemoratio pro defunctis exhibet dyptica fidelium defunctorum antiquae liturgiae romanae, quae cum aliis dypticis, de quibus supra, conjunguntur per particulam *etiam*. Mortuorum nomina antiquitus alta voce recitabantur. In nonnullis antiquis exemplaribus canonis deest *memento* defunctorum, e.g., in canone sacramentarii Gelasiani. « Cela vient, je crois, ait Duchesne, *l. c.*, de ce que cette formule servait de cadre aux diptyques des morts, que l'on récitait sur un texte spécial, un rouleau, un tableau ou autre chose de ce genre ». Etiam sequens oratio *Nobis quoque*, quae est continuatio praecedentis, ad dyptica Sanctorum pertinere dicenda est.

917. Verba *Per quem haec omnia* non referuntur neque ad praecedentia neque ad species consecratas. Ut intelligantur, recolendum est sacerdotem olim ad altare novos fructus, legumina, mel, carnes, oleum benedicere consuevisse ; ad hos novos fructus benedictos illa verba praecise pertinent (1). Hic mos sacerdoti in hac Missae parte exhibendi varias res benedicendas, adhuc in nonnullis Ecclesiis servatur.

918. *Per omnia saecula saeculorum* ante orationem dominicalem est conclusio canonis. Oratio dominicalis in oblatione sacrificii eucharistici recitatur ex Apostolorum instituto ; imo jam diximus S. Gregorium M. putavisse Apostolos hac una oratione oblationis hostiam consecrasse (*n. 841*). Ante S. Gregorium M. oratio dominicalis dicebatur post fractionem panis in liturgia tum romana tum

(1) Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XVIII, n. 10* ; Card. Bona, *lib. II, cap. XIV, n. 5.*

gallicana. Hic S. Doctor pro romana liturgia ipsam recitari jussit statim post canonem ; qui pariter testatur orationem dominicalem apud Graecos non a solo sacerdote, sed ab omnibus fidelibus recitari. Orationem dominicalem praecedit brevis praefatio, et sequitur brevis explicatio (*Libera*) verborum : *Sed libera nos a malo*. S. R. C. in *Panormit.*, *13 Mart. 1627*, *ad 4*^{um} (n. 677), declaravit signum crucis cum patena faciendum a sacerdote a fronte ad pectus, dum dicit *Libera*, debere esse integrum signum crucis ; et in *Albinganen.*, *24 Julii 1883*, *ad 5*^{um} (n. 3025), patenam in extremitate seu ora ipsius congruentius osculandam.

919. Sequitur caeremonia fractionis hostiae et commixtionis. Ritum antiquae liturgiae romanae quem in multis refert nostrum Missale, ita describit Duchesne, *l. c.* : « La cérémonie qui suit est fort compliquée en apparence. Elle commence par le baiser de paix qui se place aussitôt après le salut *Pax Domini sit semper vobiscum*. Le Pape met dans le calice le fragment de pain consacré qui lui a été apporté au commencement de la Messe ; puis il rompt une de ses deux *oblatae* et en laisse la moitié sur l'autel. Ce n'est pas encore la fraction du pain proprement dite... L'autre moitié de la première *oblata* et la seconde tout entière sont placées sur la *patena* et portées devant le Pape qui après le *Pax vobis* est retourné à son siège. Quant aux autres pains consacrés, l'archidiacre les fait porter devant les évêques et les prêtres dans des sacs de lin que les acolytes tiennent suspendus au cou. Alors a lieu la fraction du pain opérée par le *presbyterium* tout entier ; le Pape y prend part aussi, mais par l'intermédiaire de ses diacres : ce sont eux qui rompent l'*oblata* et la demi *oblata* déposée sur la *patena*. Depuis le Pape Sergius (687-701) cette cérémonie s'accomplit au chant de l'*Agnus Dei*. Il est probable qu'avant S. Grégoire le *Pater* était récité à ce moment, après la fraction. La fraction terminée, les diacres présentent la *patena* au Pape ; il y prend un fragment, en détache une parcelle et consomme le reste. Puis il met la parcelle détachée dans le calice que l'archidiacre a apporté de l'autel et qu'il tient auprès de lui. C'est le rite de la commix-

tion. Le Pape boit ensuite au calice présenté et soutenu par l'archidiacre ». Ceterum ritus commixtionis ab episcopis et presbyteris repetebatur in omnibus calicibus e quibus fideles communionem sub specie vini sumebant. In liturgia gallicana hostia in plures partes dividebatur ritibus et caeremoniis valde complexis. Ritus commixtionis praecedebat communionem sicuti in actuali liturgia latina, imo post ritum commixtionis populus benedicebatur, et tandem celebrans communionem sumebat. Demum in Ecclesia Graeca panis dividitur in quatuor partes ; quarum una reservatur sacerdoti, alia dispertitur populo, alia reservatur infirmis, alia tandem in calicem immittitur et cum Christi sanguine commiscetur. Proposito dubio : « 6° An pars inferior hostiae praecidi debeat, an vero superior, quando dicitur : *Pax Domini sit semper vobiscum* » ; S. R. C. in *Dalmatar.*, *4 Aug. 1663* (n. 2241), reposuit : « Ad 6um : Inferior praecidi debet. »

920. Quod attinet ad osculum pacis, omnes liturgiae tum Orientales tum Occidentales illud habent in Missa solemni, licet non eodem Missae momento ; de qua re vide Card. Bona, *Rerum Liturg.*, *lib. II, cap. XVI, n. 6*. Missae defunctorum olim osculo carebant, quia privatae et sine communione fidelium erant ; qui ritus permansit etiam in Missis defunctorum solemnibus. Et quidem antiquitus subdiaconus osculum pacis dabat etiam laicis Missae assistentibus et communicantibus, scilicet primo viro primaeque foeminae, ac deinceps viri viros ac foeminae foeminas osculabantur ; idque adhuc Innocentii III temporibus servabatur, ut colligitur ex ejus opere *De myst. Missae*, *lib. IV, cap. V*. Veteri autem simplicitate in malitiam degenerante, suppressum est osculum foeminis ; insuper mos introductus est, loco osculi per amplexum, porrigendi instrumentum pacis (*n. 764*) deosculandum. Igitur hodie in Missa lecta quae coram episcopo celebratur, pax episcopo dari solet per instrumentum, ut notat *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I, cap. XXIV, § ult.* et in *cap. XXX* ; in Missa autem solemni clericis datur osculum pacis per amplexum ; item regi, pro-regi, gubernatori provinciae aut

magistratui, modo sit ex majoribus et perpetuis (1); aliis laicis nobilioribus, ut magistratibus et baronibus, datur pax per instrumentum, ut edicit etiam *Caeremoniale episcoporum*, *cap. XXIV*, § *VI*; tandem foeminis omnibus nullimode pax defertur, ut declaravit S. R. C. in *Lucerina*, *11 Junii 1617* (n. 543) (2), sicuti et reliquis viris laicis. Quoad personas quae pacem deferunt, aut recipiunt, ordinem et modum distribuendae pacis, serventur dispositiones *Caeremonialis episcoporum*, et Rubricarum Missalis, *Ritus servandus, etc., X, n. 8 sequ.*, nec non laudabiles locorum consuetudines, uti ipsum *Caeremoniale*, *cap. XXIV*, in fine, monet; sed usum quo osculum pacis in quibusdam Missis solemnibus praetermittebatur, non probavit S. R. C. in *Strigonien.*, *30 Aug. 1892*, *ad 5um*; et in *Calaguritana*, *5 Jun. 1614* (n. 495), et in *Barchinonen.*, *21 Aug. 1872*, *ad 3um et 4um* (n. 5502), reprobavit usum quo dominus loci et praepositi Fabricae ecclesiae thurificabantur et pacem recipiebant a presbytero vel a diacono, jubens thurificari a thuriferario unico ductu, et pacem recipere ab aliquo ministro superpelliceo induto.

921. Post communionem celebrantis locum habet fidelium communio; de qua nos loquemur in *cap. ult.* Hic solum animadvertimus minime prohiberi brevem exhortationem ad fideles communicaturos de altari habere antequam eisdem sancta communio distribuatur; quae exhortatio italice appellatur *fervorino*. Hinc in *Ord. Min. S. Franc. de Obs.*, *16 Apr. 1853* (n. 5183), ad dubium: « 2° Possuntne in Missa post sumptionem haberi breves sermones dum vel ad sacram synaxim prima vice adolescentes ad-

(1) Merati, ad Gavantum, *p. II, tit. X, n. 45*; Catalanus, *Caeremoniale episcoporum, cap. XXIV, § VI, n. 5.*

(2) Citari solet decretum S. R. C. in *Cenomanen.*, *10 Jan. 1852*, ubi ad dubia: « An in Missa pro sponso et sponsa celebrata dari possit pax sponso et sponsae cum patena; 2° An vero hoc in casu et in aliis similibus utendum sit instrumento pacis »; S. C. respondisset: « Pacem, dummodo adsit consuetudo, in casu dandam esse semper cum instrumento, numquam vero cum patena ». At in collectione Gardelliniana habetur quidem sub n. 5165 causa *Cenomanensis*, sed relata dubia ac responsio desunt.

mittuntur, vel alia quacumque ex causa ; qui quidem sermones *fervorini* nuncupantur » ; S. R. C. reposuit : « Ad 24um : Affirmative ». Vide etiam *Taurinen.*, *23 Maii 1881* (n. 5824). In *Molinen.*, *12 Sept. 1857*, *ad 10um* (n. 5251), reposuit sacerdotem posse hunc sermonem habere de altari et de consensu Ordinarii ; sed videtur consensus praesumptus sufficere, praesertim cum in cit. *Taurinen.* de hoc Ordinarii consensu sermo non sit.

922. In purificatione calicis vinum esse adhibendum expresse praescribit Innocentius III in *cap. 5*, *De celebratione Missarum* ; sed communiter doctores tradunt id veniale non excedere, et nonnulli etiam a veniali excusant, si sacerdos est aliquantisper abstemius. In ablutione autem digitorum plures censent nullum esse peccatum sola aqua uti ; alii putant esse veniale, a quo excusat quaelibet rationabilis causa, e. g., si sacerdos est aliquantisper abstemius, aut vinum est rubeum quo purificatoria evaderent indecenter maculata. Exemplum indulti apostolici ut in purificatione calicis et in ablutione digitorum sola aqua adhibeatur, habes in *Romana*, *15 Jan. 1847* (n. 5061), et in *Calaguritana*, *7 Maii 1847* (n. 5092), etc. In *Tornacen.*, *22 Julii 1848* (n. 5138), proposito dubio : « An pro abluendis vino et aqua pollicibus et indicibus in secunda purificatione post communionem debeat sacerdos e medio altaris versus cornu epistolae recedere » ; S. R. C. reposuit : « Serventur Rubricae pro diversitate Missae ». Nempe in Missis solemnibus nunquam e medio altaris recedendum ad abluendos digitos ; bene vero in Missis privatis. Demum animadvertimus calicem velari debere totum in parte anteriori, prout ante confessionem, uti censuit S. R. C. in *Urbinaten.*, *12 Jan. 1669* (n. 2464), et in *Pragen.*, *1 Mart. 1698*, *ad 1um* (n. 3459).

923. Varios casus qui in Missae celebratione verificari queunt, vide apud Rubricas Missalis, *De defectibus circa Missam occurrentibus* ; hic sufficiat de uno tantum pauca verba facere. Fieri nempe potest ut sacerdos, peracta purificatione aut forte etiam ablutione, advertat aliqua fragmenta seu parva seu magna vel etiam integram hostiam in

corporali remansisse. Hunc casum fuse expendit Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XVII, n. 2 sequ.* Jamvero si fragmenta remanserint sive magna sive parva, ea sacerdos absumat, licet non sit jejunus. Id aperte praecipiunt Rubricae, *l. c., VII, 2°*, quae subdunt : « Si vero relicta sit hostia integra, eam in tabernaculo cum aliis reponat. Si hoc fieri nequit, sequenti sacerdoti ibi celebraturo in altari super corporali decenter opertam, sumendam una cum altera quam est consecraturus, relinquat, vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena diligenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur vel ab altero sumatur. Quod si non habet quomodo honeste conservetur, potest eam ipse sumere ». Nomine autem hostiae intelliguntur etiam parvae pro communione fidelium. Quid vero si sacerdos id advertat postquam in sacrarium redierit ? Et si quidem sacris vestibus nondum exutus est, ea quae diximus sunt repetenda, quia actio sacrificalis moraliter continuatur, nisi forte studiose aut aliquo impedimento detentus sacerdos diu distulerit sacras vestes deponere. Si vero sacras vestes jam deposuit applicanda sunt etiam fragmentis ea quae Rubricae relatae de hostia integra tradunt.

§ 3. — *A communione usque ad finem.*

924. Juxta antiquam liturgiam romanam antiphona *ad communionem* seu *communio* canebatur dum communio sub utraque specie fidelibus distribuebatur ; et cantus protrahebatur usque ad finem communionis, addito in fine *Gloria Patri*. Finita communione, Pontifex redibat ad altare ; salutato populo, recitabat orationem *post communionem* pro gratiarum actione ; quam sequebatur alia et ultima populi salutatio. Tunc diaconus populum dimittebat : *Ite, Missa est*, populo respondente : *Deo gratias*. Eadem plus minusque servabantur in liturgia gallicana et etiam in euchologiis Graecorum : sed formula dimissionis non est eadem. Aliquando vero populus non dimittebatur, quia expectabat ut horae canonicae recitarentur, vel ut cadaveri

daretur sepultura vel aliae preces pro defuncti requie dicerentur. Hinc inductum est ut in nonnullis Missis loco : *Ite, Missa est*, celebrans diceret : *Benedicamus Domino*, et in Missis defunctorum : *Requiescant in pace*. In quadragesima vero in Missa feriali post orationes quae vocantur *postcommunio*, diaconus in Missa solemni vel sacerdos in Missa lecta, dicebat : *Humiliate capita vestra Deo*, et deinde celebrans orationem *super populum*, uti colligitur ex sacramentario Gelasiano. Haec omnia in hodierno Missali romano servata sunt. Postcommuniones tot dicimus quot collectas aut orationes recitavimus.

925. Omnes ritus ac caeremoniae post populi dimissionem sunt recentioris institutionis. Oratio *Placeat* reperitur in pluribus sacramentariis post saeculum IX scriptis. Si celebrans est simplex presbyter, consuetudo benedicendi populum antiqua non est. Si autem celebrans est episcopus, haec consuetudo est antiquissima ipsique liturgiae romanae innixa. Nam post populi dimissionem Pontifex, *rediens ad sacrarium* benedicebat clericos et laicos hinc inde genuflexos. Antiquitus etiam presbyteri trino signo crucis populo benedicebant : S. Pius V pro Missis privatis et Clemens VIII etiam pro solemnibus praeceperunt unum tantum crucis signum. Sed episcopi antiquum morem servaverunt benedicendi trino crucis signo. In Missa autem defunctorum juxta Rubricas populi benedictio praetermittitur in *moestitiae argumentum*.

926. S. Pius V jussit ut evangelium S. Joannis : *In principio*, vel evangelium proprium dominicae vel feriae legeretur post benedictionem. Nam magna erat fidelium devotio erga evangelium S. Joannis, ita ut in nonnullis ecclesiis legeretur non solum post baptismum parvulorum, post viaticum, post extremam unctionem, sed etiam post Missam, dum in aliis dioecesibus in Missa omittebatur. Ut igitur uniformitas hac in re servaretur, S. Pius V legem, quam diximus, tulit. Meratus, *p. I, pag. 244*, testatur eum qui Missam solemnem in pontificio sacello celebrat, evangelium S. Joannis non recitare ; et Pouget, *tom. II, pag. 890*, ait illud non legi etiam nunc a Carthusianis. Ceterum S. R. C.

in *Strigonien.*, *30 Aug. 1892*, *ad 6*^{um}, declaravit ultimum evangelium eodem modo recitandum esse ac primum, nempe sacerdote oblique stante, seu parum per suam sinistram converso ad populum.

927. Pius IX jusserat, pro statu tantum pontificali, ut in omnibus Missis lectis post ultimum evangelium a sacerdote genibus flexis ante altare alternatim cum fidelibus recitaretur tribus vicibus *Ave Maria* cum antiphona *Salve Regina*. Leo XIII id ad universam extendit Ecclesiam, duas addens orationes. Sacerdos qui plures Missas consecutive celebrat, ut in die Nativitatis vel in Hispania et Lusitania die *2 Novembris*, has preces solum in fine ultimae Missae recitare debet, ut declaravit S. R. C. in *Macaonen.*, *10 Maii 1895*, *ad 7*^{um}. Insuper in *Aretina*, *18 Junii 1885* (n. 5942), ad dubium : « 12° Sacerdos, expleta Missa, debetne se inclinare cruci altaris, antequam descendat ad praescriptas preces recitandas ; hasque recitans, debetne genuflectere in suppedaneo tantum vel in ultimo gradu altaris » ; S. C. reposuit : « Ad 12um : Inclinationem de qua in casu non praescribi neque prohiberi ; et in recitatione genuflectendum pro lubitu sive in suppedaneo sive in infimo gradu altaris ». Ceterum possunt cum permissione Ordinarii et aliae preces recitari, uti censuit S. R. C. in *Mechlinien.*, *31 Aug. 1867*, *ad 8*^{um} (n. 5381) ; imo si preces sunt ex probatis ab Ecclesia, sufficit etiam praesumpta Ordinarii permissio ; sed preces praescriptae ob aliarum additionem non omittantur. Revera cum in quibusdam ecclesiis dioecesis Portus Ludovici usus invaluerit post Missas privatas quae pro animabus in purgatorio detentis in altari privilegiato celebrantur, plures dicere preces indulgentiis ditatas, scilicet *De profundis*, actus fidei, spei, charitatis, *Sacrum Cor Mariae*, *ora pro nobis* et orationem pro defunctis, et quaereret episcopus utrum preces a SSmo D. N. Leone XIII praescriptae in casu praedicto omitti possent ; et quatenus negative, num memoratae preces pro defunctis illis adjici valerent ; S. R. C. in *Portus Ludovici*, *23 Jun. 1893*, rescripsit : « Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam ». Ast post Missam solemnem aut cum cantu celebratam preces recitari

nec debent nec possunt : nec post Missam conventualem etiam lectam uti censuit S. R. C. in *Ord. Min. Capuccinorum, 17 Dec. 1888, ad 7um.*

928. Tandem de gratiarum actione agendum est. Ipsum naturae jus exigit ut pro recepto beneficio gratias agamus ; quanto magis sacerdos gratias Deo debet pro maximo beneficio quod ipsi omnibusque hominibus contulit, pro supremo honore quo ipsum dignatus est et pro amore infinito quem erga ipsum et omnes homines ostendit in Missarum celebratione ! Sacerdos, haec omnia recolens, praeter gratiarum actionem proprie dictam, debet in corde suo excitare actus amoris, fidei, doloris, propositi ; et cum tempus post communionem et eo magis post Missam sit maxime propitium pro obtinendis a Deo gratiis, debet eas expostulare tum sibi tum aliis. Tandem sacerdos debet aliquo tempore in omnibus hisce actibus eliciendis immorari etiam ad bonum exemplum quod fidelibus praebere tenetur ; si enim, exutis vestibus sacerdotalibus, statim abit, negotiis saecularibus vacaturus, fieri non potest ut fideles exinde scandalum non patiantur.

929. Rubricae Missalis in fine habent : *Gratiarum actio post Missam* ; et sub titulo, *Ritus celebrandi Missam*, *XII*, *6°*, vellent ut antiphona *Trium puerorum* cum cantico *Benedicite* a sacerdote recitaretur dum ab altari redit ad sacrarium ; si vero, addunt, sit dimissurus paramenta apud altare ubi celebravit, finito evangelio praedicto, ibidem illis se exuit et dicit antiphonam *Trium puerorum* cum cantico et aliis orationibus, ut suo loco ponuntur. Quamquam vero Rubricae non dicant hanc gratiarum actionem faciendam *pro opportunitate sacerdotis*, sicuti de praeparatione *Ne reminiscaris* cum psalmis et orationibus (*n. 452*), tamen communis sententia est omni peccato vacare si loco hujus gratiarum actionis sacerdos aliam praefert (1) ; multo magis si sacerdos, memoria non retinens canticum *Benedicite*, dum ab altari redit ad sacrarium, recitat aliam orationem, e. g., *Te Deum*, et deinde antiphonam *Trium puerorum*

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 410*, cum communi ; Gury, *vol. II, n. 403*.

cum cantico *Benedicite*. Attamen sola gratiarum actio Rubricarum non sufficeret. S. Alphonsus, *La Messa Strapazzata*, *p. I*, § *3*, haec habet : « P. Avila, Missa dicta (etiam quo tempore missionibus vacabat) duas horas in oratione cum Jesu Christo colloqui solebat. O quam tenere et amanter loquitur Jesus Christus ad animam post communionem, et quales sui amoris affectus eo tempore illi praebet ! Nihil ergo magni est si quisque sacerdos post Missam saltem unam horam cum Jesu Christo conferat. Tamen, quaeso, o sacerdos, ut per dimidiam horam orando permaneas, vel saltem per quadrantem, sed heu ! horae quadrans nimis breve est ».

CAPUT VIII

DE ASSISTENTIA SACRIFICIO MISSAE.

Articulus I.

De assistentia sacrificio Missae in se.

930. Fidelium assistentia non est jure divino necessaria ut sanctissimum Eucharistiae sacrificium offerri valeat. Equidem sacrificium est natura sua actus cultus *publici* (*n. 16* in nota), sed talis est etiam Missa solitaria, cum « a publico Ecclesiae ministro non pro seipso tantum, sed pro omnibus fidelibus qui ad corpus Christi pertinent, celebretur » ; ut ait Conc. Trid., *sess. XXII. cap. VI.* Proinde Missa *privata* idest celebrata a privato ministro cultus aut pro privata tantum utilitate non existit ; Missa quonam sensu appellari soleat privata, vide *n. 851* in nota. Etiam verba in numero plurali : *Offerimus* ; *Orate, fratres* ; *Dominus vobiscum*, etc., ecclesiasticae institutionis, vera sunt in Missa solitaria, cum Missa celebretur nomine totius Ecclesiae et pro tota Ecclesia quae spiritualiter adstat. Responsa autem et servitia quae Rubricae ac canones requirunt, exigunt ministrum respondentem et inservientem ; et ideo hujus tantum assistentia de regula generali est jure ecclesiastico necessaria pro licita Missae celebratione (*n. 645 sequ.*).

931. At si in memoriam revocentur ea quae in *cap. I* diximus, facile patebit piam devotamque assistentiam sanctissimo Eucharistiae sacrificio inter praecipuos cultus actus esse recensendam. Nam fideles taliter assistentes fruuntur lectione Scripturarum ac precibus quae Missam comitantur habentque specialem efficaciam (*n. 32*), et insuper concelebrant et sunt speciali modo prae aliis fidelibus sacerdotes (*n. 22*), ac proinde non solum participant de fructu generali, sed percipiunt etiam fructum specialissimum seu persona-

lem (*n. 34, 35*). Hinc ex una parte sacrificium eucharisticum, repraesentans cruentum sacrificium crucis et infinitum Redemptoris nostri amorem, in eorum cordibus naturaliter excitat actus amoris, doloris, propositi, gratiarum actionis, et exalia ipsis non est opportunius tempus ad beneficia petenda et obtinenda. Exinde facile intelligitur cur nam omnes qui pie volunt vivere, tanti faciant assistentiam Missae; fideles qui eam negligunt et multo magis qui indevote assistunt, evidens praebent argumentum ignorantiae, aut culpabilis negligentiae, aut incredulitatis.

932. Inquirere solent doctores num utilior sit pia ac devota assistentia sacrificio Missae sine applicatione, quam ejusdem Missae applicatio sine assistentia. De Lugo, *De Euchar., disp. XIX, sect. XXI, n. 239*, ita respondet: « Quoad effectum remissionis poenae plus proderit Missa absenti specialiter applicata; quoad impetrandum vero auxilia, praeservandum a periculis et alia similia, consulerem regulariter magis quod audiretur Missa, quam quod in absentia pro ipso offerretur ». Ita etiam Tamburini, *De sacrif. Missae, lib. II, cap. II*, § *XIV*, qui proinde concludit in suffragium defunctorum solam Missae applicationem magis conferre quam solam Missae assistentiam. Etiam fructum placatorium ampliorem percipi putamus ex Missae applicatione. Hinc si divinae indignationis decretum obstet concessioni gratiarum et prius placari justitia divina debeat ut gratiae impetrentur (*n. 30*), hoc in casu etiam pro impetratorio fructu utilior esse potest Missae applicatio.

933. Omnes sacrificio Missae assistere possunt, qui non excluduntur. Antiquam Ecclesiae disciplinam quoad catechumenos et poenitentes vide *n. 900*; hodie ob perpetratum crimen Missae assistentiam, praeter alia, vetat *excommunicatio* et *interdictum*.

934. In primis excommunicatus excommunicatione majori prohibetur Missae sacrificio adesse, tum quia in genere excommunicatus arcetur a qualibet cum fidelibus communicatione, maxime in sacris, ex *cap. 59, De sent. excomm.*, tum quia in specie hoc sacrificio privatur, ex *cap. 5, De clerico excommunicato ministrante*, et ex *cap. 18* et *ult., De*

sent. excomm., in 6°. Idque verum est tam de toleratis quam de vitandis. Quid vero si excommunicatus Missae assistat? Peccat graviter ex communi sententia, dummodo censuram certo cognoscat, sed nec aliam censuram, nec irregularitatem exinde contrahit: utrum vero sit, necne, irregularis, si sacerdotem cogit coram se Missam celebrare, vide in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, *n. 363*. Praeterea si agitur de tolerato, etsi excommunicatio notoria sit, sacerdos nullatenus tenetur a Missae celebratione cessare, quia potest cum eodem communicare; et multo minus fideles exire ab ecclesia tenentur. Si vero agitur de vitando et excommunicatio publica est, debet moneri ut ab ecclesia exeat; et, si nolit, debet expelli, vi adhibita, si fieri potest sine magno damno et scandalo, cum quaelibet, praesertim in sacris, communicatio cum eodem interdicatur. Si expelli non potest, si quidem sacerdos nondum pervenit ad canonem, ab altari discedat, Missam deserens, ut colligitur etiam ex *Clem. 2*, *De sent. excomm.*; si canonem incepit, pergat usque ad consummationem, et tunc discedat, cetera expleturus in sacrario. Nonnulli putant sacerdotem pergere tantum posse si consecrationem, idest verba: *Qui pridie quam poteretur*, etc., incepit, eorumque sententiam habet probabilem Suarez, *De censuris*, *disp. XII*, *sect. I*, *n. 11*: sed doctrina a nobis exposita firmatur auctoritate non solum plurium doctorum, sed Rubricarum pro casu pollutionis ecclesiae (*n. 243*); et ideo de illius sententiae probabilitate dubitare licet. Fideles autem, eidem Missae assistentes, discedere debent etiam post canonem vel consecrationem, relicto solo sacerdote cum ministro, quia pro ipsis jus perficiendi sacrificium non valet et ideo urget jus non communicandi cum vitando. Quod si vitandus, in ecclesia praesens, Missae non assistit, e. g., quia aliud agit in extremitate ecclesiae, vel Missae assistit in alio altari celebratae, nec celebrans nec fideles discedere coguntur, cum vetita communicatio in divinis non verificetur (1).

935. Etiam personale interdictum sive generale sive spe-

(1) Suarez, *l. c.*, *n. 15*.

ciale prohibet Missae assistentiam, ut colligitur ex *cap. 16, De sent. excomm., in 6°*. Excipiuntur tantum majores festivitates quas recensuimus *n. 239*; quibus et officia divina cum omnibus solemnitatibus, non obstante locali interdicto, permittuntur, sicut prius, et personae interdictae, excommunicatis tantum exclusis, possunt eisdem officiis interesse. Proinde si persona interdicta ecclesiam ingreditur, divino sacrificio adstitura, debet moneri ut exeat, aut etiam cogi, si commode et sine magno scandalo fieri possit, ut patet ex *cap. 57, De sent. excomm.*, ex *cap. 24, ejusdem tit., in 6°*, etc... Si exire recusat et expelli non potest, fideles quidem nullo jure discedere tenentur, quia interdictum non prohibet communicationem cum persona interdicta; sacerdos vero, si locus est interdictus, tenetur Missam omittere aut abrumpere, ut supra de excommunicatis diximus, quia in cit. *cap. 24 cit. tit., in 6°*, Missae celebratio in loco interdicto, extra majores festivitates, permittitur sub conditione: *Excommunicatis ac interdictis exclusis* (cit *n. 239*), et ideo, hac conditione non verificata, prohibitio manet; si locus non est interdictus, haec sacerdotis obligatio omittendi vel abrumpendi Missam non probatur (1). Interdictus autem *ab ingressu ecclesiae* nequit assistere Missae in ecclesia vel publico oratorio celebratae, sive intra existens, quod patet, sive extra, ut solide probat Suarez, *op. cit., disp. XXXV, sect. IV, n. 7*; item Missae celebratae in coemeterio contiguo ecclesiae, ex *cap. 20, De sent. excomm., in 6°*, aut in capella ecclesiae vel publici oratorii. At potest assistere Missae celebratae in oratorio privato, aut semi publico, cum haec oratoria nomine ecclesiae in odiosis non veniant.

936. Haec de censuris quibus fideles detinentur. Sed et censura loci de qua *n. 238 sequ.*, et censura celebrantis arcere potest fideles ab assistentia Missae, si nempe celebrans est excommunicatus vitandus. Cum enim assistentia Missae secumferat ex parte fidelium concelebrationem et ideo communicationem in divinis cum sacerdote sacrificium offerente, si hic est vitandus et excommunicatio est publica,

(1) Suarez, *De censuris, disp. XXIV, sect. II, n. 7, sequ.*

ipsos non posse Missae assistere, evidens est. Haec applicentur sacerdotibus haereticis vel schismaticis nominatim denuntiatis aut ad damnatam sectam pertinentibus. Id autem verum non est de aliis celebrantis censuris, quae fidelibus non prohibent communicare cum eodem. Veteres canones, e. g., *cap. alt.*, *De cohabitatione clericorum et mulierum*, vetantes adstare Missae sacerdotis simoniaci, concubinarii, etc., obsoleverunt; proinde solum ratione scandali in peculiaribus circumstantiis id illicitum esse poterit.

937. Ecclesiae *sanctuarium* (*n. 138*) adeo est clericis reservatum, ut laici in eodem consistere nequeant, Missae sacrificio aliisque sacris functionibus adstantes, et ideo cancellis (*balustrade*) ab ecclesiae navi separari solet. Antiquitus soli episcopi, presbyteri et diaconi in sanctuario erant; sed postea et alii inferiores clerici admissi fuerunt. *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I*, *cap. XIII*, describit sedem quam clerici pro varia eorumdem dignitate in sanctuario et in choro occupare debent; et tandem concludit: « Sedes autem pro nobilibus atque illustribus viris laicis, magistratibus, ac principibus, quantumlibet magnis et primariae nobilitatis, plus minusque pro cujusque dignitate et gradu ornatae, debent extra chorum et presbyterium collocari, juxta sacrorum canonum praescriptum laudabilisque antiquae disciplinae documenta jam inde ab exordiis christianae religionis introductae ac longo tempore observatae ». Haec, omissis aliis canonibus, expresse traduntur in *cap. I*, *De vita et honestate clericorum*, et S. R. C. saepius confirmavit, e. g., in decreto generali *diei 13 Martii 1688* (n. 3156), ubi plura alia decreta citantur, ita ut contraria consuetudo inolescere nequeat, prout fuse ostendit Catalanus, *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, § *ult.*, cum Pignatelli, *tom. I*, *consult. VII*. In concilio Romano (an. 1725) haec prohibitio renovatur sub poena ipso facto incurrenda interdicti ecclesiarum, regularium etiam et quomodocumque exemptarum.

938. Huic regulae est unica exceptio. Nam catholicis civitatis principibus (*chefs d'État*), non recognoscentibus

superiorem, licet in sanctuario sedem habere, ut docet Pignatelli, *l. c.*, et *tom. III, consult. III*, citans responsionem S. C. EE. et RR., imo Gregorii XIII, praesertim regibus sacro chrismate inunctis, qui ratione unctionis de qua in *cap. 1, De sacra unctione,* inter personas sacras recensentur.

Hanc exceptionem S. Ambrosii temporibus nondum receptam fuisse, documenta ecclesiastica testantur. Narrant enim Theodoretus, *Hist. Ecc., lib. V, cap. XVII*, et Sozomenus, *Hist. Ecc., lib. VII, cap. XXIV*, S. Ambrosium noluisse Theodosio Imperatori permittere ut in sanctuario consisteret, sed locum ipsi assignavisse ante cancellos ita ut populum Imperator, Imperatorem sacerdotes ordine sedis antecederent. Hoc pietatis praeceptum Imperator etiam Constantinopoli postea servavit, et cum Nectarius episcopus rogaret cur non maneret in sanctuario, Imperator gemens reposuit : « Aegre tandem didici quid inter Imperatorem intersit et episcopum : aeque tandem reperi veritatis magistrum : nam solum Ambrosium novi episcoporum dignum eo nomine ».

Praeterea his civitatis principibus primus in dignitate clericus non celebrans, vestibus suae dignitatis indutus, introeuntibus ecclesiam debet obire, eisdemque in janua ecclesiae aspersorium aquae benedictae porrigere.

939. Igitur omnes alii laici extra sanctuarium in ecclesiae navi consistant necesse est, ubi distinctam sedem habere possunt plus minusve pro cujusque dignitate et gradu ornatam, ut tradit *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.* Hanc sedem distinctam ac fixam a dextera vel sinistra navis parte habere potest in primis magistratus civilis, sed solum quando accedit ad ecclesiam in habitu magistrali solemni, ut declaravit S. R. C. in *Baren.*, *22 Apr. 1690, ad 3um* (n. 3211). Illius scamnum habere non debet suppedaneum, ut pluries declaravit S. R. C., e. g., in cit. *Baren.*, et in alia *Baren.*, *2 Sept. 1690* (n. 3229) (1) ; nec baldacchinum, ut saepe pariter eadem S. C. edixit, e. g., in cit. decreto generali

(1) Catalanus, *Caeremoniale episcoporum, l. c.*, § *ult.*, *n. 20*, censet hac in re attendi posse immemorabilem locorum consuetudinem.

diei 13 Mart. 1688 et in alio *diei 22 Apr. 1699* (n. 3212), licet possit esse panno coopertum, ex ejusdem S.C. responsione in cit. *Baren.*, *2 Sept. 1690*. Etiam ecclesiae patronum jus habere ad distinctam in ecclesia sedem, colligitur ex *cap. 17*, *De jure patronatus*, sed post civilem magistratum (1); insuper quae de hujus scamno diximus, etiam de scamno patroni repetenda esse, minime dubitamus. Item Fabrica ecclesiae; cum enim ecclesiae Fabrica in ejusdem ecclesiae utilitatem operam suam praestet et potestatem administrativam circa ecclesiae bona habeat, congruum est ut praestantiorem locum in ecclesia occupet. Id expresse tradit S. R. C. in *Barchinonen.*, *21 Aug. 1872* (n. 5502), ubi ad dubium : « 1° Possunt honoris ergo hujusmodi ecclesiarum Fabricae praepositis parari sedes in presbyterio tempore Missae solemnis, maxime cum SSmum Sacramentum est expositum »; reposuit : « Ad 1um : Curet Ordinarius, quoad fieri potest, prudentia sua inducere illos ex praefatis praepositis qui sedes hujusmodi habent intra presbyterium, ut eas, ad instar sedium aliorum praepositorum, locari sinant extra presbyterii septa. Quod si hoc assequi non valeat, interim, ad graviora mala vitanda, nihil innovet ». Tandem S. R. C. in *Larinen.*, *12 Sept. 1699* (n. 3527), et in *Ostunen.*, *24 Nov. 1703* (n. 3668), et in *Meliten.*, *26 Apr. 1704* (n. 3684), declaravit baronem in loco baronali habere posse non sedem fixam, sed genuflexorium amovibile qualificatum, ut aiunt, nempe cum tapete seu stratu et pulvinaribus; sed hoc privilegium non competit nec fratribus, nec baronissae ejus matri, nec ducissae, ex *Asculana*, *15 Mart. 1686* (n. 3163). Tandem nemini ex recensitis competit privilegium, ut in janua ecclesiae clericus sacris vestibus indutus eos excipiat, porrigens aspersorium aquae benedictae, ut S. R. C. pluries declaravit, e. g., in *Baren.*, *24 Mart. 1685* (n. 3082), et in cit. *Ostunen.*

940. Ceterum nil prohibet quominus rector aut Fabrica ecclesiae locet etiam in perpetuum exiguum spatium deter-

(1) Reiffenstuel, *lib. III Decret.*, *tit. XXXVII*, *n. 110*; Pirhing, *n. 36*; Fagnanus, in *comm. cit. cap. 17*, *n. 17 sequ.*

minatum in ecclesia et in eo locatarius ponat sedile in forma consueta, quod proinde eidem reservatur et alteri cedi etiam a locatario potest. S. C. EE. et RR. die *14 Jan. 1605* declaravit locatarium posse suo sedili inscriptionem aut aliud signum apponere. Solum quaeri potest utrum sedile in ecclesia praescribi possit ita ut si quis sedile in ecclesia habuerit per legitimum tempus, tacente superiore, jam verum obtinuerit jus. Affirmat Pignatelli, *tom. VII, cons. XLVIII*, sed alii negant, quibus favere videtur S.R.C. in *Marianen.*, *22 Nov. 1642* (n. 1418), ubi ad dubium : « Utrum laicis aliquod jus acquiritur in sedibus et scannis quae in ecclesiis tenere consueverunt, ita ut ab ipso episcopo removeri non possint » ; reposuit : « Laicis jus in praedictis non acquiri, quominus episcopo liceat ex causa super his disponere ». At S. C. EE. et RR. in *Assiensi*, *22 Martii 1603*, prudenter monet superiores Regularium (idemque de aliis omnibus dicatur) non posse haec sedilia removere a loco solito, nisi cum magna circumspectione.

941. In antiquis ecclesiis (*n. 128*) *narthecem* occupabant infideles, haeretici, catechumeni, et poenitentes qui omnes post lectionem evangelii ac concionem dimittebantur (*n. 900*) ; *navim* fideles (1) ; et hi suum quique habebant locum, mares discretum a foeminis, virgines a nuptis, monachi a saecularibus : imo foeminae per ligneos parietes a maribus discernebantur et aliae erant portae per quas mares et aliae per quas foeminae ecclesiam ingrediebantur (2). Etiam nostris diebus in multis ecclesiis laudabiliter servatur separatio foeminarum a maribus absque ligneis parietibus. At divisiones inter alias personarum classes, e. g., inter nobiles et plebeios, nullatenus admittendae aut tolerandae sunt, nisi forte ad tempus pro evitandis malis majoribus, et adhuc minus divisiones quae errorem aliquem theologicum supponunt. Exemplum habes in Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 1786, 1787.*

(1) In Oriente poenitentes qui dicebantur *audientes* erant in *narthece* ; *substrati* in inferiori navis parte ; *consistentes* et fideles communicantes in superiori quae erat sanctuario propinquior.

(2) Devoti, *Inst. Can., lib. III, tit. VII, § 40.*

942. Demum ex auctore *Constitutionum Apostolicarum*, *lib. I, cap. LVII.* apparet primis Ecclesiae temporibus in sanctuario episcopos et presbyteros sedisse, illos quidem in cathedra in medio absidis aut presbyterii posita, hos vero hinc inde in subselliis a latere episcopi; diaconos autem stetisse lineis indutos, invigilantes ordini, decori et quieti in ecclesia. Alii omnes in ecclesia stabant et ideo *stantes* dicebantur; donec tandem, data Ecclesiae pace, sive ob infirmos ac debiles, sive ob prolixitatem precum functionumque sacrarum, sedilia seu subsellia tum in Orientis tum in Occidentis ecclesiis esse coeperunt (1). Hodie modum sedendi in choro indicat *Caeremoniale episcoporum*. At Honorius III in *cap. 10, De celebratione Missarum*, docet: « Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem suam ut cum in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet, idem faciens cum eam defert presbyter ad infirmum ». Ubi Glossa, *v. inclinet*, addit: « Flexis genibus ». Pariter receptum est ut fideles genuflexi maneant dum celebrans initiales Missae preces recitat, antequam ascendat ad altare, licet legem id statuentem ignoremus. Tandem antiquae disciplinae conformius esse ut evangelii lectionem audiamus stantes, potius quam genuflexi et multo minus sedentes, jam diximus *n. 898*.

943. In Gallis sedilia, ad ipsam ecclesiam pertinentia, fidelibus locantur singulis vicibus, licet spatium absque sedilibus in ecclesia remaneat, in quo fideles stantes nil solvunt. Haec locatio per se injusta non est, ut patet; sed cum exinde fideles pauperes ab ecclesia avertantur, ut experientia quoque demonstrat, curandum est ut haec praxis corrigatur aut moderetur. Hinc Parisiis nonnullae parochiae quae magis reditibus abundant, nihil pro sedilibus exigunt in primis diei dominicae Missis. Praxim vero, in Anglia ac America vigentem, pecuniam exigendi ad fores ecclesiarum ut fideles ingredi possint et divinis mysteriis adesse, S. C. de Prop. Fide litteris encyclicis ad episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis diei *15 Aug. 1869*,

(1) Catalanus, *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, § *alt.*, *n. 3*, ubi haec illustrat adducit. Optati Milevitani et S. Cypriani verba.

declaravit esse penitus abolendam et eliminandam. At minime prohibetur, quominus, conformiter antiquae disciplinae (*n. 901 sequ.*), pecunia a fidelibus Missae assistentibus oblata recipiatur ad *offertorium*, vel ad ecclesiae januas in fine Missae.

944. Ad corporis ornatum quod attinet, sacri canones vetant cum armis ad sacras aedes accedere et multo magis Missae sacrificio assistere ; de qua re agit Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XCIX*. Tractu temporis consuetudo invaluit ut milites aliisque quibus ensis gestandi jus est, illum et in ecclesia haberent ; imo olim christiani milites illum nudabant vel saltem nudare fingebant cum evangelium legebatur, ut nempe ostenderent se paratos esse vitam effundere pro ejusdem evangelii defensione : « Quam consuetudinem, ait Benedictus XIV, *l. c.*, plures adhuc equestres Ordines retinent ». At vetitum profecto adhuc est alia arma, praesertim ignitabula, in ecclesia deferre, maxime sacrificii eucharistici tempore, nisi agatur de militibus non singulatim, sed manipulatim sacrificio Missae aliive sacrae functioni adstantibus, honoris ergo ; qui arma retinent et praesentant momento elevationis. Pariter putamus minime esse reprobandam consuetudinem in Galliis passim receptam, ut aedituus (*Suisse*) cum ense et hasta praecedat celebrantem ac Missae sacrisque functionibus assistat, cum id unice fiat in honorem majoremque solemnitatem. Etiam in Missa solemni Romani Pontificis milites armati adsunt honoris ac securitatis causa.

945. Praeterea Apostolus *1ª Cor. XI, 4ª*, praecipit, propter reverentiam loco sacro debitam, ut vir oret nudo capite, et mulier velato ; ex contextu autem videtur Apostolus de Missae sacrificio praesertim agere. Sed hac in re locorum temporumque moribus deferendum est.

Certe apud nos gravis irreverentiae reus esset ille qui pileum in capite retineret in ecclesia, praesertim tempore sacrificii Missae aliarumque sacrarum functionum. At ab omni culpa immunis est qui comam fictitiam vel pileolum defert; decet autem omnino pileolum momento elevationis auferre ; imo apud Sinenses mos est caput coopertum ge-

rere in signum obsequii et reverentiae (*n. 421*). Praeterea milites, ut supra, cum armis Missae aliive sacrae functioni assistentes, pileum militare nullatenus deponunt.

Mulieres autem licet velatum caput in ecclesia habere solcant, maxime tempore sacrificii Missae, tamen, velum non habentes, de gravi irreverentia et ideo de mortali peccato in nostris moribus redargui non possent, et si velo quod imponant, carent, quaelibet abest culpa. In *Ravennaten.*, *7 Julii 1876* (*n.* 5666), ad dubium : « 4° Utrum mulieres sacris functionibus adstantes vel etiam private orantes per fenestram vulgo (*coretto*) quae intus ecclesiam, interjectis transennis, inspicit, teneantur caput velare » ; S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Affirmative ».

Potius invigilandum ut mulieres a vanis ornatibus et vestimentorum luxu qui christianam modestiam et Dei domum dedecet, abstineant, maxime in Missae sacrificio ; ne vestibus plus aequo splendidis aut diffluentibus atque caudatis utantur, ne capillos calamistris intorqueant, vultum fuco deliniant, praecipue vero ne pectus ac guttur discoopertum habeant aut tenuissimo ac fere transparenti velo involutum. Synodi dioecesanae saepissime id inculcant; et parochus sive privatis conversationibus sive publicis concionibus sedulam operam dare debet abusibus in re tanti momenti extirpandis (1).

De corporis ornatu pro sancta communione recipienda, sermo erit in *cap. ult.*

Articulus II.

De praecepto assistendi sacrificio Missae.

946. Praescindendo a praecepto particulari et accidentali, e. g., ratione voti, poenitentiae sacramentalis, etc., quaeri in primis potest utrum fideles ex jure divino teneantur, necne, aliquoties in anno vel in vita Missae assistere. Nos putamus veram juris divini obligationem solidis argu-

(1) Benedictus XIV, *De syn.*, *lib. XI, cap. XII.*

mentis non evinci. Equidem ipsum naturae jus exigit ut « homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis »; ut docet D. Thomas, 2^a, 2^{ae}, *q. 122, a. 4, ad 7um*; sed non probatur ipsum his diebus vera obligatione adstringi ad Missae auditionem. Lehmkuhl, *I, n. 567*, ait: « Si enim ex divino praecepto, ut communius fatentur, sacerdos aliquoties in anno celebrare tenetur, fideles etiam potiore jure sacrificii Novae Legis participari debent ». Sed si agitur de participatione per assistentiam, curnam *potiore jure* fideles debent assistere, quam sacerdotes celebrare? Nam argumenta quae afferuntur ad probandum obligationem celebrandi pro sacerdote (*n. 411*), non valent, saltem omnia, ad evincendam obligationem assistendi pro fidelibus. Etiam ratio scandali minor esset pro fidelibus non assistentibus, quam pro sacerdotibus non celebrantibus.

947. Quamquam autem invictis argumentis non probatur fideles ad Missam audiendam aliquoties in anno vel in vita teneri vera juris divini obligatione, tamen ex una parte haec auditio est valde consentanea juri divino, quia, semel instituto hoc divinissimo sacrificio, quam maxime decet ut fideles eidem aliquando assistant (1), et ex alia certum est Ecclesiam potuisse hanc assistentiam aliquibus diebus praecipere et de facto praecepisse ad dierum festorum sanctificationem.

948. Nam quod D. Thomas tradit ex ipso naturae jure hominem debere aliquo tempore vitae suae vacare divinis, verum est non solum de singulis hominibus, sed de ipsa quoque morali societatis persona. Deus in Veteri Testamento hoc jus ita determinavit ut populus Hebraeus sabbatum sanctificaret, ex tertio Decalogi praecepto, *Exod. XX, 8*: *Memento ut diem sabbati sanctifices*, et nonnullos alios dies. Unde, ut rite animadvertit D. Thomas, *l. c.*, tertium Decalogi praeceptum est naturale quoad principium, nempe quod homo aliquo tempore vitae suae vacare debeat divinis, sed est caeremoniale quoad temporis determinationem. In sabbato autem aliisque diebus sanctificandis populus

(1) Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXVVIII, n. 3 sequ.*

Hebraeus debebat sese abstinere ab operibus servilibus, ex *Levit., XXIII*, 7, et colere Deum aliquo peculiari et externo religionis actu, quem tamen lex non indicabat (1). Etiam praeceptum abstinendi ab operibus servilibus erat caeremoniale, licet valde opportunum et veluti praerequisitum pro positiva diei sanctificatione.

949. Caeremoniali, quoad tempus, juris naturalis determinatione seposita, Ecclesia ab ipso aevo apostolico praecepit ut in memoriam resurrectionis D. N. J. C. sanctificaretur potius dies dominicus, cui alios etiam addidit dies, enumeratos, praeter alia jura, ab Urbano VIII in const. *Universa, 13 Sept. 1642 (n. 514)*, qui proinde dicuntur dies *festi de praecepto*, licet postea aliquos ex his diebus ex catalogo dierum sanctificandorum suppresserit sive universim sive pro aliqua tantum regione (2). Si autem quaeratur num episcopus valeat pro sua dioecesi novum diem festum de praecepto inducere, respondemus rigorose loquendo id posse, ex *cap. 5, De feriis*, et ex Conc. Trid., *sess. XXV, cap. XII, de ref.*; sed Urbanus VIII, *l. c.*, definiens dies festos de praecepto pro tota Ecclesia, Ordinarios in Domino monet « ut ad ecclesiasticam ubique locorum servandam aequalitatem de cetero futuris perpetuo temporibus ab indictione sub praecepto novorum festorum studeant abstinere ». Insuper Ecclesia determinavit etiam in quo consisteret horum dierum sanctificatio, nempe negative in abstinentia ab operibus servilibus, ad instar legis antiquae, et positive in auditione Missae, licet postea pro nonnullis diebus aut pro nonnullis locis particularibus hanc sanctificationem quodammodo dimidiaverit, statuens ut ii dies sanctificarentur per solam auditionem Missae (3). Alios autem religiosos actus sive publicos, e. g., assistentiam vesperis, concioni, etc., sive privatos, Ecclesia ad dici festi sanctificationem haud praecepit; licet enim abstinentiam ab operibus servi-

(1) Salmanticenses, *tract. XXIII, cap. I, punct. II, n. 2.*

(2) In omnibus directoriis divini officii indicantur dies festi de praecepto.

(3) In *Rothomagen., 16 Mart. 1833* (n. 4705), quaesitum fuit utrum in die *2 Novembris* qui in cit. const. *Universa* non recensetur, Missa audienda esset de praecepto; et S. R. C. reposuit negative.

libus ideo jusserit ut fideles facilius rebus divinis vacare possent, tamen haec nulla lege praescribuntur. Proinde suadendi quidem quam maxime sunt juxta varias circumstantias, sed numquam vera obligatione imponendi (1).

950. Praeceptum audiendi sacrum diebus dominicis et festivis ad eosdem sanctificandos, probatur ex *can. 64.dist. 1*, *De consecrat.*, in Decreto, qui est concilii Agathensis : « Missas die dominico saecularibus totas audire speciali ordine praecipimus ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat. Quod si fecerint, ab episcopo publice confundantur ». Praeterea in *cap. 2*, *De parochis et alienis parochianis*, supponitur et in *extrav. 2*, *inter communes*, *De treuga et pace*, traditur expresse fideles teneri diebus dominicis et festivis audire Missam et quidem in propria parochia (de qua re infra), ibi : « Fratres Mendicantes non praedicent populos parochianos non teneri audire Missam in eorum parochiis diebus festivis et dominicis, cum jure sit cautum illis diebus parochianos teneri audire Missam in eorum parochiali ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa ecclesia se absentaverint ». Quando autem canones praecipiunt diebus dominicis et festivis Missae *auditionem*, non significant fideles debere his diebus verba celebrantis auribus reipsa percipere, sed sensus est fideles debere assistere seu praesentes esse Missae celebrationi, et hac assistentia seu praesentia dies festos sanctificare. Nos hoc praeceptum modo exponere debemus, praetermittentes negativum sanctificationis festorum elementum, nempe abstinentiam ab operibus servilibus.

951. 1° Principii loco dicimus hoc praeceptum, sicuti omnes ferme leges generales Ecclesiae, obligare sub gravi, licet admittat materiae parvitatem, ut infra dicemus. Id eruitur etiam ex propositione 53 damnata ab Innocentio XI : *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

952. 2° Objectum hujus legis, nempe id ad quod lex ipsa nos obligat, sequentibus continetur :

(1) Gury, *I, n. 339* ; Suarez, *De religione, lib. II, cap. XVI, n. 47*, cum communi.

953. *a*) In primis relati canones praecipiunt diebus dominicis et festivis *auditionem* idest *assistentiam* seu *praesentiam* Missae. His autem praecipi corporalem Missae assistentiam seu praesentiam, ita ut non sufficiat spiritualis in distantia, non est dubium. Corporalis autem praesentia potest esse vel *physica*, si fidelis adstat ante altare ita ut sacerdotem videre et audire queat; vel *moralis*, si fidelis sacerdotem videre et audire nequit, sed nihilominus potest percipere quae ille peragit in altari et judicio prudentum censetur interesse humano modo. Jamvero ad praeceptum implendum sufficit praesentia moralis (1). Ita potest implere praeceptum quisquis est in ecclesia in qua Missa celebratur, etiam in remota extremitate positus, aut post columnam, aut post altare, quia quisquis est in templo, satis Missae praesens est; item qui est in choro, licet ab Ecclesia per murum separato; aut etiam extra ecclesiam non ultra vicesimum vel, ut ait De Lugo, *l. c., n. 21*, et Scavini, *l. c.*, tricesimum passum, etc., dummodo ii omnes per campanulae sonum, motus assistentium, cantum chori, etc., advertere possint quid agatur in altari. Tandem qui in magna hominum multitudine cohaeret adstantibus Missae, quocumque tandem in loco positus, potest praecepto satisfacere.

954. *b*) Talem autem sacri canones corporalem assistentiam seu praesentiam praecipiunt, quae sanctificet diem festum, et ideo quae sit actus non solum humanus, sed et religiosus; secus enim exinde dies festus non sanctificaretur.

Porro actus est humanus ex cognitione intellectus et libera voluntatis determinatione; proinde ad implendum praeceptum requiritur ut quis Missae assistat sciens volens. Hinc non satisfacit praecepto caecus qui ecclesiam ingressus nescit se adstare sacro; qui assistit dormiens aut ebrius ita ut non advertat quae celebrans facit, dicit; qui assistit coactus, e. g., a domino vel parentibus, nisi in ecclesia jam velit Missam audire, etc.

(1) Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXXXVIII, sect. III, n. 2*; S. Alphonsus, *III, n. 312*; De Lugo, *De Euchar., disp. XXIII, n. 19 sequ.*; D'Annibale, *III*, § *123*; Scavini, *I, n. 291*; Gury, *I, n. 341*.

Actus autem est religiosus si exinde colitur Deus : et ideo ad implendum praeceptum requiritur talis auditio seu assistentia vel praesentia Missae qua colatur Deus. Jamvero ut per auditionem seu assistentiam vel praesentiam Missae revera colatur Deus, necessaria est *attentio externa*, ut aiunt theologi, idest requiritur ut tempore Missae non ponatur alia actio externa quae ex se mentem a sacrificio distrahit, aut ad aliud dirigitur. Hinc non satisfacit praecepto, qui tempore Missae, e. g., confabulatur, ridet, ludit, ita ut impediatur a re divina audienda ; legit concionem ut stylum addiscat aut S. Scripturam ut verba memoriae mandet ; contemplat picturas in ecclesia ; studet sacrae liturgiae ; patrem spiritualem consulit ; assistit aegroto ; apud aliud altare orat ; *viam Crucis*, uti vocant, prosequitur, etc. Ex his prono alveo fluit videtur nec satisfacere praecepto sive poenitentem qui confitetur peccata, sive confessarium qui peccata audit et poenitentem monet et absolvit, licet non omnes doctores hac de re conveniant. E contrario externae actiones quae vel ex se mentem non distrahunt a sacrificio, vel ad illud diriguntur, non impediunt implementum praecepti, quia non impediunt quominus per auditionem, seu assistentiam vel praesentiam Missae colatur Deus, e. g., recitare preces, etiam aliunde obligatorias, legere ex devotione S. Scripturam vel concionem, excutere conscientiam, pulsare organa et etiam colligere eleemosynam in ecclesia. Utrum vero etiam *attentio interna*, idest applicatio mentis ad ea quae sacerdos dicit, facit, vel ad ea quae his dictis factisque significantur, vel ad Deum ipsum, sit necessaria, necne, ad hoc ut per auditionem, seu assistentiam vel praesentiam Missae colatur Deus et ita impleatur praeceptum, doctores disputant (1). Hinc nos de violato praecepto arguere non possumus illum qui Missae assistit externe devotus, sed mente voluntarie distractus ad res profanas aut etiam illicitas, etsi in primo casu de veniali, in altero de mortali peccato excusari nequeat.

(1) De Lugo, *l. c., n. 25 sequ.* negativam sententiam validis argumentis sustinet. Haec valent de aliis quoque actibus religiosis, e. g., de breviarii recitatione.

955. His autem positis, nil aliud ex parte voluntatis et intellectus assistentis requiritur pro praecepti implemento. Ita, necesse non est ut ipse habeat intentionem per hanc auditionem Missae implendi praeceptum. Hinc implet praeceptum qui audit Missam ignorans esse diem dominicum aut festivum ; imo et ille qui Missam rite audiens dicit in corde suo : *Nolo per hanc Missae auditionem implere praeceptum* ; nam si posuisti totum id quod lex exigit, impedire non potes quominus lex impleta sit ; imo et ille qui assistens dicit in corde suo : *Nolo Missam audire*, sed de facto Missam rite audit ; quia, non obstante illa tua intentione, posuisti totum id quod lex exigit (1). Pariter nil interest, ceteris paribus, qua intentione ad ecclesiam venisti ; et etiam ille implevit praeceptum qui venit coactus aut ex fine malo, e. g., ad videndam puellam quam libidinose amat, si deinde Missam rite audit.

956. *c*) Praeterea relati canones praecipiunt auditionem, idest assistentiam seu praesentiam *Missae* ; atqui Missa est tota liturgia (*n. 853*) ab initio ad finem, ordinata ac unita, in qua partes juris divini sunt principales, partes juris ecclesiastici sunt secundariae ac propter illas ; ergo dicendum est sacros canones praecipere auditionem idest assistentiam seu praesentiam toti liturgiae (quod in rel. *can. 64, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto, expresse quoque traditur) ab initio ad finem, ordinatae ac unitae, et hoc praeceptum afficere partes juris divini principaliter, partes vero juris ecclesiastici secundario ac propter illas. Solum dubitari potest num Ecclesiae praeceptum comprehendat etiam quae in Missa sunt post : *Ite Missa est* ; et putamus comprehendere, quia et eae sunt liturgiae partes, licet posteriori aevo superadditae.

957. Exinde sequitur liberum non esse fidelibus ad praeceptum implendum duas dimidiatas Missas audire ; quod ut melius declaremus, distinguimus inter varios casus.

Certum est fideles ad implendum praeceptum non posse *simultanee* plures partes plurium Missarum audire ; e. g.

(1) D'Annibale, *III*, § *124*, in fine.

si Titius dum Missam in uno altari celebratam audit ab initio ad canonem, eodem tempore aliam in alio altari celebratam audit a canone ad finem. Sane Innocentius XI damnavit sub *n. 53* hanc propositionem : *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo sacro qui ejus duas partes imo quatuor simul a pluribus celebrantibus audit.* Ratio est quia attentio utrique simul parti est fere impossibilis, et insuper quia Titius non audit in casu totam liturgiam ordinatam, prout canones praecipiunt, sed potius duas liturgiae partes supra-positas, si ita loqui fas est.

Pariter auctores passim conveniunt fideles ad implendum praeceptum nec posse plures plurium Missarum partes audire *successive*, si omnia sacrificii elementa juris divini in una eademque parte non continentur ; e.g., si Titius successive unam Missam audit a consecratione utriusque speciei exclusive ad finem, aut a consecratione sanguinis inclusive usque ad finem, et aliam ab initio usque ad consecrationem utriusque speciei inclusive, aut usque ad consecrationem sanguinis exclusive. Ratio est quia ipse non audit totam liturgiam unitam, uti canones exigunt, imo in casu ipse non assistit uni sacrificio integro et perfecto (1).

Tandem probabilior sententia est nec posse ad praeceptum implendum plures plurium Missarum partes audire successive, licet in una eademque parte omnia praedicta sacrificii elementa contineantur, e. g., si Titius successive unam Missam audit ab initio usque ad consecrationem exclusive et aliam a consecratione inclusive usque ad finem. Ratio eadem est, nempe quia ipse non audit totam liturgiam unitam juxta sacrorum canonum praescriptum. Nihilominus plures gravesque auctores (2) censent praeceptum Missae posse etiam hoc modo adimpleri, etsi utriusque Missae partes ordine inverso audiantur, aut cum aliqua temporis in-

(1) Suarez, *l. c.*, *sect. II, n. 9*, admittens probabilitatem extrinsecam alterius sententiae ; S. Alphonsus, *III, n. 314*, tradens hanc sententiam esse probabiliorem ; De Lugo, *De Euchar., disp. XXII, n. 8* ; D'Annibale, *III*, § *127* ; Gury, *I, n. 343* ; Lehmkuhl, *I, n. 559* ; Scavini, *I, n. 294*, qui omnes de probabilitate alterius sententiae tacent.

(2) D'Annibale, *l. c.* ; Lehmkuhl, *l. c.*

tercapedine (1) ; omnesque hanc doctrinam habent probabilem. Ipsam proinde in praxi sequi possumus, donec a S. Sede non explodatur ; sed saltem fatendum est aliquam in hoc modo implendi praeceptum esse deordinationem, quae, absente rationabili causa, veniali non vacat (2).

958. Ex dictis etiam apparet nos, aliquam Missae partem praetermittentes, praeceptum de Missa audienda aliquo modo violare, seu leviter, si modicam, seu graviter, si magnam Missae partem non audivimus (3). Solum excusantur qui ad breve tempus recedunt ab ecclesia ut sumant vinum, thus, etc., vel ut pulsent campanas, cum talis recessus ordinetur ad sacrificium. « Verum quae modica pars sit, ait d'Annibale, *l. c.*, *not. 37*, cum communi, quae non modica, una regula definiri non potest ; non enim materialiter tantum aestimari debet, sed et formaliter, idest ex majori aut minori dignitate et sanctitate ejus partis. Porro digniora ac sanctiora habentur quae ad consecrationem hinc inde propius accedunt ». Ut aliqua exempla ex probatis auctoribus citemus (4), est leve omittere omnia post communionem exclusive ; aut omnia usque ad epistolam inclusive ; aut probabiliter omnia usque ad epistolam exclusive (et juxta nonnullos etiam inclusive) simul et omnia post communionem ; aut probabiliter omnia usque ad evangelium et *Credo* inclusive ; aut probabiliter consecrationem unius tantum speciei ; aut solam communionem. E contrario est grave omittere omnia a principio Missae ultra offertorium ; aut omnia usque ad evangelium inclusive simul et omnia post communionem ; aut omnia inter praefationem et consecrationem ; aut omnia a consecratione exclusive usque ad *Pater* ; aut communionem inclusive cum reliquis ; aut utriusque speciei consecrationem simul et communio-

(1) La Croix, *III, l, n. 668*, apud D'Annibale, *l. c., not. 46*, addit restrictionem : *non ultra horam* ; sed haec restrictio in aliis auctoribus non habetur et solido fundamento non videtur innixa.

(2) Suarez, *l. c.* ; S. Alphonsus, *l. c.*, Sporer, *l. c.* Lehmkuhl, *l. c.*

(3) Suarez, *l. c., n. 3.*

(4) Suarez, *l. c., n. 4* ; D'Annibale, *l. c.* ; S. Alphonsus, *III, n. 340*, Lehmkuhl, *l. c.* ; Gury, *l. c., n. 342* ; De Lugo, *l. c., n. 4*

nem ; aut etiam, ut putamus, solam utriusque speciei consecrationem, quia indubium est, quidquid nonnulli dixerint, consecrationem esse essentiale sacrificii elementum, nisi forte agatur de instantanea et brevissima necessitate quae unionem moralem non abrumpat.

959. Quid vero si quis de facto Missam audivit, sed non integram ? Num et quale peccatum commiserit, pendet ex circumstantiis quas ad examen revocat Suarez, *l. c.*, *n. 8* ; modo inquirimus utrum ipse ad implendum praeceptum debeat, necne, supplere ex alia Missa. Si pars Missae deficiens est valde modica, supplendi obligatio urgenda non est, quia, ut ait Suarez, *l. c.*, res morales non sunt adeo rigorose expendendae, praesertim quando leviores sunt. Quo magis autem pars omissa ad gravem materiam accedit, eo magis aliqua compensatio consulenda est ; sed obligatio erit semper levis, a qua rationabilis causa excusat. Si pars Missae deficiens magna est, obligatio supplendi gravis est. Si autem quaeratur quomodonam suppleri debeat hic defectus, num per alterius integrae Missae auditionem,an per auditionem partis omissae tantum, respondemus applicandam esse theoriam expositam *n. 957*. Nempe verius est in omni casu integram aliam Missam audiendam esse ; sed si Titius jam audivit Missae partem juris ecclesiastici, e. g., ab initio ad consecrationem exclusive, vel omnes partes juris divini, e. g., a consecratione inclusive ad finem, potest, utens opinione probabili, supplere per auditionem solius partis omissae.

960. Pariter ex dictis solvitur etiam quaestio quae apud auctores agitari solet, nempe utrum ille qui nonnisi Missae partem audire potest, teneatur, necne, illam audire. Si adeo magna est ut contineat consecrationem utriusque speciei et communionem, responsio affirmativa certa est apud omnes, cum in ea sit integrum sacrificium, in quod Ecclesiae praeceptum principaliter cadit. Si continet utriusque speciei consecrationem, sed non communionem, quia, e. g., Titius potest Missae assistere usque ad consecrationem inclusive, sed non ultra, certe consulendum est ut assistat, imo in

exemplo allato putamus praeceptum urgendum esse (1), quia vix dubium est sacrificium consistere essentialiter in sola consecratione (*n. 24*), in quam proinde praeceptum ecclesiasticum principaliter cadere dicendum est, praesertim si assistentia possibilis est ab initio Missae vel fere. Si continet solam communionem, quia, e. g., Titius pervenit ad ecclesiam post consecrationem et nequit alteri Missae assistere, consulendum pariter est ut assistat, sed verum praeceptum non est, quia communio est certe pars juris divini, sed integralis tantum juxta probabiliorem et communiorem sententiam et ideo Ecclesiae praeceptum in eam principaliter non cadit; et revera in feria VI in Parasceve, si incidat festum de praecepto, fideles non tenentur assistere Missae *Praesanctificatorum* (*n. 86*, 2). Tandem si neutram continet seu est juris tantum ecclesiastici, quia, e. g., Titius potest assistere usque ad praefationem circiter, sed non ultra, rursus consulendum ut assistat, sed verum praeceptum deesse a fortiori dicendum est, cum praeceptum Ecclesiae in partes juris ecclesiastici non cadat nisi secundario et propter partes juris divini.

961. Ceterum dummodo fidelis assistat Missae integrae, ordinatae ac unitae, ut supra, satisfacit praecepto, quaecumque tandem sit Missae species aut sacerdos celebrans, cum canones nullam habeant limitationem. Hinc implent praeceptum fideles audientes Missam lectam; Latini audientes Missam ritu orientali celebratam; Orientales Missam ritu latino. Si sacerdos celebrans est excommunicatus tolleratus, suspensus, interdictus, simoniacus, concubinarius, fideles possunt Missae assistere (*n. 936*); et ideo (si alia Missa non est) debent, ut praecepto satisfaciant. Si est excommunicatus vitandus, fideles nequeunt Missam audire (cit. *n. 936*), ita ut, nulla alia extante Missa, excusentur a praecepto; at Missam audientes, peccant quidem, sed praeceptum implent. Idem dicas si sacerdos est haereticus aut schismaticus nominatim denuntiatus, aut, quod idem est, ad

(1) D'Annibale, *l. c.*
(2) De Lugo, *l. c.*, *n. 6.*

damnatam sectam publice pertinens, si in celebratione Missae omnes catholicos ritus servat.

962. *d*) Tandem relati canones praecipiunt auditionem idest assistentiam seu praesentiam Missae in *propria parochiali ecclesia*. Sixtus IV, in cit. *extrav. comm. 2, De treuga et pace*, docet id in jure cautum esse. Revera id constitutum fuit in concilio Sardicensi *can. 16*; et renovavit concilium Quinisextum *can. 80*; et supponitur manifeste in *cap. 2, De parochis*, quod desumptum est ex *can. 1* synodi Nannetensis. At licet optandum sit fideles ad propriam convenire ecclesiam parochialem frequenter, saltem diebus dominicis et majoribus festis, et ex Conc. Trid., *sess. XXII, Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missae*, episcopi ad id ipsos hortare debeant, tamen locale praeceptum de Missa audienda in propria parochiali ecclesia ex contraria consuetudine obsolevit (1); imo Leo X, S. Pius V et Clemens VIII apud Benedictum XIV, *l. c.*, expresse etiam permittunt fidelibus praecepto satisfacere in ecclesiis Regularium. Haec disciplinae ecclesiasticae relaxatio ideo admissa fuit ex consuetudine ut adimplementum hujus praecepti frigescentibus fidelibus facilius redderetur. Ex his apparet episcopum non posse localem legem de Missa audienda in propria parochiali ecclesia, tanquam legem particularem suae dioecesis, restituere, cum haec lex obstaret privilegio a Sede Apostolica Regularibus concesso; et ideo S. C. C. hujusmodi dioecesana statuta supprimere consuevit (2).

963. Suppressa obligatione locali de audienda Missa in propria parochiali ecclesia, nos, inspecto jure communi, quod alias locales limitationes non habeat, possumus praeceptum implere, Missae assistentes quocumque in loco. Sedes Apostolica potest certe aliquem locum excipere, seu constituere ut auditio Missae in aliquo loco satis non sit ad praeceptum implendum; et de facto excipit oratoria privata, non quidem, in recentiori disciplina, Cardinalium et episcoporum omnium (*n. 269*), sed aliorum, statuens in

(1) Benedictus XIV, *De syn., lib. XI, cap. XIV, n. 7 sequ.*; S. Alphonsus, *III, n. 318, 319*; Salmanticenses, *l. c., n. 129*; Gury, *I, n. 349 sequ.*

(2) Benedictus XIV, *l. c., n. 11.*

privilegii concessione solos privilegiatos principales et secundarios Missae assistentes in hujusmodi oratoriis implere praeceptum, juxta ea quae diximus *n. 235*. Episcopus autem id constituere non potest, quia si fidelis posuit totum id quod jus commune praecipit, episcopus efficere nequit quominus jus commune impletum non sit (*n. 126*); solum dum ex apostolico indulto concedit privilegium oratorii privati in domo privata, episcopus potest et debet praxim Sedis Apostolicae sequi (*n. 226*). Igitur hodie Missae auditio in oratoriis privatis privatae domus in genere satis est tantum pro privilegiatis principalibus et secundariis ad praecepti implementum; in qualibet ecclesia, in quolibet oratorio publico, in quolibet oratorio semi-publico (*n. 220*), et in oratorio privato episcoporum et Cardinalium satis est pro omnibus. De oratorio publico, ut videtur, confer etiam responsionem S. R. C. in *Meliten.*, *22 Maii 1821* (n. 4922); responsio autem ejusdem S. C. in *Aretina 2 Jun. 1685* (n. 3085), pro oratorio semi-publico carcerum (*n. 213*) ad illud tempus referri videtur, quo consuetudo contra canonicas sanctiones nondum praevaluerat. Imo praeceptum implemus etiam assistentes Missae celebratae in loco interdicto, contra censuram; nam peccamus profecto, sed Missae adstamus, quod canones exigunt.

964. Quando Sedes Apostolica oratorium semi-publicum alicui Communitati religiosae permittit, concedere solet ut omnes, Missae in eodem oratorio celebratae assistentes, impleant praeceptum. Ita, e. g., in Brevi dato a Gregorio XVI Filiabus Charitatis, post verba relata *n. 982*, legitur: « Concedimus praeterea ut et in sacello, quatenus in una eademque domo simile privilegium nequaquam vigeat, ex episcopi venia et arbitrio, in singulos dies etiam solemniores, a quocumque presbytero rite probato sacrificium fieri possit; cui quidem non modo ipsae Charitatis Filiae, sed et puellae ab eis exceptae aliaeque mulieres domui addictae, pietate illa qua decet adstantes, ecclesiastico praecepto quod est diebus festis de assistendo divinis, omnino satisfaciant ». Putamus hanc concessionem nullatenus probare Missae auditionem in his oratoriis semi-

publicis per se non esse sufficientem ad praeceptum implendum. Nam Sedes Apostolica, quin inquirat de facto consuetudinis quae legem abrogavit, indulget, in favorem illorum oratoriorum semi-publicorum, ut obligatio canonica de audienda Missa in ecclesia parochiali personas quae in iisdem Missam audiunt, non urgeat.

965. 3° Declarato objecto legis de audiendo sacro, videamus illius subjectum, seu quosnam haec lex obliget. Jam vero haec lex, sicuti in genere omnes ecclesiasticae leges, obligat omnes baptizatos, ratione utentes; utrum vero peregrini teneantur, necne, diebus festis particularibus, desumere debes ex generali tractatu de legibus. His obstare videtur cit. *can. 64, dist. 1, De consecrat.*, in Decreto (*n. 950*), ubi Missas die dominico *saecularibus* totas audire praecipitur; unde clerici ac religiosi non videntur comprehendi. Sed in primis, ut rite animadvertit Suarez, *l. c., sect. IV, n. 3*, illud *saecularibus* includit tum clericos tum laicos ad exclusionem regularium; frequens enim in jure est ut saeculares dispescantur in clericos et laicos. Proinde hic canon tum clericos tum laicos afficit, quamvis per se clarum sit sacerdotes per ipsam Missae celebrationem praecepto satisfacere, quia perfectius Missam audiunt quam assistentes. Regulares autem a fortiori comprehensi intelliguntur sub praecepto, cum ratione sui status ad divinum cultum speciali modo obligentur, ita ut canon de saecularibus tantum loquatur, quia non regulares, sed saeculares praeceptum de audiendo integro sacro ab initio ad finem violabant, exeuntes ante sacerdotis benedictionem. Excommunicatus (*n. 933*) et interdictus (*n. 935*) vi hujus legis debent absolutionem quantocius expostulare, ne commodum ex propria iniquitate obtineant.

966. 4° Tandem de causis ab hac lege excusantibus agendum est; quae tres enumerari solent, nempe impotentia sive physica sive moralis, consuetudo, dispensatio legitimi superioris. At consuetudo, eximens a lege, innititur impotentiae seu incommodo gravi, et ideo ad primam causam reducitur, quia consuetudinem non audiendi Missam citra grave incommodum diebus dominicis et festivis, non putamus esse

rationabilem. Praeterea certum est Romanum Pontificem posse ab hac lege, utpote mere ecclesiastica, dispensare; sed huic dispensationi numquam locus erit, quia si adest causa certe aut probabiliter gravis, haec dispensatio non est necessaria, ut mox dicemus; si nulla aut certe levis causa adest, haec dispensatio non est concedenda et numquam a S. Sede conceditur. Aiunt et episcopum dispensare posse suos subditos, et parochum suos parochianos in casibus particularibus; sed quae diximus repetenda sunt: imo dispensatio sine gravi causa concessa ab episcopo in festo juris communis et a parocho in festo juris quoque particularis, foret non solum illicita, sed etiam invalida (1). Satis igitur erit ut de prima tantum causa excusante hic breviter agamus.

967. In primis impotentiam, etiam moralem tantum, idest incommodum grave, ab hujus legis obligatione excusare, omnes admittunt, cum haec lex sit mere ecclesiastica, et leges Ecclesiae non obligent cum magno incommodo. Imo sufficit incommodum grave etiam probabile tantum sive proprium sive proximi (2). Difficultas practica in eo est, ut determinetur quandonam incommodum sit grave. Hac in re, et a laxa et a scrupulosa conscientia cavendo, stare tuto possumus judicio medici, confessoris, parochi, alterius viri vel mulieris prudentis, et etiam judicio nostro, si probabilibus rationibus innititur; tandem si, his non obstantibus dubium remanet, hoc dubium practice a praecepto eximit.

968. Ut aliqua exempla ex probatis auctoribus (3) afferamus, grave incommodum esset et ideo excusantur: 1° Qui laborant infirmitate, sive ea revera gravis sit, sive probabiliter timeant gravem esse, aut gravem futuram: aut sunt in convalescentia in qua probabiliter obest prodire foras: aut probabiliter timent ne ratione frigoris, pluviae, nivis, infirmi-

(1) Suarez, *l. c.*; *n. 6.*

(2) S. Alphonsus. *III, n. 325*; Gury, *I, n. 353*; D'Annibale. *III, § 127.*

(3) S. Alphonsus. *III. n. 325 sequ.*: Suarez. *l. c. sect. VI*; per totam: D'Annibale. *III. § 127 sequ.*: Gury. *I, n. 356 sequ.*. Scavini. *I, n. 297 sequ.*; Lehmkuhl, *I, n. 560 sequ.*

tatem contrahant; 2° Excommunicatus et interdictus (*n. 934, 935*), aut carcere detentus, si de facili absolutionem vel libertatem obtinere nequeunt; 3° Qui custodiunt domos, greges, infantulos quos sine aliorum perturbatione secum ducere nequeunt. At si plura sacra celebrantur, unus alterum excipiat in custodia, si fieri potest; et si unum tantum celebratur sacrum, diebus dominicis et festivis alternare debent, quamquam non ita rigorose ut, e. g., uxor toties accedere debeat quoties maritus, et potius ex charitate quam ex Ecclesiae praecepto et sub levi; 4° Qui ministrat infirmo qui ejus opera eget aut aegre fert ipsum discedere; 5° Uxor, aut filius, aut servus timentes gravem mariti, vel parentis, vel domini indignationem, etsi injustam, dummodo maritus, aut pater, aut dominus id non exigant in contemptum religionis et frequenter id non accidat. At cavendum ne in casu merus futilisque respectus humanus intercedat, qui non excusat; 6° Famulus a quo dominus ministerium exigit impediens praecepti implementum. Si ministerium est necessarium ita ut differri nequeat sine magno domini incommodo, famulus et dominus excusantur, sed famulus debet mediocrem adhibere diligentiam, ut Missae, non obstante illo ministerio, assistat. Si ministerium non est necessarium, dominus peccat; famulus autem excusatur, si, nec mediocri adhibita diligentia, Missae assistere potest, nec statim ac de facili potest alium dominum invenire; 7° Viator qui sacrum audiens amitteret expensas quas faceret socius, aut majores expensas subire deberet, aut careret in via longa comite qui est solatio et securitati; 8° Qui ad ecclesiam accedens notabilem pudorem subire deberet, quod in mulieribus praesertim verificari potest, e. g., si mulier non habet vestes suo statui convenientes, si est indecenter gravida; haec applicari possunt etiam puellae cujus banna in Missa proclamantur, si vera pudoris ratio sive ex consuetudine sive ex peculiari circumstantia revera adest, atque opportunitas alterius sacri audiendi deficit; 9° Qui, domi remanens, peccatum proximi evitat, e. g., puella quae scit a viro turpiter concupisci potest abstinere ab ecclesia adeunda ut illius peccatum evitet, imo bis vel ter fortasse

etiam tenetur : 10° Qui nimis distant ab ecclesia : quaenam autem distantia grave incommodum secumferat *et* ideo ad excusandum sufficiat, varie ex temporibus, itineribus, personis et mediis hanc distantiam percurrendi aestimari debet judicio prudentis, cum proprie non distantia, sed incommodum excuset. Ita, e. g., iter pedestre unius horae cum quadrante excusat omnes : sed si quis ad ecclesiam sine incommodo ire potest curru aut via ferrea, major profecto distantia foret necessaria, ut grave incommodum excusans verificetur.

969. Caeterum impeditus quominus adeat ecclesiam, sed non privatum oratorium, tenetur in hoc sacrum audire, si exinde praeceptum adimplet, imo hoc in casu tenetur quoque sine magno incommodo curare Missae celebrationem in oratorio privato (1). Si autem exinde praeceptum non adimplet, quia nec principalis nec secundarius privilegiatus est, vel est secundarius, sed deficit principalis, hortandus quidem est ut assistat, sed obligatio gravis imponenda non est. Pariter impeditus quominus praecepto ecclesiastico, quacumque demum de causa, satisfaciat, non tenetur in conscientia aliud pium opus substituere, quamquam suaderi ad id debeat. Sed hoc in casu teneturne in conscientia Missae assistere die feriali, si potest sine magno incommodo ? Certe praeceptum ecclesiasticum non urget Missae auditionem die feriali, ut patet : utrum autem urgeat, necne, jus divinum, collige ex dictis *n. 946*. Proinde stricta obligatio audiendi Missam die feriali imponenda non est, si id accidat aliquibus vel pluribus vicibus infra annum ; sed neque si id accidat per totum anni decursum, licet suadendum quam maxime sit ut Missae assistat die feriali saltem aliquoties in anno : « nam perpetuo illam omittere, intolerabile et christianis hominibus indignum est » ; Suarez, *l. c., n. 8* in fine. Praeterea curare debet ut hoc impedimentum removeatur ; e. g., operarius curet alium invenire dominum qui Missae assistentiam diebus festis non impediat.

(1) S. Alphonsus, *III*, *n. 324* ; De Lugo, *l. c.*, *n. 14*.

CAPUT IX

DE CUSTODIA SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE (1).

970. Huc usque de sanctissima Eucharistia, quatenus est sacrificium, actum est. Modo de sanctissima Eucharistia, quatenus est sacramentum, agentes, recolimus in primis verba Conc. Trid., *sess. XIII, cap. VI* : « Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est ut eam saeculum etiam Nicaeni Concilii agnoverit... ». Et deinde in *can. VII* : « Si quis dixerit non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam.... A. S. ». Ratio autem qua SSma Eucharistia sub specie panis servatur, est duplex. Ex una enim parte id respondet ardentissimo amori D.N.J.C., qui Eucharistiae sacramentum ideo instituit ut nobiscum non solum sua divinitate sed etiam sua humanitate remanere posset, cum deliciae ejus sint esse cum filiis hominum. Ex alia autem parte fideles, tanto amori respondentes, possunt illum semper venerari et, etiamsi sacrificium Missae non offeratur, recipere, praesertim infirmi. Hinc quoniam sanguis non ministratur fidelibus, ideo non servatur, ut notat Glossa in *can. 93, dist. 2, De consecrat.*, in Decreto. In distinctis articulis videamus in quibusnam ecclesiis et altaribus et quonam modo SSma Eucharistia custodiri possit et debeat.

Solum dubitari potest, si hostiis consecratis admiscetur hostia non consecrata quae distingui nequiat, num valeant omnes istiusmodi hostiae asservari et adhiberi pro sacra communione. In primis hostiam non consecratam esse quantocius consecrandam in prima Missa quae post admixtionem celebrabitur, evidens est ; sacerdos autem, Missam

(1) Vide canonistas in tit. *De custodia Eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum*, XLIV, lib. III Decret.

celebrans, eamdem consecrare potest sive intendens consecrare omnes hostias, si non sunt consecratae, sive intendens consecrare hostiam non consecratam (1). Interim omnes hostiae asservari possunt in tabernaculo, cum fidelium adorationes dirigantur ad hostias consecratas, et adhiberi etiam possunt pro fidelium communione, si haec differri omnino non possit, e.g., pro communione infirmi jam morituri, dummodo, ut notat de Lugo, *l. c.*, porrigantur fideli duae particulae quarum una est certe consecrata : quod si plures particulae non consecratae admixtae fuerunt particulis consecratis, a quibus distingui nequeunt, a fidelium communione abstinendum foret.

Articulus I.

In quibus ecclesiis et altaribus sanctissima Eucharistia custodiri possit.

971. 1° Quod attinet ad ecclesias, in primis Ecclesiae temporibus cum, saevientibus persecutionibus, fideles ad sacram communionem recipiendam ecclesias adire nequirent, nec in loco publico sanctissima Eucharistia conservari posset, permissum erat Eucharistiam ad proprias domus deferre et reverenter ibidem conservare ut singulis diebus, prouti tunc moris erat, et praesertim instante persecutione, se eadem fideles reficere possent. Plura historica documenta videri possunt apud Baronium ad *an. 57, n. 151*, et ad *an. 570*. Imo et in longinquis peregrinationibus, eadem militante ratione, idem ipsis datum fuisse, Ambrosius testatur in laudatione funebri Satyri fratris sui : quod Romanus Pontifex adhuc servavit. Haec, reddita Ecclesiae pace, minime obsolevisse, non obstantibus particularibus prohi-

(1) Ballerini ad Gury, *II, n. 281* ; Busembaum, *lib. VI, n. 216* ; Layman, *lib. V, tract. IV, cap. II, n. 12*, aliique. Graves auctores, e. g., S. Alphonsus, *VI, n. 216* ; De Lugo, *disp. IV, n. 136*, etc., putant sacerdotem altero modo eam consecrare non posse, quia materia non est determinata ac praesens. Sed, e contra, clarum omnino videtur materiam esse in se determinatam et praesentem, licet nos oculis corporeis distinguere eam non valeamus, quod non requiritur.

bitionibus, sed perseverasse praesertim apud monachos et virgines Deo sacras, plurium scriptorum testimoniis probat Martene, *De antiquis Ecc. ritibus, lib. I, cap. V, art. I, n. 3*. Tandem haec omnia abrogata fuerunt jure meritoque pro omnibus,ita ut in praesenti disciplina absque speciali indulto non liceat Eucharistiam in propria domo retinere eandemque in itinere secum deferre, nisi publice pro communione infirmorum ; de qua re infra. Vide apud Collectaneam S. C. de Prop. Fide, *n. 733*, litteras encyclicas ab eadem S. C. datas die *25 Febr. 1850*, quibus similes abusus, pluribus adductis decretis, reprobantur.

Si autem quaeratur utrum retinens apud se Eucharistiam sit necne suspectus de haeresi et puniendus a S. Officio, respondemus id pendere a fine propter quem Eucharistiam in propriam detulit domum et retinet, uti explicat Card. Petra, *l. c., n. 9 et sequ.* cum Albitio, *De inconstantia in fide, cap. XXXII, n. 136 sequ.*

Poenae latae sententiae non sunt, quas proinde Ordinarius pro sua prudentia decernet juxta delicti gravitatem.

972. At simul praeceptum fuit, quod ceteroquin in praxi receptum erat, ut sanctissima Eucharistia in ecclesiis servaretur. Jure communi asservatio Eucharistiae in ecclesia permittitur et praecipitur ratione infirmorum quibus ministrari debet, licet consequenter inducatur administratio in ecclesia pro quocumque fideli et pro adoratione. Deficiente prima ratione, jam non licet Eucharistiam asservare nisi ex apostolico indulto.

973. Exinde sequitur SSmum Sacramentum posse et debere asservari in omnibus ecclesiis actu parochialibus in favorem parochianorum infirmorum. Ad rem cit. *can. 93, dist. 3, De consecrat.*, in Decreto : « Presbyter Eucharistiam semper habeat paratam, ut quando quis infirmatus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur ». In *cap. 3, De officio archipresbyteri,* inter officia archipresbyteri recensetur « praecipere custodi ecclesiae ut in sacrario Eucharistia Christi propter infirmos non desit ». Tandem Innocentius III in *cap. 1, De custodia Eucharistiae* : « Statuimus ut in cunctis ecclesiis chrisma

et Eucharistia sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda ». Innocentius III loquitur de ecclesiis parochialibus, ut aperte patet ex chrismate servando, quod tantum parochiales ecclesiae ad ministrandum infirmis extremae unctionis sacramentum habere possunt. Vide etiam *cap. 10, De celebratione Missarum*, etc. Non est opus animadvertere hic parochias sumi lato sensu pro ecclesiis cum actuali animarum cura.

974. Ecclesia parochialis ab onere custodiendi SSmum Sacramentum non liberatur neque ex contraria quacumque consuetudine quae corruptela dicenda est, neque ex propinquitate ecclesiae quae pariter SSmum Sacramentum habeat. Quod si tanta paupertate laboret ut expensas pro decenti custodia necessarias sustinere nequeat, in subsidium cogi possunt ipsi parochiani : et si neque reditus parochiales sufficiant, neque populus pares vires habeat, poterit episcopus uti facultate sibi concessa a Conc. Trid., *sess. XXI. cap. VII, de ref.*, transferendi parochiam ad matricem vel ad aliam ecclesiam. Verum antequam episcopus hoc medio utatur, expedire duxit S. C. C. in *Spoletana, 12 Aug. 1604*, quod : « Eucharistiae sacramentum quando in omnibus parochialibus Montanae Regionis asservari pro tenuitate reditnum nequit, episcopus decernere debet ut in singulas ternas quaternasque vicinas parochiales id onus distribuatur, ut in una ex eis habeatur augustissimum Sacramentum et ad impensam lampadis et hujusmodi ceterae vicinae contribuant, illaque, ubi se casus obtulerit, perinde uti rectores possint ac si in propria parochiali illud asservaretur ». Et ideo in *Amerina, Translationis parochialium*, cum episcopus ob tenuitatem reditnum aliquas ecclesias parochiales suppressisset ac transtulisset parochialitatem in alias, propositis dubiis : « 1° An translatio ecclesiarum parochialium facta sustineatur ; et quatenus negative : 2° An in iisdem ecclesiis parochialibus sit asservandum sanctissimum Eucharistiae sacramentum » ; S. C. C. die *17 Aug. 1697* reposuit : « Ad 1um : Negative ; Ad 2um : Ad mentem ». Mens autem fuit quod episcopus pro-

ponerent media necessaria et interim servaretur jam inductus mos, ut scilicet reciperetur Sacramentum pro infirmis a cathedrali vel aliis ecclesiis illud retinentibus.

975. Quid vero si ecclesia parochialis in eo statu est ut SSmum Sacramentum in ea decenter conservari non possit, aut communis est etiam sectis acatholicis? Utrique quaestioni satisfacit responsio S. C. de Prop. Fide data die *23 Aug. 1852* ad Vicarium Apostolicum Jaffnae. Nam ad dubium: « Quando Missionarius non potest decenter servare Eucharistiam quia in ecclesia non sunt nec januae nec fenestrae, quaeritur utrum possit vel debeat servare Eucharistiam, sint infirmi vel non »; S. C. reposuit: « Detur instructio ad Helvetios. *3 Aug. 1803* ». Haec autem instructio ita se habet: « Ad impedire qualunque irriverenza delle cose sacre, la S. C. non ha giudicato opportuno che dai cattolici si ritenga nella sacrestia, commune ai protestanti, l'olio santo, il santo crisma e la santissima Eucharistia; ma vuole che siano conservate in luogo del tutto separato dagli acatolici, e quando altro non ve ne sia proprio, si conservino piuttosto, con tutta la possibile decenza, nella casa del parroco o di altro cattolico sacerdote » (1).

976. Etiam in ecclesia filiali potest sanctissima Eucharistia servari, cum ecclesia filialis sit quodammodo ecclesiae parochialis prolongatio. Imo, si id expedit pro animarum bono, decet ut servetur; et si est consuetudo illam servandi, et ecclesia matrix illam non habet aut distans est judicio prudentis Ordinarii, servari debet. Quod si ecclesia matrix, conservans Eucharistiam, prope esset, permitti non deberet Eucharistiae asservatio in filiali ecclesia; de qua re S. C. C. in *Cathacen. Parochialitatis, 2 Oct. 1706*, apud Card. Petra, *l. c., n. 28*. Insuper prae oculis habenda est sequens responsio S. R. C. in *Compostellana, 15 Nov.*

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 751*. *Latine*: Ad impediendam quamcumque erga res sacras irreverentiam, S. C. censuit non expedire ut a catholicis in sacrario communi cum protestantibus retineantur oleum sanctum, sacrum chrisma et sanctissima Eucharistia; sed vult ut haec omnia asserventur in loco separato ab acatholicis; et si alius locus proprius non habeatur, asserventur potius cum omni possibili decentia in domo parochi vel alterius sacerdotis catholici.

1890, apud Collectaneam S. C. de Prop. Fide, *n. 2165*. Proposito dubio : « Cum in pastorali visitatione archiepiscopus deprehenderit in multis filialibus ecclesiis seu oratoriis alicujus paroeciae sanctissimam Eucharistiam asservari ubi Missa celebratur tantummodo vel dominicis vel quando sacrum viaticum ad aegrotos ferendum desumitur ; reliquum vero temporis spatium nemo illuc accedit, praeter sacristam ad alendam lampadem, januis clausis ceteroquin manentibus ; hinc quaeritur an sanctissimae Eucharistiae Sacramentum in iisdem ecclesiis servandum permitti possit » ; S. C. reposuit : « Negative, nisi per aliquot dici horas aditus pateat fidelibus sanctissimam Eucharistiam visitare cupientibus ».

977. Quoniam vero ecclesia cathedralis est quodammodo parochia totius dioecesis, hinc benigna canonum interpretatione permittitur et in cathedrali ecclesia, licet curam animarum adnexam non habente, asservari sanctissimam Eucharistiam. At hoc in casu, nempe si ecclesia cathedralis non est parochialis, non est ei onus sanctissimam Eucharistiam habendi, cum agatur potius de privilegio ad eamdem extenso ex favorabili legum interpretatione. Quam maxime vero decere ut ecclesia cathedralis habeat sanctissimam Eucharistiam, nemo est qui non videat ; et episcopus ex amplissimis facultatibus eidem a Concilio Tridentino collatis posset eamdem ad hoc cogere.

978. Tandem et in publicis ecclesiis seu oratoriis Regularium sive virorum sive mulierum cum votis solemnibus permittitur asservatio hujus Sacramenti, quia ecclesiae hujusmodi censentur parochiales respectu regularium in monasterio degentium, vel potius quia est generalis permissio quae respicit omnes hujusmodi conventus. Sed non permittitur asservari in ecclesiis granciarum Regularium absque indulto Sedis Apostolicae, nisi forte grancia sit extra civitatem infirmis destinata. Ad rem facit responsio S. C. C. in *Ulyssiponensi, 3 Sept. 1702*. Cum enim Patres Oratorii petiissent indultum SSmum Sacramentum retinendi in capella ejus granciae seu domus extra civitatem existentis in qua solebant morari aliqui Patres vel ob

infirmitatem vel recreationis causa, maxima difficultas in concessione orta fuit; sed considerando quod locus principaliter destinatus erat pro infirmis, et concurrebat votum Nuntii Apostolici favorabile quod posset concedi tempore quo adessent infirmi, S. C. reposuit juxta votum, arbitrio ejusdem Nuntii, ad septennium, salvis juribus parochialibus.

979. Praeter has ecclesias quas huc usque enumeravimus, in aliis SSmum Sacramentum custodire jure communi non licet. Ut hanc rem exemplis melius declaremus, SSmum Sacramentum custodiri de jure communi non potest in hospitalibus, seminariis, collegiis, conservatoriis privata auctoritate, aut auctoritate solius Ordinarii constitutis, nec in capellis haud publicis Regularium sive virorum sive mulierum. Propositis dubiis in *Salernitana, Jurium parochialium*, *18 Aug. 1702*: « 2° An eaedem Oblatae possint in earum ecclesia asservare SSmum Sacramentum et sacrum oleum infirmorum sine licentia S. C. et consensu parochi »; S. C. C. reposuit: « Citra approbationem Conservatorii... Ad 2um: Non posse sine licentia S. C. ». Hanc responsionem eadem S.C. confirmavit in *Neapolitana, Conservatorii, 2 Julii 1707*. Pariter S. C. C. in *Mexicana*, *15 Maii 1700*, censuit indultum concedendum esse Patribus Oratorii asservandi SSmum Sacramentum in capella intra claustra pro quatuor anni temporibus in quibus fiunt exercitia ab ordinandis, ne distrahantur in ecclesia publica. Imo neque ecclesia collegiata, curam animarum adnexam non habens, SSmum Sacramentum jure communi conservare potest, uti censuit S. C. C. die *7 Sept. 1657*, et explicat Card. Petra, *l. c., n. 24*. Pariter in *Aliphana*, *22 Jan. 1707*, *ad 13um* (n. 3758), S. R. C. declaravit SSmum Eucharistiae Sacramentum retineri non posse in ecclesia seu oratorio confraternitatis.

980. Episcopus jure proprio dare nequit licentiam asservandi in his ecclesiis aut oratoriis SSmum Sacramentum et multo minus Vicarius Generalis, cum non habeant potestatem contra canones. Confirmatur ex responsione S. C. C. in *Neapolitana, an. 1689*, quam refert Genuensis. Propositis enim dubiis: « 1° An episcopus possit concedere

ecclesiae non parochiali ut in ea retineatur SSmum Sacramentum Eucharistiae solum pro adoratione; vel requiratur auctoritas Papae; 2° Praesupposito quod episcopus concesserit licentiam hujusmodi, an episcopus successor dictam licentiam revocare possit »; S. C. reposuit: « Hujusmodi licentiam fuisse nullam, ac propterea ei non esse deferendum, nec esse necessariam revocationem ». Hanc resolutionem sequuta est eadem S. C. in *Neapolitana, Conservatorii, 2 Julii 1707 et 28 Julii 1708*, in qua causa producta fuit licentia Vicarii Generalis. Item S.R.C. in *Nicernen., 8 Martii 1879* (n. 5769), proposito dubio: « 3° Potestne episcopus jure proprio concedere facultatem asservandi SSmum Sacramentum: 1° in ecclesiis seu capellis publicis, quae tamen titulo parochiali non gaudent, etsi utilitatibus parochiae serviant; 2° in capellis piarum Communitatum publicis, idest quarum porta pateat in via publica vel in area cum via publica communicante et quae habitantibus omnibus aperiuntur; 3° in capellis seu oratoriis interioribus piarum Communitatum, quando non habent capellam seu oratorium publicum in sensu exposito, ut evenit, e. g., in seminariis »; S.R.C. reposuit: « Ad 3um: Implorandum est indultum a S. Sede quoad omnia postulata ». Haec responsio, quoad capellas seu ecclesias publicas primo loco recensitas, cohaeret responsioni S.C.C. in *Nonantulana, ad 5um, 16 Jan. et 17 Febr. 1685*; in *Accruatina seu Materanen., 5 Martii 1689*; et haec responsio valet, etsi in ecclesia erecta sit confraternitas, uti in *Justinopolitana, ad 1um, 27 Maii 1634*. Rursus in *Oriolen., 8 Maii 1886* (n. 5970), ad dubium: « 4° Utrum sororibus cujuslibet instituti seu novae Congregationis votorum simplicium quae sive puellarum educationi, sive quibusvis charitatis operibus sedulo incumbunt, episcopus dioecesanus facultatem habeat concedendi privatum oratorium erigendum in ipsarum domibus, plerumque angustis, ut ibi sacrum peragatur, et SSma Eucharistia jugiter asservetur, quin sacerdos ibidem commoretur, sed solae degant Sorores »; S.R.C. reposuit: « Ad 4um: Negative ». Haec negativa responsio non est intelligenda de licentia ce-

lebrandi Missam in oratorio monasterii, quam episcopus concedere potest (*n. 213*, sed de licentia custodiendi in oratorio SSmam Eucharistiam, quam episcopus concedere nequit, obstante in casu duplici lege communi, nempe quae vetat Eucharistiam asservari extra recensitas ecclesias, et quae vetat Eucharistiam quocumque in loco asservari sine sacerdote ejusdem custodiae addicto ; de qua re infra.

981. Quaeritur num consuetudo habendi in ecclesia aut in oratorio SSmum Sacramentum continuari possit licet contraria juri. Cardinalis Petra, *l. c., n. 32*, hanc quaestionem solvit per distinctionem : « Certe si constet ab initio fuisse asservatum ex sola licentia Ordinarii et ei innitatur possessio, tunc, cum haec proveniat a radice et titulo infecto, possessio ipsa remanet non canonizabilis, ut fuit resolutum in cit. *Neapolitana* apud Genuensem, et in eadem *Neapolitana, Conservatorii*, in quo casu adducebatur possessio ultra saeculum, et tamen cum fuerit producta licentia Vicarii et decretum Cardinalis Archiepiscopi successivum ut non molestaretur Conservatorium pro asservatione Sanctissimi, et aliquae visitationes cum enuntiativa dictae asservationis, tamen non fuit canonizata talis possessio, quia canonizaretur quoque titulus, nempe licentia Vicarii super qua ea innititur, et possessio non alias suffragetur nisi quia praesumere facit licentiam Sedis Apostolicae ; quae praesumptio cessat dum constat de licentia Ordinarii, ut apud Card. de Luca, *De regularib., disc. 18, n. 3, § verum etc.* ». Deinde vero doctus auctor, docet sufficere, si titulus infectus productus non fuit, consuetudinem immemorialem aut centenariam, quarum vis solet aequiparari ; item sufficere consuetudinem quadragenariam una cum titulo putativo inducente bonam fidem ; sed non sufficere consuetudinem quadragenariam simplicem. Hanc doctrinam probat Benedictus XIV in const. *Quamvis justo, 30 April. 1749*, sed, quoad alterum distinctionis membrum, unam videtur admittere immemorialem consuetudinem, ibi : « Juxta canonicam disciplinam sacrosancta Eucharistia in ecclesiis quae parochiales non sunt, retineri non potest absque praesidio apostolici indulti vel immemorabilis consuetudinis quae hujusmodi indulti prae-

sumptionem inducit, ut late ostenditur in commentariis bon. mem. Cardinalis Vincentii Petra ad Romanorum Pontificum constitutiones ac signanter ad *const. I Urbani IV, sect. un., n. 29 et sequ., tom. 3* ».

982. Sedes Apostolica hoc indultum concedere solet per S. C. C. ad quam dirigi debent hujusmodi supplices libelli ; sed nonnumquam hoc indultum datur etiam per Breve.

Plures Congregationes religiosae cum votis simplicibus hoc indultum habent pro suis oratoriis ; e. g. Filiae Charitatis S. Vincentii a Paulo illud obtinuerunt a Gregorio XVI per Breve *Charitatis viscera, 14 Maii 1833*, cum sequentibus clausulis quae in aliis similibus indultis apponi solent : « Concedimus et indulgemus ut in aedibus Filiarum Charitatis ubique positis, dummodo inibi saltem numero quinque sint contubernales, vel secus plures puellae institutionis causa penes eas degant, sacellum possit haberi decenter tamen ornatum et ab omnibus domesticis usibus liberum atque ab episcopo prius de more visitandum ; ibique super ara quae necessaria supellectili pro dignitate sit instructa, libere liciteque sanctissimum Eucharistiae Sacramentum possit asservari cum lege quidem ut ante tabernaculum quo divina hostia continetur, diu noctuque lampas alatur, utque ejus tabernaculi clavis maneat penes sacristam sive aedituum qui fida illam custodia tueatur ». Hac de re in cit. *Oriolen. (n. 980)*, propositis dubiis : « 1° Utrum litterae Apostolicae quae incipiunt *Charitatis viscera* a s. m. Gregorio PP. XVI datae sub die *14 Maii 1833* in favorem Filiarum Charitatis S. Vincentii a Paulo pro oratorio privato erigendo in ipsarum domo, suffragentur ut Missae ibidem celebrari possint, quando iisdem aedibus ubi degunt, vel quibus deserviunt, publica aliqua ecclesia annexa sit ; 2° Et quatenus affirmative, an in ejusmodi oratoriis strictim privatis (1) asservari queat SSmum Eucharistiae Sacramentum minime obstante quod in adnexa ecclesia, uti superius, idem SSmum Sacramentum in tabernaculo jugiter custodiatur » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um et 2um : Affirmative ».

(1) Haec oratoria sunt potius semi-publica vel semi-privata (*n. 189*).

S. Sedes hanc licentiam concedere non solet pro capellis ruralibus, non solum propter metum irreverentiae, sed etiam quia tantum Sacramentum in loco minus solemni retineri non decet. At si capella distat ab ecclesia parochiali, adest populi concursus, et necessaria pro custodia decenti concurrant, solet annuere ; sicuti in *Neapolitana, 31 Junii 1706*, et in *Fundensi, 17 Febr. 1883*. In *Tiburtina, 27 Maii 1702*, demandavit ut prius erigeretur aliqua capellania residentialis pro custodia et cura SSmi Sacramenti et postea supplicaretur pro indulto. Solet quoque, quando agitur de ecclesia in quo adsit aliqua confraternitas, sive collegium ecclesiasticorum vel laicorum, rescribere cum clausula : *Sine praejudicio jurium parochialium et de consensu episcopi*, uti in cit. *Neapolitana, 31 Junii 1706*, et in cit. *Ulyssiponensi, 6 Sept. 1706*; sed non requirit praevium parochi consensum.

Multo minus hanc licentiam concedere solet pro capellis privatis domorum privatarum, nisi in casibus extraordinariis, gravibus de causis, praevia commendatione episcopi et additis opportunis cautelis.

Indultum pro locis Missionum, durante persecutione, asservandi SSmum Sacramentum in loco decenti pro communione infirmorum, vide in Collectanea S. C. de Prop. Fide, n. 749; simile indultum pro locis haereticorum et infidelium, si absque sacrilegii periculo viaticum ad infirmos ex ecclesia seu oratorio deferri nequit, retulimus *n. 975, 1103*.

983. Non raro episcopi ex Apostolicae Sedis indulto possunt concedere, praesertim communitatibus religiosis, licentiam retinendi in suis oratoriis SSmam Eucharistiam. Hoc in casu ipsos debere indulti clausulas sedulo servare omniaque cavere quae reverentia erga SSmum Sacramentum exigit, evidens est. Quod si in casu aliquo extraordinario ad ministrandum infirmo viaticum necesse esset in aliqua ecclesia conservare Eucharistiam, episcopus etiam absque apostolico indulto temporaneam facultatem concedere posset, imo si necessitas ita urget ut ne dilationem veniae ab episcopo petendae pateretur, tunc etiam absque ejus li-

centia SSmum Sacramentum in ecclesia, durante necessitate, conservari posset, cum non praesumatur Ecclesia, pia mater, cum tanto incommodo suam legem urgere velle.

Huc usque de ecclesiis in quibus sanctissimam Eucharistiam asservare licet.

984. 2° Quod spectat ad altare, si ad veterem Ecclesiae disciplinam attendamus, reperiemus SSmum Sacramentum non semper in ecclesiae altari asservatum fuisse. Primo enim servatum fuit in capsulis aureis quae in aureis vel argenteis columbis recludebantur, uti nunc quoque mos est apud Graecos, vel etiam in armariolis parieti Ecclesiae, ut plurimum, defixis, in loco quam maxime recondito quod *sacrarium* quoque appellabant (*n. 1004*). Postea servatum fuit in armariolis positis ad dexterum cornu altaris, in eminentiori parietis loco ita ut ab omnibus conspici potuerint; uti nunc etiam perspicimus Romae in pervetusta basilica Sessoriana, S. Crucis in Hierusalem vulgo appellata. Tandem servatum fuit in medio altaris. Ultimus tamen hic mos perraro in antiquitate reperitur; imo et cum ejus usus incepit, haud omnes ecclesiae eadem se ratione gerebant. In quibusdam enim ecclesiis armariolum, in quo erat columba vel calix panem consecratum continens, ad pedes crucis in medio altaris collocabatur; in aliquibus vero columbae, Sacramentum continentes, velo serico coopertae, super altare appensae erant cuidam baldacchino, qui aliquando ciborii nomen obtinebat. Hodierna disciplina est SSmum Sacramentum esse asservandum in medio altaris in tabernaculo; de quo infra (1).

985. Porro vetitum est SSmum Sacramentum custodiri in pluribus simul altaribus ejusdem ecclesiae; nec contraria consuetudo sustinetur. Id expresse traditur ab Honorio III in *cap. 5, De celebratione Missarum*, etc., ibi: « Districte praecipiendo mandamus quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco *singulari*... conservetur ». Pariter id satis apparet ex relatis verbis Ritualis Romani, ibi: *In altari majori vel in alio*, et ita saepius S. R. C. decla-

(1) Benedictus XIV, in const. *Accepimus*, 16 Julii 1746.

ravit. In *Augustae Praetoriae, 21 Julii 1696* (n. 3392), episcopus exposuit : « 3° Quod SSmum Eucharistiae Sacramentum continuo retinetur in eadem ecclesia super duplici altari, nimirum super altari chori et super alio S. Joannis Baptistae, ratione parochiae eidem cathedrali unitae ». S. C. reposuit : « Ad 3um : SSmam Eucharistiam servandam esse in uno tantum altari designando ab episcopo ». Et in *S. Jacobi de Chile, 16 Martii 1861* (n. 5310), proposito dubio : « 13° Utrum ferri possit consuetudo plurium ecclesiarum hujus archidioeceseos, et praesertim Regularium, asservandi SSmam Eucharistiam in duobus aut tribus altaribus ; et nonnumquam occasione novendialis aut alicujus festivitatis transferendi etiam in aliud altare diversum ab illis in quibus ordinarie asservatur » ; S. C. reposuit : « Ad 13um : Negative ». Et in *Cuneen., 2 Junii 1883* (n. 5874), ad dubium : « 6° Utrum occasione alicujus festi, tridui novendialis, mensis, v. g., Maii B. M. V. dicati, Junii in honorem SSmi Cordis Jesu, liceat SSmam Eucharistiam ab altari majori super quo asservatur, ad altaria transferre in ecclesiae lateribus erecta, ut in festo sive per triduum, novendiale, mensem et sacra communio in iis distribuatur et populo benedictio impertiatur » ; S. C. reposuit : « Ad 6um : Affirmative, dummodo tamen SSma Eucharistia in duobus altaribus continuo non asservetur ».

In collectione Gardelliniana duo tantum casus reperiuntur in quibus S. R. C. rescripsit in duobus altaribus SSmum Sacramentum conservari posse. Primus est in *Urgellen., 5 Dec. 1868, ad 2um* (5620). SSmum Sacramentum servabatur in ecclesia cathedrali et in adnexa capella quae cum cathedrali communicabat, portam tamen habens propriam, et ex qua (capella) aliquoties viaticum ad infirmos deferebatur. S. C. censuit hanc consuetudinem retinendam esse. Alter est in *Gandaven., 18 Maii 1878, ad 2um* (n. 5729), nimirum si in altari majori adest expositio perpetua SSmi Sacramenti, veluti fit in ecclesiis sanctimonialium Adoratricium, SSmum Sacramentum servari quoque debet in alio altari laterali pro comunione fidelibus distribuenda.

986. Si autem quaeratur cuinam altarium honor hujusmodi tribuendus sit, respondemus Rituale Romanum in Rubrica *De sanctissimo Eucharistiae sacramento*, statuere : « In altari majori vel in alio quod venerationi et cultui tanti Sacramenti *commodius* et *decentius* videatur, sit collocatum tabernaculum ita ut nullum aliis sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum offeratur ». Haec intelligenda sunt de tabernaculo pleno, idest una cum SSmo Sacramento. Inter igitur altari, pro dicta asservatione destinato, convenire debent, commoditas atque prae aliis decentia : solum feria VI in *Parasceve*, post expletam *sepulchri* caeremoniam, SSmum Sacramentum asservari debet in tabernaculo posito super altare alicujus remotioris capellae in ecclesia, vel quod congruentius in sacristia.

987. Hinc ob defectum primae qualitatis SSmum Sacramentum conservari nequit in altari majori cathedralis ecclesiae, quod expresse etiam tradit *Caeremoniale episcoporum*, *lib. I, cap. XII, § 8*, et servatur etiam in patriarchalibus Urbis. Ratio est quia continuitas sacrarum functionum non raro officere posset ipsi reverentiae Sacramento debitae et libero ac expedito usui sacrarum specierum qui aliquando nec minimam patitur moram. Ita declaravit S. C. EE. et RR. in *Casertana, 28 Nov. 1596* : « Tabernaculum SSmi Sacramenti in cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones pontificales quae fiunt versis retribus ad altare : in parochialibus vero et regularibus ecclesiis debet esse in altari majori regulariter tamquam digniori ». Et in *Casalensi, 16 Maii 1708*, ad dubium 72um : « An sit removendum tabernaculum ubi asservatur Venerabile, ab altari majori et transferendum in aliquo sacello pro fixa custodia ejusdem Venerabilis omni qua decet reverentia » ; S. C. C. reposuit : « Affirmative per episcopum cum consensu Capituli ». Et S. R. C., in *Sabinen., 6 Febr. 1875* (n. 5588), ad dubium : « I. An attenta peculiari structura Cathedralis Sabinen. et saeculari consuetudine in eadem vigente, retineri possit SSmum Eucharistiae Sacramentum in altari majori, ea vel maxime quod id non vetetur a *Caeremoniali episcoporum*, sed solum uti ultimo opportunum id prohibeatur » ; reposuit : « Ad 1um : Negative ».

Card. Petra, *l. c.*, *n. 17*, docet ex eadem ratione congruentius esse ut idem pariter servetur in ecclesiis collegiatis ob Missas cum cantu in altari majori celebratas. De facto tempore illarum Eucharistia in alio altari collocari solet; sed melius esset, si in proprio sacello extra majus altare retineretur, ne hac assidua translatione aliqua irreverentia committatur.

Altare autem in quo asservatur SSma Eucharistia in cathedralibus et collegiatis nec sit amovibile in medio ecclesiae, nec sit in conspectu chori; de qua re S. R. C. egit in *Romana*, *14 Junii 1846* (n. 5028).

988. Tandem in ecclesiis parochialibus et regularibus aliisque quae ex Apostolico indulto possunt Eucharistiam retinere, haec *regulariter* servari debet in altari majori, tanquam digniori, ut supra docuit S. C. EE. et RR. in *Casertana*. Proinde dari possunt casus in quibus in his etiam ecclesiis licet SSmum Sacramentum in altari laterali custodiri, e. g., si altare laterale est magis commodum ac decens et SSmum Sacramentum ibi melius custoditur. Confirmatur ex responsione S. R. C. in *Gandaven.*, *18 Maii 1878* (n. 5729), ad petitionem architectorum qui in dioecesi Gandavensi ecclesiis construendis operam dabant. Propositis enim dubiis: « 1° An tabernaculum in quo asservatur SSmum Sacramentum debeat in altari majori ecclesiae necessario collocari; 2° Et quatenus negative: Quaenam regulae prae oculis habendae sint in constructione altaris pro asservando Sacramento »; S. C. reposuit: « Ad 1um: Negative. Ad 2um: Regulae in casu servandae prudenti arbitrio Ordinarii determinentur ».

Insuper nil prohibet quominus in his ecclesiis ad tempus, e. g., mense Maio dicato B. M. V., aut mense Junio dicato SSmo Cordi Jesu, pro majori fidelium utilitate, SSmum Sacramentum custodiatur in altari laterali potius quam in majori, prout declaravit etiam S. R. C. in *S. Jacobi de Chile* supra citata.

Quod si SSmum Sacramentum asservatur in altari secundario a latere epistolae altaris majoris, providendum aliquo modo erit ne ministri in Missa solemni ad altare majus

celebrata sedentes in latere epistolae, reverentiae debitae SSmo Sacramento deficiant; uti reposuit eadem S. C. in *Ravennaten.*, *7 Dec. 1844* (n. 4996).

989. Super altari in quo SSmum Sacramentum asservatur, debere esse baldacchinum, diximus *n. 308*. Insuper vetitum est in exequiis et Missis cantatis *de requie* nigro panno et pallio ejusdem coloris ornare altare in quo SSmum Sacramentum servatur, uti S. R. C. pluries rescripsit. In *Nesqualien.*, *1 Dec. 1882* (n. 5858), ad dubium : « Utrum prohibitio de qua supra, respiciat altare ubi asservatur SSmum Sacramentum extra tempus quo illud exponitur, et in ecclesiis ubi hujusmodi altare majus vel unicum est » ; S. C. reposuit : « In casu tum sacri tabernaculi conopoeum tum pallium altaris esse debent violacei coloris ». De conopoeo et pallio altaris ubi expositum est SSmum Sacramentum, vide *n. 1040*.

990. Tandem in nulla ecclesia SSmum Sacramentum conservare licet, nisi adsit presbyter qui ejusdem curam habeat et Missam vel per se vel per alium celebret. Id ipsa rei natura suadet et expresse tradit S. R. C. in *Firmana*, *16 Martii 1833* (n. 4700). Nam sacerdos quidam rurali ecclesiae ubi SSmum Sacramentum servabatur, uti aedituus addictus, quaesivit num teneretur ibi residere ut sacrosanctum Missae sacrificium quotidie celebraret, vel an posset quinque vel sex dies quolibet mense abscedere ut aliis obligationibus in alia ecclesia vacaret. S. C. reposuit : « Teneri ad residentiam et quotidianam Missae celebrationem vel per se vel per alium ». Rursus in *Papien.*, *23 Nov. 1880* (n. 5819), ad dubium : « 2° An in nosocomio Papiensi permitti valeat quatenus in uno ex duobus sacellis ibi existentibus SSmum Eucharistiae Sacramentum servetur, etsi in eo nec omnibus diebus festivis sacrum peragatur, vel prohiberi id omnino debeat, non obstante periculo cui subessent infirmae moriendi absque SSmo viatico ob incommodum satis grave pro sacerdote adeundi alterum sacellum ut sacra synaxis eisdem procuretur » ; eadem S. C. reposuit : « Ad 4um : Negative et ad mentem. Mens est ut sacerdos ex proximo sacello sumat SSmam Eucharistiam

eamque deferat infra pectus capsula inclusam ». Vide etiam responsionem ejusdem S. C. in *Altonen.* (*n. 1004*) ; in *Compostellana* (*n. 976*) ; in *Oriolen.* (*n. 980*).

991. Haec patiuntur exceptionem. Nam in cit. *Oriolen.*, post dubia cum responsionibus relata cit. *n. 982*, ad dubium : « 3° Et quatenus affirmative, an tolerari possit quod in ejusmodi privatis oratoriis (Filiarum Charitatis) SSma Eucharistia diu noctuque servetur absque sacerdote ibidem commorante, solis sororibus veluti concredita » ; S. R. C. censuit : Ad 3um : « Affirmative, servatis conditionibus in apostolico Brevi contentis ». Hanc responsionem applicandam esse aliis quoque familiis quae simile a Sede Apostolica habuerunt indultum, non dubitamus.

Articulus II.

De modo sanctissimam Eucharistiam custodiendi.

992. Rubrica Ritualis Romani, *De sanctissimo Eucharistiae sacramento*, postquam monuerit parochum debere hoc venerabile Sacramentum qua decet reverentia debitoque cultu tractare, custodire et administrare, addit : « Curare porro debet ut perpetuo aliquot particulae consecratae eo numero qui usui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pyxide ex solida decentique materia eaque munda et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta et quantum res feret, ornato in tabernaculo, clave obserato. Hoc autem tabernaculum conopoeo decenter opertum atque ab omni alia re vacuum in altari majori vel in alio quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur, sit collocatum ita ut nullum aliis sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. Lampades coram eo plures, vel saltem una, diu noctuque perpetuo colluccat curabitque parochus ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata integra mundaque sint et conserventur. Sanctissimae Eucharistiae particulas frequenter renovabit. Hostiae vero, seu particulae consecrandae, sint recentes et ubi

eas consecravit, veteres primo distribuat vel sumat ». Ut haec paulisper declaremus, loquemur distinctim de tabernaculo, de pyxide, de lampade ac de renovatione ac translatione SSmi Sacramenti.

993. 1° In primis in altari ubi asservatur SSmum Sacramentum debet esse tabernaculum extra quod Eucharistiam custodiri non licet. Illa verba Ritualis : *Et quantum res feret*, referuntur ad ornamenta ipsius tabernaculi, non ad ipsum tabernaculum, veluti si non esset jure praescriptum SSmum Sacramentum esse in tabernaculo asservandum. Per hoc vero minime reprobare intendimus praxim in aliquibus locis introductam et ab Ordinariis probatam, qua, ad praecavenda sacrilega furta, SSmum Sacramentum nocte, januis Ecclesiae clausis vel jam claudendis in alium locum tutum, plerumque in sacrarium transfertur ut ibi melius custodiatur in capsa quam vulgo appellamus *coffre-fort*. Et quidem tabernaculum debet esse in medio altaris et consuetudinem asservandi Eucharistiam ad latus in pariete vel in turricula ad id constructa, reprobavit S. R. C. in epistola ad episcopum Limburgensem die *21 Aug. 1863* missa nomine Summi Pontificis.

Veterem autem disciplinam vide *n. 984*.

994. Tabernaculum communiter ex ligno conficitur et super marmorea altaria ex marmore. In aliquibus locis majoris securitatis gratia metallicum praescribitur ; quae praescriptio servanda est et si ecclesiae paupertas illam servare non permittit, Ordinarius qui legem tulit, consulendus est. Rituale Romanum, *l. c.*, materiam tabernaculi nullo modo determinat.

995. Rituale Romanum jubet tabernaculum debere esse conopoeo decenter opertum. In *Briocen.*, *21 Julii 1855* (n. 5221), proposito dubio : « 1° Utrum 1° tabernaculum in quo reconditur SSmum Sacramentum conopoeo cooperiri debeat, ut fert Rituale : et quatenus affirmative ; 2° Utrum conopoeum istud confici possit ex panno sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto ; 3° Cujusnam coloris esse debeat ? Aliis opinantibus, ut Barufaldus, conopoeum debere esse coloris albi utpote convenientis SSmo Sacramento,

aliis autem, ut Gavantus, ejusdem coloris cujus sunt pallium altaris et cetera paramenta pro temporis festique ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exequiis defunctorum » ; S.R.C. reposuit : « Ad 12um : Quoad primam quaestionem, affirmative. Quoad secundam, pariter affirmative. Quoad tertiam utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti quae pro se habet usum ecclesiarum Urbis ». Necessitatem conopoci, exterius cooperientis tabernaculum eadem S. C. confirmavit in *Sancti Jacobi de Chile, 1 Sept. 1866* (n. 5368) inferius citanda; et in *Societatis Jesu, 12 Maii 1878* (n. 5729), ad dubium : « 12° An usus conopoci super tabernaculo nunc censeatur obligatorius et an pretiosa ornamenta ipsius tabernaculi dispensent »; S.R.C. reposuit : « Ad 12 : Detur decretum in *Briocen., 21 Julii 1855, ad 12um* ». Imo in *Auxitana, 7 Aug. 1880* (n. 5846), ad dubium : « Utrum tabernaculum SSmi Sacramenti, argento, auro vel alia pretiosa materia confectum, eo ipso a generali obligatione illud tegendi conopoeo sit immune » ; S. C. reposuit : « Servetur praescriptum Ritualis Romani ». Proinde contraria consuetudo plurium ecclesiarum non videtur sustineri posse, nisi praegrandioris tabernaculi forma ejusdemve structura reddat impossibilem conopoci appositionem (1), aut attentis peculiaribus loci circumstantiis, id exigat decor et reverentia erga SSmum Sacramentum. Huc spectat responsio S. R. C. in *Vicariatus Apostolici utriusque Guineae, 27 Julii 1878* (n. 5738). Nam exposuit Vicarius Apostolicus in illis regionibus tabernaculum conopoco coopertum varii generis insectis indecenter pollutum saepe saepius reperiri, ita ut etiam quando aperiebatur, insecta in tabernaculum ipsum penetrarent. Proinde quaerebat num in casu permittere posset ut SSmum Eucharistiae Sacramentum recondi posset in tabernaculo, quin hoc conopoco cooperietur. S. C. reposuit : « Prudenti arbitrio Ordinarii, qui provideat, attentis loci conditionibus ».

996. Interius tabernaculum ornari solet velo serico albo.

(1) *Ephemerides liturgicae, 1896, pag. 359 sequ.*

Haec praxis nullo modo est contraria Rituali et servari potest, sed non est obligatoria. Hinc in citata *Sancti Jacobi de Chile*, cum archiepiscopus exposuisset ab antiquo tempore vigere in sua dioecesi consuetudinem non cooperiendi conopoeo tabernaculum sed intus tantum velo pulchriori serico, saepe etiam argento aut auro contexto ornari, S. C. reposuit: « Usum veli praedicti tolerari posse, sed tabernaculum tegendum esse conopoeo juxta praescriptum Ritualis Romani ». Et in *Urgellen.*, *16 Maii 1871* (n. 5490), ad dubia: « 7° Utrum sit de necessitate interiora tabernaculorum panno serico albo contegere, an aequivaleat et sufficiat simplex auratura; 8° Cum plurima tabernacula hujus dioecesis intus deaurata tantum existant, possuntne saltem tolerari quae ita fabricata reperiuntur »; S. C. reposuit: « Ad 7um: Non esse necessarium. Ad 8um: Provisum in praecedenti ».

At ipsum Rituale Romanum praescribit tabernaculum debere *esse ab omni alia re vacuum*, exceptis vasis quae continent SSmum Sacramentum, vel illud continuerunt et nondum purificata sunt, et corporali benedicto vel palla benedicta subter ciborium aliudve vas continens SSmum Sacramentum. Proinde in tabernaculo nequeunt una cum SSmo Sacramento asservari vasa vacua et purificata, sacra olea, sacrae reliquiae sive sanctae Crucis, sive Sanctorum, et multo minus claves, purificatoria aliaque id genus. Id declaravit etiam S. C. EE. et RR., *3 Maii 1693* et religio plane suadet.

In *Toletana*, *20 Sept. 1806*, *ad 2um* (n. 4505), S. C. declaravit tabernaculum quod cum parvis fenestris confectum erat, ita esse obtegendum ut vas in quo SSmum Sacramentum asservabatur, a circumstantibus nullo modo videri posset.

997. Praeterea tabernaculum debet esse clavi obseratum ad praescriptum tum prudentiae naturalis, tum Ritualis Romani, tum Innocentii III in *cap. 1*, *De custodia Eucharistiae*, quod *n. 973* retulimus. Imo in nonnullis locis statuta dioecesana aut provincialia praecipiunt duplicem tabernaculi clavem, ut, una omissa, alia praesto sit; insuper

ut clavis sit argentea, vel saltem ferrea, sed deaurata vel deargentata.

998. Clavis tabernaculi custodiri debet a sacerdote qui ecclesiae curam habet, prout SS. CC. pluries declaraverunt, contrariam reprobantes consuetudinem. Nimirum, si agitur de ecclesia monialium, clavis tabernaculi custodiri debet, non a monialibus inter septa monasterii, sed a capellano. Hinc in *Societatis Jesu, 11 Maii 1878* (n. 5728), ad dubium : « 8° Invaluit usus apud moniales ut clavis tabernaculi non penes capellanum, sed inter septa monasterii asservetur, etiam cum domus capellani finitima est monasterio : an servari possit talis usus » ; S. R. C. reposuit : « Ad 8um : Negative ». Pariter quando Congregationibus religiosis cum votis simplicibus permittitur retinere in suis oratoriis SSmum Sacramentum, tabernaculi clavis custodienda est a sacrista vel aedituo (*n. 982*). Si agitur de parochiali ecclesia, clavis tabernaculi a parocho custodiri debet. In *Bajonen., 13 Sept. 1879* (n. 5794), proposito dubio : « 2° Utrum custodia et cura venerationis Sanctissimi in ecclesia cathedrali pertineat jure ad parochum vel ad capitulum » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Etsi cura et custodia SSmi Sacramenti pertineat ad parochum juxta consuetudinem ecclesiarum, attamen Capitulum invigilet, ut res sacrae rite expleantur ». Quod si in altare Sanctissimi parochialis ecclesiae erecta sit confraternitas, jus retinendi clavem tabernaculi spectare tum ad parochum tum ad confraternitatis capellanum, reposuit eadem S. C. in *Eugubina, 7 Aug. 1717, ad 16um* (n. 3902). Tandem S. C. C. in *Neapolitana, 14 Nov. 1693*, declaravit claves tabernaculi retinendas esse a parocho privative ad sacristam et capellanum.

999. Proinde necessarium est indultum apostolicum ut persona alia quam ecclesiae rector tabernaculi clavem custodire licite valeat. Hujus indulti exemplum habes in Collectanea Parisiensi, *n. 336*, ubi Pius IX die *13 Dec. 1874* Vicario Apostolico N. : « benigne impertire dignatus est, ut quando, vi facultatum a S. Sede acceptarum, indultum concedit retinendi SSmum Sacramentum in domibus religiosis aliisque piis institutis, dispensare valeat ab obli-

gatione clavis tabernaculi tradendae alicui sacerdoti ab eoque retinendae, si rationabilis adsit causa ac quammodo aliter ejusdem clavis custodiae provideatur ». De facto in domibus religiosis cum votis simplicibus clavis tabernaculi, absque speciali apostolico indulto, saepe custoditur a sorore in sacrario, quando scilicet non est sacerdos oratorio addictus (*n. 982*). Putamus hanc praxim quae in casu videtur necessaria, continuari posse, donec a S. R. C. non reprobetur. Etiam in domibus privatis (cit. *n. 982*, in fine) clavis tabernaculi custoditur in sacrario saepius cura familiae, potius quam capellani.

1000 Porro rector ecclesiae ad quem custodia clavis tabernaculi pertinet, eamdem retinere debet apud se, aut in alio loco, e. g., in sacrario sub alia clavi custoditam; ut expresse praecipit S. C. EE. et RR. in epistola encyclica quam, jubente Innocentio XIII, misit ad omnes locorum Ordinarios ac superiores Regulares die *8 Jan. 1724*; similem epistolam eadem S. C., jussu Benedicti XIV, dedit die *9 Febr. 1751*, qua omnia quae in praecedentibus mandata fuerant, confirmat. Proinde reprobanda est consuetudo relinquendi clavem tabernaculi in ipso tabernaculi ostiolo; vel super altare ad pedes tabernaculi; vel in sacrario omnibus obviam. At rector ecclesiae, eamdem in sacrario retinens sub alia clavi, potest hanc committere sacristae pro tempore quo ipse praesens non est et clavis tabernaculi necessaria esse potest; quod et praxis ubique recepta confirmat. Innocentius III, in cit. *cap. 1, De custodia Eucharistiae (n. 973)*, poenas decernit in illum qui Eucharistiae custodiam habens, eam incaute reliquerit; quas renovat et auget S. C. EE. et RR. in citatis epistolis. Eae poenae non amplius vigent, cum non leguntur in const. *Apostolicae Sedis*; sed Ordinarius potest non solum delictum praeteritum punire, sed etiam censuras latae sententiae in negligentem custodem constituere, sicuti fecit Innocentius III, *l. c.*

1001. Haec quae diximus repetenda quoque sunt de *sepulchro* in quo feria V majoris hebdomadae reconditur SSmum Sacramentum; scilicet sepulcrum debet esse clave clausum et clavem custodire debet sacerdos crastina die

celebraturus, non obstante contraria consuetudine, et licet persona cui clavis remitti soleret, esset in altioribus dignitatibus civilibus constituta. Ita S. R. C. pluries declaravit, e. g., in *Pacen.*, *30 Jan. 1610* (n. 420); in *Hispalen.*, *9 Julii 1633* (n. 987); in alia *Hispalen.*, *22 Nov. 1637* (n. 1048); in *Calaguritana*, *12 Sept. 1642* (n. 1412; in *Granaten.*, *26 Jan. 1664* (n. 2257); in *Carthaginen.*, *15 Mart. 1732* (n. 4007); in *Tiburtina*, *7 Dec. 1737* (n. 4069), etc.

1002. Canonicae constitutiones quas huc usque retulimus, de SSmae Eucharistiae custodia, eo tendunt ut furtum SSmi Sacramenti, quantum fieri potest impediatur, prout expresse etiam affirmat Innocentius III, *l. c.* Furtum Eucharistiae esse maximum inter omnia sacrilegia, merito docet S. Thomas, *3 p.*, *q. 99*, *a. 3*, cum SSmum Sacramentum primum locum obtineat inter res sacras. Ingerit suspicionem de haeresi et ideo fur a tribunali S. Officii puniendus est, si sacras hostias, etiam sine ciborio, asportavit; quod si, relictis sacris hostiis in tabernaculo, solum ciborium vel ostensorium cepit, sicuti cetera sacra utensilia, fur tribunalibus ordinariis subjicitur (1).

Innocentius XI per const. *Ad Nostri apostolatus*, *IV id. Martii 1676*; Alexander VIII per const. *Cum alias*, *22 Dec. 1690*; Benedictus XIV per const. *Ab augustissimo*, *5 Martii 1754*; Clemens XIII per const. *Gravissimum*, *20 Maii 1760*, contra sacrilegos sacrarum hostiarum fures, qui annum vigesimum primum excesserint, poenam mortis constituunt ac plura subterfugia praecludunt. Haec autem in praesentibus circumstantiis applicari non possunt; proinde hodie tanti facinoris rei poenis aliis qua fieri potest gravioribus plectendi forent tum a laicali tum ab ecclesiastico judice. In *Albanen.*, *mense Maio 1588* (n. 1) rector ecclesiae narrat Turcas abstulisse ciborium et cum particulae non reperirentur, quaerit quid faciendum de pulvere ecclesiae, cum fortasse suspicari posset particulas fuisse in ecclesiae pavimentum projectas. S. R. C. nonnul-

(1) De Albertis, *De sacris utensilibus*, *cap. XVI*, § 2°, *n. 66*.

las praescripsit cautelas, quae eo tendebant ut sacrae hostiae, vel earum partes, etiam minimae, reperiri possint, si in pulvere ecclesiae dispersae jacerent, et debita reverentia eisdem servaretur.

1003. Tandem notandum est vetari omnino super tabernaculum poni reliquias, imagines, flores, aut quid aliud, veluti si tabernaculum inserviret pro basi. Sane in *Decreto Generali, 31 Martii-3 Aprilis 1821* (n. 4378), ad dubium : « An toleranda vel eliminanda sit consuetudo quae in dies invalescit superimponendi Sanctorum reliquias pictasque imagines tabernaculo in quo augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem tabernaculum pro basi inserviat »; S. R. C. reposuit : « Ad 6um : Assertam consuetudinem tanquam abusum eliminandam omnino esse ». Deinde in *Tridentina, 12 Martii 1836, ad 1um* (n. 4777), eadem S. C. declaravit hoc decretum valere etiam pro reliquiis S. Crucis aut alterius instrumenti dominicae Passionis. Proinde reliquiae et flores hinc inde ponantur ita ut tabernaculum aliquantulum emineat et reliquiae floresque res secundariae sint ac ad tabernaculi ornatum.

Parva crux tabernaculo superimponi potest (*n. 773*); quoad majorem crucem cum crucifixi imagine inter candelabra (*n. 769*), non habemus decretum prohibens eamdem super tabernaculum collocari. Proinde melius est ut extra colloceetur, sed etiam super tabernaculum retineri posse putamus, saltem si altare ita confectum est ut crux nonnisi super tabernaculum poni possit.

Praeterea in *Congregationis Montis Coronae, 22 Jan. 1701* (n. 3575), ad dubium : « 1° An ante ostiolum tabernaculi SSmi Sacramenti retineri possit vas florum vel quid simile quod praedictum occupet ostiolum cum imagine Domini Nostri in eodem insculpta »; S. C. reposuit : « Ad 10um : Negative : posse tamen in humiliori et decentiori loco ». Et rursus in *Sancti Angeli in Vado, 6 Sept. 1845* (n. 5033), declaravit ante ostiolum tabernaculi nec esse ponendam reliquiam Sancti cujus festum agitur, non obstante immemorabili consuetudine. Igitur ante tabernaculum nihil nisi major tabella pro Missa celebranda tempore Missae apponatur.

1004. 2° De *ciborio* seu *pyxide* nunc agentes, animadvertimus in vetustis monumentis *ciborii* nomine venire totam illam custodiam qua altare protegebatur, per modum tecti super illud extructam et columnis fultam; ex medio illo tecto plerumque pendulum erat sacrum vasculum, in modum columbae vel turriculae confectum, quod SSmam Eucharistiam continebat (*n. 984*). Hodie ciborium seu pyxis est sacrum illud vas quod continet SSmam Eucharistiam in tabernaculo servandam, ad praescriptum Ritualis Romani supra relati, et nonnumquam dicitur etiam *tabernaculum* lato sensu.

Reprobanda omnino est praxis servandi in tabernaculo Eucharistiam extra vas, super corporali. Ita declaravit S.R.C. in *Altonen., 17 Febr. 1881* (n. 5822). Nam ad dubium: « Utrum deficientibus aliis mediis ad impediendum quominus vasa sacra ex metallo confecta in quibus asservatur sanctissimum Eucharistiae sacramentum tabernaculo a furibus diripiantur sacras species nefando scelere profanantibus, episcopo liceat praecipere ut SSma Eucharistia in corporali tantum involuta custodiatur, quoties timeatur periculum expositi facinoris »; S. C. reposuit: « Non expedire et curet episcopus ut sacra Eucharistia cautius custodiatur ». Deinde autem Secretarius S. C. monet episcopum ut provideat quatenus in quavis ecclesia ubi SSmum Sacramentum retinetur, numquam desit custos, qui prope eam commoretur, prouti ab ecclesiasticis praescriptionibus sancitum est.

1005. Quoad ciborii materiam Rituale Romanum, *l. c.*, exigit tantum *solidam et decentem*, quin ulterius eam determinet. Certe expedit ut ciborium, sicut patena (*n. 748*), conficiatur ex eadem materia quae pro calice praescribitur, nempe ex auro vel argento vel stamno intus deaurato. Sed S. R. C. in *Sancti Hippolyti, 31 Aug. 1867* (n. 5386), ad dubium: « 7° An permitti possit ciborium seu pyxis, monstrantia et lunula ex cupro deaurato »; reposuit: « Ad 7um: Affirmative ». Imo propter verba generalia Ritualis Romani non bene constat de vero inaurationis praecepto pro ciborio, sicuti constat pro patena (*n. 742*). Vitrum dici

non potest solida materia ; hinc eadem S. C. in *Mindonien.*, *30 Jan. 1880* (n. 5802), ad dubium : « An uti potuisset (episcopus) pyxide vitrea ad servandam et administrandam sacram synaxim locis sylvestribus ac imperviis, ubi latrones, metalli amore capti, pyxides furantur, horrendum sacrilegium perpetrantes » ; S. C. reposuit : « Negative ». Charta crassa (*carton, cartone*) non foret materia solida nec decens. Tandem aes, lignum, ebur non videtur esse materia decens ; insuper lignum nec solida fortasse dici potest.

1006. Nec ciborii forma est determinata, et non semper ac ubique eadem fuit (*n. 984*), sed ea quam nostra ciboria praeseferre solent, satis antiqua est. At ciborium debet esse suo operculo bene clausum, ut habet Rituale Romanum, *l. c.* Proinde non sufficit illud cooperire palla aut corporali : id solum in necessitate ad asservandum SSmum Sacramentum pro brevi tempore permitti potest.

1007. Tandem Rituale Romanum, *l. c.*, praescribit pyxidem debere esse *mundam* : quod reverentia erga augustissimum Sacramentum exigit. Id autem indicat SSmum Sacramentum esse in immediato contactu cum pyxide : hinc est minus conformis Rituali illarum ecclesiarum praxis, quae ciborium intus cooperire solent velo albo ad instar corporalis, super quod ponitur Sacramentum.

1008. Ciborium, antequam SSmum Sacramentum in eodem reponatur, non consecratur, sed benedicitur ad instar vestium sacrarum. De jure benedicendi ciboria, repetenda sunt quae diximus pro benedictione vestium sacrarum *n. 709 segu.* In *Imolen.*, *2 Dec. 1881* (n. 5828), ad dubium : « 2° Utrum episcopus, facultatem habens subdelegandi sacerdotes pro *benedictione sacrae supellectilis*, possit eosdem subdelegare etiam pro benedictione sacrorum vasorum » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Affirmative ». At non posset eos subdelegare pro consecratione calicis et patenae. Sacerdos qui ciborio non benedicto uteretur, SSmum Sacramentum reponens, certe non committeret peccatum mortale, sed probabilius peccati venialis reus foret, quia in Rubrica Missalis, *p. II*, *tit. II*,

n. 3, dicitur : « Si sacerdos est consecraturus plures hostias pro communione facienda, licet eas super corporali ante calicem aut in aliquo calice consecrato vel *vase mundo benedicto* » ; quod *vas mundum benedictum* est ciborium. Plures gravesque auctores etiam veniale peccatum negant, seu aiunt legem proprie dictam, etsi obligantem sub levi, non adesse ; eorumque sententiam S. Alphonsus, *VI, n. 385*, putat non esse improbabilem, licet primam jure meritoque habeat probabiliorem et suadendam.

Benedictio ciborii est tum in Pontificali tum in Rituali sub formula : *Benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda* ; ubi tabernaculum seu vasculum significat ciborium vel pyxidem ; nam tabernaculum proprie dictum, de quo supra, non benedicitur.

Tandem si quaeratur quinam ciborium tangere queant, repete quae de calice et patena diximus *n. 757*.

1009. Ciborium debet esse *velo albo* coopertum, ut praescribit Rituale, *l. c.*, ita ut non appareat nudum in tabernaculo. Hoc velum debet esse sericum ; licet enim verba Ritualis, *l. c.*, sint generalia, tamen idem Rituale, agens infra de communione infirmorum, hoc velum appellat sericum.

1010. 3° Ad praescriptum Ritualis Romani, *l. c.*, plures lampades vel saltem una die noctuque perpetuo collucere debent ante SSmum Sacramentum ; idque tum in honorem SSmi Sacramenti, tum ad indicandum fidelibus in tabernaculo esse SSmum Sacramentum. S. Alphonsus, *VI, n. 248*, non excusat a peccato gravi illum qui, lampadis curam habens, ipsam extinctam relinquit uno integro die vel duabus noctibus successivis. Haec autem lampas esse debet non post aut super altare, sed vel ante altare vel a latere altaris, ut continuo ardeat et fideles eam videre queant, uti S. R. C. reposuit in *Ordinis Capuccinorum, 22 Aug. 1699* (n. 3525). In *Cuneen., 2 Junii 1883* (n. 5874), propositis dubiis : « 1° Utrum lampas quae coram SSmo Sacramento collucere debet, sustentari liceat brachio ex metallo parieti infixo ad similitudinem cornucopiae, an potius suspensa ope chordularum esse debeat, prout uni-

versalis fert usus ; 5° Utrum tolerari possit usus adhibendi hujusmodi lampades ex vitro non perlucido et diaphano, sed colore aliquo tincto, e. g., viridi vel rubro » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Utroque modo lampadem adhiberi posse, dummodo intra et ante altare continuo ardeat. Ad 5um : Affirmative, idest tolerari posse ». Et in decreto generali diei *31 Maii 1831, ad 7um (n. 4578)*, jussit supra mensam altaris vel eidem quomodocumque imminentia solum lumina cerea adhiberi posse. Tandem in *Camerac., 16 Sept. 1865, ad 2um (n. 5351)*, eadem S. C. edixit licere lampadem ardentem coram SSmo Sacramento velo cooperire, praecavendi humiditatis causa *(n. 782)*. *Caeremoniale episcoporum, lib. I. cap. XII, § 17*, plures lampades accensas ante SSmum Sacramentum exigit, sed hoc intelligitur tantum de festo solemni in ecclesia : et praeterea, saltem in praesenti disciplina, consilium potius quam praeceptum est.

1011. Quamquam Rituale Romanum non indicat materiam qua lampas ali debeat, tamen generatim adhibendum est oleum olivarum, juxta antiquissimam Ecclesiae disciplinam, conformem Veteris Testamenti praescripto *Exod. XXVII, 20*. Solum in casu necessitatis episcopus permittere potest alia olea, quantum fieri potest, vegetabilia. Id tradit S. R. C. in *Plurium Dioecesium, 9 Julii 1864* (n. 5331) : « Nonnulli reverendissimi Galliarum antistites, serio perpendentes in multis suarum dioecesium ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante SSmum Eucharistiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt utrum in casu, attentis difficultatibus et ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea quae ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petroleo. S. porro R. C., etsi semper sollicita ut etiam in hac parte quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes, retineatur, attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab eisdem episcopis prolatas ; ac proinde exquisito prius voto alterius ex Apostoli-

carum Caeremoniarum Magistris, subscriptus Cardinalis Praefectus ejusdem S. C. rem omnem proposuit in ordinariis comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis. Emi autem et Rmi Patres, sacris tuendis ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt: « Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri potest, vegetabilibus ». Hanc resolutionem Pius IX ratam habuit die 14 ejusdem mensis et anni. Postea cum ad declarationem relati decreti quaesitum fuisset in *Faventina, 20 Martii 1869* (n. 5431): « Num sit contra sensum memorati decreti dici *9 Julii 1864* adhibere petroleum ad illuminandam ecclesiam, quando necessitas non urget et absque praevio Ordinarii consensu »; S. C. reposuit: « Minime adhiberi posse petroleum vel aliud oleum ex vegetabilibus ad illuminandam ecclesiam, sed in casu tantum necessitatis ex prudentia Ordinariorum ».

Quid agendum si ecclesia tanta egestate laboret, ut lampadem alere nequeat, vide *n. 974*.

1012. 4° Quoad renovationem SSmi Sacramenti tum scilicet parvarum hostiarum pro communione fidelium tum magnae hostiae pro expositione, Rituale Romanum, *l. c.*, statuit particulas esse *frequenter* renovandas; hostias vero seu particulas consecrandas debere esse *recentes*, et, his consecratis, veteres esse primo distribuendas vel sumendas. Illud *recentes* explicavimus *n. 809*, ubi ex doctrina S. Caroli Borromaei diximus hostias debere esse confectas ad summum a viginti diebus et aliquod periculum vel remotum corruptionis aut irreverentiae adesse in azymo seu in nostris hostiis post mensem circiter, et etiam citius in fermentato. Modo videamus quomodo intelligendum sit illud *frequenter*.

1013. Auctoritas ecclesiastica non praetermisit id determinare.

Pro Ecclesia Occidentali, omissa antiqua Synodo Turonensi quae *lib. I, cap. 70, De ecclesiasticis disciplinis*, jubet sacras species esse renovandas de *tertio in tertium diem*,

constans ecclesiarum disciplina semper fuit renovandi particulas semel in hebdomada vel ad summum de quindecim ad quindecim dies, ut probat Martene, *De antiquis Ecclesiae ritibus, lib. I, cap. V, n. 3* : sed deinceps hebdomadaria renovatio praecepta fuit. Sane in *Caeremoniali episcoporum, lib. I, cap. VI, n. 2*, renovatio praecipitur saltem semel in hebdomada. S. Carolus Borromaeus (cit. *n. 809*) praecipit ut octavo quoque die renovetur Eucharistia ; item antiquiores Synodi Rothomagensis *an. 1072, can. 6*, Londinensis *an. 1257, can. 2*, etc. Etiam S. R. C. in *Conchen., 3 Sept. 1672* (n. 2602), edixit : « In renovatione quae quolibet octavo die fieri debet de augustissimo Eucharistiae Sacramento consumi debet tum hostia tum etiam particulae quae existunt in tabernaculo post sumptionem sanguinis ante purificationem ». Et in *Sanctoren., 12 Sept. 1881* (n. 5925), proposito dubio : « 2° In ecclesiis hujus dioecesis servarine potest consuetudo renovandi sanctissimam Eucharistiam semel vel bis in mense, cum qualibet hebdomada juxta *Caeremoniale episcoporum* eadem sanctissima Eucharistia foret renovanda » ; S. C. reposuit : « Ad 2um : Servetur dispositio *Caeremonialis episcoporum, lib. I, cap. VI* ».

E contrario, cum Graeci consuevissent Eucharistiam in coena Domini consecratam per annum conservare, putantes Eucharistiam in coena Domini consecratam majorem habere efficaciam, Innocentius IV, in litteris apostolicis ad legatum in regno Cypri super ritibus Graecorum, hunc errorem proscribit et reservationis licentiam ad quindecim dies cohibuit. Etiam Clemens VIII, const. *Sanctissimus, 31 Aug. 1595*, et Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis, 16 Maii 1752*, jubent Italo-Graecis ut sacras species renovent singulis octo aut saltem singulis quindecim diebus. Id autem et de aliis Orientalibus intelligendum esse, minime dubitamus.

Igitur concludere possumus in Ecclesia Occidentali praescriptum Ritualis Romani de speciebus *frequenter* renovandis ita esse intelligendum ut species sacrae renoventur singulis octo diebus, juxta normam *Caeremonialis* : Graecis

autem aliisque Orientalibus permissum esse hanc renovationem protrahere ad singulos quindecim dies.

Nihilominus si quis et in Occidentali Ecclesia sacras species non renovaret nisi singulis quindecim diebus, plures a peccato excusant, dummodo loci ac temporis conditiones omne periculum initialis corruptionis excludant (1).

At illud sedulo notandum est quod plerique auctores non notant, scilicet quando agitur de renovatione specierum, utrumque simul, *frequenter* et *recentes* esse attendendum, ita ut tempus renovationis specierum necessario pendeat etiam a tempore confectionis hostiarum. Ita si hostiae quae consecrantur, a viginti diebus sunt confectae, renovatio specierum protrahi nullo modo potest ad quindecim dies, quia, ut diximus, post mensem aliquod periculum esse potest corruptionis et irreverentiae, ac proinde facienda erit singulis octo diebus, ut revera praescribit S. Carolus. Imo etiamsi hostiae quae consecrantur, sint confectae a quindecim diebus, non est tolerandum renovationem fieri post quindecim dies a consecratione. Et si hostiae quae consecrantur sunt confectae, e. g., a vigintiquinque diebus, renovatio nec protrahi posset ad octo dies. Tandem si hostiae sunt confectae, e. g., ipso consecrationis die aut a paucis diebus, servanda est dispositio *Caeremonialis episcoporum*, *l. c.*, praescribens renovationem singulis octo diebus.

1014. Quod si, quacumque demum de causa, specierum corruptio evenerit, Cavalieri, *tom. IV, pag. 61, n. 5*, cum Fagundez. dat hanc regulam, ut si quae sacramentales species in aliqua particula integrae sint, eae, segregatae ab aliis corruptis, consumendae sint ; pars vero corrupta et quaecumque aliae sacramentales species quae putridae factae essent, comburantur et in cineres redactae conjiciantur in sacrarium una cum aqua qua ablutum vas fuit in quo corruptae sacramentales species asservabantur.

1015. Ex dictis sequitur etiam modus servandus in hac

(1) Gardellini, comm. responsionis S. R. C. in *Gandaven.*, *16 Dec. 1826, ad 1um, 2um et 3um* (n. 4623) ; Schneider, *Manuale Sacerdotum, pag. 297, 298*, in nota.

renovatione specierum sacramentalium. Nempe, ut tradit S. R. C. in cit. *Conchen.*, consumi debent tum hostia major tum particulae quae sunt in tabernaculo, prout monet etiam Rituale Romanum, *l. c.* Proinde numquam hostiae noviter consecratae cum veteribus consecratis misceantur; nec veteres consecratae superimponantur noviter consecratis, sed in alia pyxide vel vase conserventur, nisi prius distribui vel a sacerdote in Missa sumi possint. Praeterea ciborium intra Missae celebrationem, ante purificationem calicis, est *purificandum*. Rubricae non tradunt modum purificandi ciborium; et auctores non indicant unum eumdemque. Sacerdos, sumpto sanguine, indice vel pollice manus dextrae diligentissime e ciborio colligat omnia fragmenta eaque immittat in calicem, sive antequam sive postquam vinum pro prima ablutione receptum fuerit. Deinde sumat primam ablutionem more consueto. Multi gravesque auctores uterius consulunt ut ultimam ablutionem recipiat in calice, e calice fundat in ciborium et circumagat diligenter, e ciborio refundat in calicem et sumat ritu consueto; et nonnulli sacerdotes ultimam ablutionem recipiunt in ciborio et fundunt postea in calicem. Tandem nullis in ciborio remanentibus fragmentis, illud in interiori parte absterget undequaque purificatorio, cooperiat et ponat extra corporale.

1016. 5° Tandem in translatione SSmi Sacramenti de uno in aliud altare, ii ritus servandi sunt quos omnes noscimus et auctores passim tradunt. Duo tantum animadvertimus. Primum est in hac translatione, licet transitus brevis sit, adhibendam esse *umbellam*. Nam quoties SSmum Sacramentum extra altare defertur, deferri debet vel sub *baldacchino*, uti in solemnibus processionibus, vel in subsidium sub *umbella*, ut cum festinanter defertur ad infirmos, aut processio transire debet per vias angustas, aut transfertur de uno in aliud ejusdem ecclesiae altare. Alterum est etiam diaconum, in defectu sacerdotis, hanc simplicem translationem peragere posse: quod confirmatur ex responsione S. R. C. in *Angelopolitana, ad 11^m^ a. 1041*. In *Coregren., 22 Maii 1841* n. 4918, ad dubium: « 2° Num servari itidem possit alia consuetudo ut idem prior (confra-

ternitatis) deferat umbellam associando sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tum in eadem feria V in coena Domini usque ad absconditam custodiam ubi pyxis cum particulis praeconsecratis adducitur, tum etiam quando Eucharistiae Sacramentum in ostensorio adducitur pro solemni supplicatione sanctissimi Corporis Christi » ; S.R.C. reposuit : « ... Quoad umbellam, servari posse consuetudinem, extra presbyterium, et solum arbitrio Rmi Archiepiscopi ». Eadem S. C. in *Cuneen., 2 Jun. 1883, ad 12um* (n. 5874), rescripsit SSmum Sacramentum de uno in aliud altare pro expositione non esse deferendum in ostensorio, sed in capsula, aut sin minus in sphaera.

CAPUT X

DE CULTU SANCTISSIMI SACRAMENTI.

1017. Posita fidei veritate (*n. 9* quod Christus D. sub speciebus sacramentalibus adsit non solum dum sumitur, sed etiam ante et post in hostiis consecratis quae reservantur vel supersunt, sequitur manifeste augustissimo Eucharistiae Sacramento tribuendum esse latriae cultum, donec, corruptis speciebus, Christus D. sub eisdem permanere desinit, ita ut objectum cultus latriae non sint species, sed Christus D. sub eisdem latens. Id docet pulcherrimis verbis Conc. Trid., *sess. XIII, cap. V*, quod deinde ita reassumit in *can. VI*: « Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae Sacramento Christum, unigenitum Dei filium, non esse cultu latriae etiam externo adorandum; atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem et universalem Ecclesiae sanctae ritum et consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum et ejus adoratores esse idolatras, A. S. ».

1018. Cultus erga SSmum Sacramentum alius est *privatus* qui ex propria cujusque fide et devotione exhibetur absque interventu publicae auctoritatis; alius est *publicus*, si publica auctoritas aliquo modo intervenit.

1019. De cultu privato qui ad nostram tractationem minus attinet duo tantum adnotavisse sufficiat. In primis signa exteriora hujus cultus pendent ex moribus populorum. Ita apud Sinenses signum reverentiae ac venerationis est habere caput coopertum: apud nos pro viris habere caput discoopertum: pro mulieribus habere coopertum (*n. 945*.); pro omnibus genuflectere, et S. R. C. in *Ravennaten.*, *7 Jul. 1876*, *ad 2um* n. 5666), declaravit non esse tolerandum

usum quo mulieres, transeuntes ante SSmum Sacramentum in altari reconditum, non genuflectunt, sed tantum caput inclinant. Praeterea inter actus externos hujus cultus erga SSmum Sacramentum hic liceat omnibus ac praesertim clericis vehementer inculcare ac commendare privatam visitationem. Nullus praeterire deberet dies quo nos, cum possimus, non accedamus ad visitandum D. N. J. C. in tabernaculo pro nobis inclusum et nos desiderantem, eidem in simplicitate cordis exposituri nostros fidei, amoris, doloris ac propositi sensus, atque simul omnes illas gratias spirituales ac temporales quibus indigemus, petituri.

1020. Ad publicum cultum in primis refertur piissima *sepulchri*, ut aiunt, caeremonia feria V et VI majoris hebdomadae, de qua *Caeremoniale episcoporum*, *lib. II*, *cap. XXIII*, et Missale Romanum. In *Romana, 15 Dec. 1896*, propositis dubiis : « 1° Utrum in altari in quo feria V et VI majoris hebdomadae publicae adorationi exponitur et asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum, repraesentetur sepultura Domini, an institutio ejusdem augustissimi Sacramenti ; 2° Utrum liceat ad exornandum praedictum altare adhibere statuas aut picturas, nempe Beatissimae Virginis, S. Joannis Evangelistae, S. Mariae Magdalenae et militum custodum aliaque hujusmodi » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Utrumque. Ad 2um : Negative. Poterunt tamen episcopi, ubi antiqua consuetudo vigeat, hujusmodi repraesentationes tolerare ; caveant autem ne novae consuetudines hac in re introducantur ». Vide etiam *n. 1001*.

Praeterea ad publicum cultum spectant tum expositiones et processiones quibus Christus D. sub sacramento publicae fidelium adorationi exhibetur, tum benedictiones quae expositionem et processionem sequuntur ; de quibus proinde agemus, in fine aliquid addentes de festo Corporis Christi.

1021. Antequam vero de singulis sermo instituatur, animadvertimus aliqualem exhibitionem SSmi Sacramenti in ciborio inclusi, esse antiquiorem Urbano IV, instituente festum Corporis Christi. Vide Christianum Lupum, *De sacris processionibus*, *tom. XI*, *cap. I, II et III*. Sed non probatur historicis documentis ante Urbanum IV publicam sacrae

hostiae visibilis expositionem, processionem ac benedictionem cum eadem fuisse receptam (1); potius videtur fuisse ritus antiquus ut ipsa SSmi Sacramenti ostensio seu expositio minime in propatulo fieret, nisi in Missa hostiam elevando.

SSmi Sacramenti exhibitiones sive in pyxide sive in ostensorio, semel in disciplina Ecclesiae introductae, rarae ab initio fuerunt; deinde multiplicari coeperunt, et hodie, praesertim expositiones ac benedictiones cum SSmo Sacramento, sunt admodum frequentes. Haec frequentia utilisne est ac probanda? Nonnulli eam minus probant, inter quos recentissimus est episcopus Anneciensis in suo opere, *Le moins possible, cap. VI*, quia, aiunt, ex frequentia sacrosancta mysteria vilescunt et imminuitur christianae plebis devotio. E contrario, alii hanc frequentiam, remoto excessu, laudant, quia populum ad ecclesiam convocat, ad virtutum actus excitat et ecclesiis ipsis majorem conciliat venerationem. Benedictus XIV hanc quaestionem dirimere una formula noluit neque cum erat Cardinalis et archiepiscopus Bononiensis, ut patet ex *Inst. Ecc. XXX, n. 8*, neque cum erat Romanus Pontifex, ut videre est in const. *Accepimus, 15 April. 1746*. Igitur neque nos eam dirimendam aggredimur, putantes ejus solutionem maxime ex circumstantiis pendere, quarum judex est Ordinarius.

Articulus I.

De expositionibus Sanctissimi Sacramenti.

1022. Expositio SSmi Sacramenti tunc habetur quando Sacramentum fidelium adorationi exhibetur. Id autem fieri potest multipliciter: hinc distinctio expositionis in *solemnem* quae dici solet etiam *publica*, et *non solemnem* quae appellatur etiam *privata*. Expositio est non solemnis seu privata quando Sacramentum ita exhibetur adorationi fidelium, ut aperiatur tantummodo ostiolum tabernaculi, quin sacra

(1) Gardellini in comm. *Instructionis Clementinae*, § V, *n. 9, seq.*; Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXX, n. 4*; Catalanus, *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. XXIII, § 8*; *Ephemerides Liturg., an. 1894*.

pyxis ullatenus extrahatur. Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXX, n. 16*, tradit non solemnem seu privatam esse non solum hanc expositionem, sed etiam aliam, qua magna hostia in ostensorio inclusa ponitur in altari, sed ita velo cooperta ut aspectus hostiae impediatur ; sed haec expositio potius inter publicas, licet minus solemnes, videtur amandanda (1), et non immerito *semi-publica* seu *semi-privata* appellari posset. Ceterum haec expositio in usu amplius non est. Expositio autem est solemnis seu publica, quando magna hostia ponitur in ostensorio et ita Sacramentum visibile fidelium adorationi exhibetur ; et est magis vel minus solemnis, magis vel minus diuturna (2).

1023. Jamvero in primis ea quae ad reverentiam SSmo Sacramento debitam pertinent, in utraque expositione aeque servanda sunt, ut patet. Hinc S. R. C. in *Varsavien., 7 Maii 1746, ad 9um* (n. 4181) ; in *Vilnen., 22 Dec. 1753 ad 13um* (n. 4237), et rursus in *Mutinen., 22 Sept. 1837, ad 5um* (n. 4814), declaravit genuflexiones utroque genu esse faciendas a transeuntibus ante Sacramentum sive private sive publice expositum. Pariter, durante expositione sive solemni et publica sive non solemni et privata, unus vel plures, prope et ante altare expositionis, in devota adoratione permaneant ; qui adoratores sint sacerdotes vel in sacris constituti ; quibus deficientibus, clerici in minoribus ; quibus deficientibus, laici professi in ecclesiis Regularium ; quibus deficientibus, laici (extra presbyterium), praesertim ad aliquam confraternitatem pertinentes, et habeant superpelliceum et stolam (si sacerdotes sunt aut diaconi, illi e collo pendentem, isti transversam) aut vestem confraternitatis (3).

(1) Gardellini in comm. *Instructionis Clementinae*, § *XXXVI, n. 10*, ac alibi.

(2) Cavalieri, *tom. IV, cap. VII, decret. 2*, et cum eo Bouix, *De Regularibus, pars V, sect. II, cap. II, quaest. 13*, censent expositionem *publicam* in stricto sensu esse illam, quae fit palam in ostensorio et quidem januis ecclesiae fidelibus apertis, secus esse *privatam* ; sed S. R. C., quando de *publica* vel *privata* expositione statuit, haec verba in sensu superius exposito accipere solere, ex auctoritate Benedicti XIV et Gardellini, aliis omissis, apparet.

(3) Vide Instructionem Clementinam, § *IX* (*Allegat. IV*) et commentarium Gardellini, *n. 1, sequ.*

Praeterea de utraque expositione intelligimus responsionem ejusdem S. C. in *Mechlinien., 31 Aug. 1867* (n. 5382), ubi posito dubio : « 12..... An possit sustineri praxis iis in locis vigens pias pecuniae collectiones agendi in ecclesiis, ubi adest SSmi Sacramenti expositio » ; S. C. reposuit : « Ad 12um : Affirmative juxta ecclesiae januam et absque rumore ». Tandem expositio tum privata ex decreto in *Senen., 19 Maii 1838* (n. 4831), tum a fortiori publica prohibetur, si super altare exposita est reliquia Sancti cujus festum agitur. E contrario, sunt plura quae uni expositioni conveniunt et non alii ; quae modo exponimus, de singulis agentes.

1024. Ex dictis constat in privata expositione ciborium non esse e tabernaculo extrahendum ; vide *n. sequ.* plures declarationes, quibus aliae etiam addi facile possent. Tantum poterit ciborium in ostiolo tabernaculi poni, ut a fidelibus melius conspici queat. Proinde nil mirum quod eadem S. R. C. in una *Ordinis Min. Cappuc. Prov. Helvetiae, 28 Maii 1835, ad 1um* (n. 4748), reprobaverit consuetudinem collocandi sacram pyxidem in throno et deinde cum eadem benedicendi populum. Tandem in *Sarnen., 10 Julii 1688* (n. 3163), ad dubium : « An liceat regularibus uti tabernaculo amovibili vel portatili illudque ad eorum libitum in quocumque ecclesiae propriae altari collocare ac ibi exponere sacram pyxidem e solo tabernaculo fixo extractam » ; eadem S. C. reposuit : « Licere de consensu episcopi ».

1025. Expositio pyxidis intus tabernaculum fieri potest et solet sine episcopi licentia. Ita S. R. C. rescripsit in *Savonen., 31 Maii 1842* (n. 1392) : « Non licere Regularibus etiam in eorum propriis ecclesiis SSmum Eucharistiae Sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex causa publica quae probata sit ab Ordinario ; ex causa vero privata licere, dummodo non extrahatur e tabernaculo et maneat velatum ita ut ipsa sacra hostia videri non possit » (1). Ita etiam S. C. EE. et RR., *9 Dec. 1602* : « Si

(1) Hoc ipsum decretum iisdem verbis conceptum prius tulerat S. C. C. in *Neapolitana, 17 Aug. 1630,* uti refert Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXX, n. 1.*

quandocumque privata ex causa SSma Eucharistia exponenda videbitur, e tabernaculo numquam extrahatur, sed in pyxide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo cum assistentia alicujus sacerdotis stola et superpelliceo induti et cum sex saltem luminibus cereis collocetur ». Proinde pro hac privata expositione sufficiet consensus rectoris ecclesiae; et nil vetat quominus etiam pluries in eadem ecclesia eodem die habeatur.

1026. Haec non solemnis expositio fieri potest sive pro causa privata, e. g., pro alicujus infirmitate, vel ad alicujus viri religiosi desiderium, ut expresse docet Benedictus XIV, *l. c.* (1), sive a fortiori pro causa publica, e. g., pro aliqua communi necessitate. Pro causa publica, si Ordinarius praecepit aut permisit expositionem cum SSmo, haec intelligitur solemnis et visibilis in ostensorio, cum pro expositione privata in pyxide superioris auctoritatis interventus nullatenus sit necessarius. At Ordinarius vel Romanus Pontifex pro publica causa potest quoque expositionem non solemnem in pyxide praecipere, e. g., ecclesiis pauperibus et exemplum habes in *Palentina*, *16 Jan. 1886*, *ad 1um* (5957); quo in casu putamus expositionem gaudere privilegiis publicae expositionis (*n. 1047*). Quod si rector ecclesiae sua auctoritate pro publica causa exponit in pyxide SSmum Sacramentum, expositio non gaudet privilegiis expositionis publicae.

1027. Hanc privatam expositionem facere debet sacerdos superpelliceo cum stola indutus, sed non vetatur pluviale; et sex saltem candelas cereas accensas in altari esse necessarias, patet ex dictis. Sacerdos exponens non assumit pluviale quod publicae expositioni reservatur. Omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi; quod deducimus ex S. R. C. responsione in *Ariminensi* infra (*n. 1058*) citanda; proinde fieri potest, sed melius omittitur. Nullo modo prohibitum est preces etiam alta voce aut cum cantu recitare. In fine expositionis canitur *Tantum ergo* cum versiculis et

(1) At sacerdotem non posse pro sua privata devotione tabernaculum aperire ad Sacramentum adorandum, preces ad libitum offerre ac deinde illud claudere, vide apud *Ephemerides liturgicas*, *Dec. 1895*.

oratione, datur benedictio cum sacra pyxide et clauditur tabernaculum; sed de benedictione cum sacra pyxide melius infra. Demum vetitum non est reliquias Sanctorum ponere hinc inde inter candelabra potius ad ornamentum quam ad cultum (1); nec necesse est statuas vel picturas Sanctorum velare aut auferre.

Haec de privata expositione; fusius de solemni.

1028. In primis animadvertimus ad solemnem SSmi Sacramenti expositionem referri *ostensorium, lunulam, custodiam.*

Ostensorium seu *monstrantia,* uti ipsum indicat nomen, est vas quo SSmum Sacramentum solemniter ostenditur et exponitur publicae fidelium venerationi. Proinde ostensorium, quoad substantiam, coaevum est publicae expositioni SSmi Sacramenti (*n. 1021*). Appellari etiam quandoque solet *ciborium, tabernaculum,* et in Belgio *Melchisedech.* Forma non fuit semper eadem et nec hodie eadem ubique terrarum est, Rituali Romano, *De processione in festo SS. Corporis Christi*, solum praescribente, ut ostensorium sit circumseptum vitro seu cristallo per quod sacra hostia exterius adorantibus appareat. Utrum liceat, necne, ostensorium sacris imaginibus ornare eidemque nomen donatoris apponere, vide *n. 656 sequ.* In summitate ostensorium crucem habere debere, tradit S. R. C. in cit. *Ariminensi* (*n. 1058*).

1029. *Lunula*, ponenda in ostensorio, sustinet erectam hostiam consecratam. In *Vicariatus Apostolici de Dania, 4 Febr. 1871* (n. 5469), ad dubium: « 4° Numquid ad sacram hostiam in ostensorio exponendam uti liceat lunula quae consistit in duobus orbiculis vitreis tenui limbo vel circulo argenteo deaurato circumjunctis et claudendis ita ut sacra hostia subter inhaereat ipsi circulo argenteo, ast ante et retro vitreos orbiculos ipsos immediate tangat et per eos erecta teneatur »; S. R. C. reposuit: « Ad 4um: Prout in casu exponitur, non decere sacras species inter vitreas laminas includere quarum superficies immediate tangat ». In hac responsione rursus institit eadem S. C.

(1) Gardellini, comm. *Instruct. Clem.*, § *IV*, *n. 5.*

in *Briocen.*, *4 Sept. 1880*, *ad 6um* (n. 5818). His non obstantibus, hujusmodi praxis in omnibus ferme Galliarum ecclesiis servatur.

1030. Tandem *custodia* est vasculum rotundum, clausum, in quo reponitur lunula sustentans sacram hostiam. Haec custodia non est necessaria, nisi quando absque ea hostia sacra in lunula remaneret discooperta in tabernaculo. Hinc si in tabernaculo reponatur ipsa ostensorii pars superior, continens sacram hostiam, custodia non est necessaria. Inde explicatur curnam Galliarum ecclesiae quae lunula de qua supra utuntur, custodiam non habeant ; nam in tabernaculo reponitur lunula, inclusam continens hostiam sacram.

1031. Materia ostensorii, lunulae, custodiae nullibi jure determinata invenitur ; eidem applicare debes quae *n. 1005* diximus de materia ciborii seu pyxidis, cum idem officium sit ; et in *Sancti Hyppolyti*, (cit. *n. 1005*) S.R.C. declaravit permitti posse monstrantiam seu lunulam ex cupro deaurato. Ostensorium, lunula, custodia sive una simul sive separatim benedici possunt formula Ritualis Romano : *Benedictio tabernaculi seu vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda*, quae proprie ciborium respicit, sed etiam ostensorio, lunulae, custodiae applicari potest. Si autem quaeras utrum haec benedictio sit, necne, de praecepto, respondemus, hoc praeceptum nullatenus probari pro ostensorio et custodia quia ex una parte lex positiva deest, et ex alia ostensorium et custodia non sunt in immediato contactu Corporis Christi ; pro lunula vero, quae est in immediato contactu Corporis Christi, hanc necessitatem, deficiente lege positiva, suaderi ex regula generali, quam his verbis tradit D. Thomas, *3 p.*, *q. 83*, *a. 3* : « In reverentiam hujus Sacramenti a nulla re contingitur (Sacramentum) nisi consecrata ; unde et corporale et calix consecrantur et similiter manus sacerdotis ». Ceterum de hac benedictione rursus repete quae de ciborii seu pyxidis benedictione diximus *n. 1008*. Tandem haec vasa sacra, dum actu continent Corpus D. N. J. C. solus sacerdos aut diaconus tangere potest ; secus omnes tangere possunt os-

tensorium et custodiam; linulam vero quae tetigit Corpus D. N. J. C., non omnes, ut putamus (*n. 757*).

1032. Nonnullas solemnissimas expositiones ipsa suprema auctoritas ecclesiastica praescripsit aut a pia consuetudine introductas probavit.

Talis est festivitas Corporis Christi cum solemni expositione et processione; de qua infra. *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. XXXIII*, agens de processione in festo Corporis Christi, probat consuetudinem exponendi SSmum Sacramentum per totam octavam.

Praeterea pluribus in ecclesiis pia invaluit consuetudo jam a saeculo XVI exponendi SSmum Sacramentum per tres dies sive in hebdomada septuagesimae, sive in altera sexagesimae aut quinquagesimae, ut fideles, hoc pacto, neglectis mundi illecebris, ad sancta opera incendantur Deumque, bacchanalium criminibus ad iracundiam gravius provocatum, mitigent; quae expositio appellata est *quadraginta horarum* lato sensu. Hanc consuetudinem Romani Pontifices expresse probaverunt. Benedictus XIV, in litteris datis *die 1 Jan. 1748* ad omnes Status Ecclesiastici episcopos, concedit indulgentiam plenariam omnibus fidelibus qui, poenitentia et sacra synaxi rite muniti, singulis diebus SSmum Sacramentum visitaverint, Deum orantes juxta Ecclesiae mentem. Deinde Clemens XIII, decreto S. C. Indulg., *23 Julii 1765*, hanc indulgentiam extendit ad omnes catholici orbis ecclesias eamdemque lucrabilem voluit, etiamsi expositio et visitatio fieret tantum feria V infra hebdomadam sexagesimae.

Tandem inter probatas expositiones est expositio solemnissima ac perpetua *quadraginta horarum*. Nam Clemens VIII constituit ut oratio ante SSmum Sacramentum in Urbe per singulas designatas ecclesias esset perpetua diu noctuque; durante autem hac oratione, fiebat, licet non praecepta, expositio SSmi Sacramenti; sed deinde eam praescripsit Clemens XI, imo pro hac expositione, adoratione, processione, repositione certas regulas, in Urbe omnino servandas, dedit in instructione diei *21 Jan. 1705*, quae proinde dicitur *Clementina*, confirmata ab Innocentio XIII,

Benedicto XIII et Clemente XII (1); et haec expositio solemnissima ac perpetua in stricto sensu orationis seu expositionis *quadraginta horarum* nomen retinuit. Etiam in aliis civitatibus quae plures habent ecclesias, e. g., Parisiis, haec oratio perpetua quadraginta horarum introducta est, longiori tempore perdurans ob minorem ecclesiarum numerum. Instructio Clementina extra Urbem non obligat; laudandi tamen sunt qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis statutum sit, uti reposuit S. R. C. in *Patavina, 12 Julii 1749* (*n.* 1203). Si expositio non est perpetua diu noctuque, non est expositio seu oratio quadraginta horarum proprie dicta, et ideo non gaudet Instructionis Clementinae privilegiis, nisi ex speciali indulto S. Sedis, uti censuit S. R. C. in *Brugen., 12 Sept. 1840, ad 6um* (n. 1897) (2). At haec Instructio quaedam continet quae sunt generalia et ad essentiam pertinent cultus sacrae Eucharistiae debiti, et ideo nedum Romae in sola oratione quadraginta horarum, sed etiam alibi et in omnibus expositionibus servanda erunt, non ex praescripto Instructionis, sed ex Ecclesiae disciplina et ex S. R. C. decretis; ut bene notat Gardellini, *l. c., n. 9*. Hanc Instructionem habes in *Allegato IV*.

1033. Ceterum expositio publica SSmi Sacramenti in genere non licet, nec in Regularium ecclesiis, nisi de licentia Ordinarii, non obstante quacumque consuetudine, ut patet ex relatis *n. 1025*; vide etiam responsionem S. R. C. in *Samminiaten., 7 Jun. 1681* (2958), ex qua colligitur licentiam praesumptam satis non esse; et in *Placentina, 28 Febr. 1682* (n. 2978), ubi expressa licentia exigitur, et alias saepe. In *Sancti Jacobi de Chile, 16 Martii 1861* (n. 5310), ad dubium: « 4° Utrum servanda sit consuetudo exponendi publicae adorationi SSmum Sacramentum tum in ecclesiis Regularium tum in iis in quibus adest indultum apostolicum asservandi Eucharistiam sine Ordina-

(1) Vide Gardellini in comm. *Instructionis Clementinae*, ab initio, *n. 5 sequ.*

(2) Attamen fideles lucrantur, servatis servandis, indulgentias, etsi SSmum Sacramentum noctu in tabernaculo reponatur. Gardellini in comm. *Instructionis Clementinae*, § *XXXIII, n. 6*.

rii licentia »; S. R. C. rursus reposuit : « Ad 14um : Negative ». Etiam SSmi Sacramenti expositio bacchanalium tempore aut expositio perpetua quadraginta horarum, de novo in ecclesia aut in civitate introduci non debet, nisi consentiente Ordinario. Solum ob auctoritatem Benedicti XIV, donec S. R. C. aliud non declaraverit, fieri poterit, sine licentia Ordinarii expositio cum ostensorio velato, ad instar privatae expositionis (*n. 1022*). At contra Cavalieri et Bouix putamus Regularibus sine licentia Ordinarii fas non esse SSmum Sacramentum in suis ecclesiis exponere in ostensorio visibiliter, januis ecclesiae clausis ; nam S. R. C. hanc expositionem habet publicam (cit. *n. 1022*, in nota) et pro publica expositione etiam in Regularium ecclesiis exigit Ordinarii licentiam. Regulares non indigent licentia Ordinarii pro publica expositione in suis ecclesiis, etiam januis ecclesiae apertis, si pro se habent privilegium aut consuetudinem legitime praescriptam, quam admittit Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 14*. Quamquam vero in publice exponentes SSmum Sacramentum sine Ordinarii licentia non sunt poenae jure statutae, tamen Ordinarius posset in eos, etiam Regulares, animadvertere. Habita autem Ordinarii licentia, ex una parte expositio, repositio et processionalis quaecumque delatio SSmi Sacramenti in ecclesia parochiali est parochialis functio, ut declaravit S. R. C. in *Mediolanen.*, *2 Oct. 1683, ad 1um* (n. 3034) ; et ex alia in oratorio distincto a parochiali ecclesia, e. g., in oratorio confraternitatis, fieri potest etiam contradicente parocho, uti censuit S. R. C. in *Papien.*, *18 Mart. 1679* (n. 2880) (1).

1034. Porro si expositio non solemnis in pyxide fieri potest pro causa tum publica tum privata (*n. 1026*), Ordinarius expositionem solemnem et visibilem in ostensorio permittere non debet nisi pro causa publica. Si autem quaeratur quid hic intelligatur pro causa publica, respondemus cum Cavalieri, *tom. IV*, *decret. 33*, *n. 4*, causam publi-

(1) In *Imolen.*, *4 Sept 1751* (n. 4222), ad dubium : « An Ordinarius, concedendo licentiam exponendi SSmum Eucharistiae Sacramentum (in oratorio confraternitatis), possit ad libitum conditionem apponere requirendi consensum parochi » ; S. R. C. reposuit : « Negative ».

cam liberalius sumi quando agitur de expositione SSmi Sacramenti, quam quando agitur de Missa votiva (*n. 871*). Proinde certe permitti potest pro causa quae per se vel per accidens tangit totam communitatem vel majorem ejus partem, sed permitti quoque potest pro causa minori. Ut fideles a vitiis avertantur et ad virtutum actus excitentur frequentesque in ecclesia conveniant ad Deum exorandum pro Ecclesiae utilitate, est causa publica sufficiens pro permittenda expositione publica et visibili in ostensorio. Quod si ostensorium cum sacra hostia in altari aut throno ponitur velo coopertum, ita ut a fidelibus sacra hostia conspici nequeat, pro hac minus solemni expositione sufficit etiam, una cum episcopi licentia, causa privata, e. g., infirmitas alicujus, etc. (*n. 1026*).

1035. Hanc licentiam Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 14*, pollicetur se non esse concessurum, si in ecclesia eo die effigies B. M. V. exponitur venerationi fidelium, vel festum alicujus Sancti celebratur, non obstante contraria consuetudine. Ita hanc rem declarat, *n. 15* : « Id enim sacrorum rituum scriptores magnopere damnant. Bissus praesertim haec tradit : *Et libenter adverto quod in festivitatibus Sanctorum parum convenit expositio Sacramenti, quia diversus est cultus exhibendus sacrae Eucharistiae a cultu exhibendo Sanctis et praesente Domino omnium summo, debet cessare cultus Sanctorum.* De hac re copiosius agit Thiersius qui Sanctorum cultum reipsa a Deo minime quidem separari recte perpendit ; cum sacra Eucharistia populo adoranda proponitur, praecipui charitatis ac religionis actus, uti fas est, ad Deum unice diriguntur, nec de honore sanctis persolvendo tunc aliquis cogitat, ita ut consilium ac voluntas Ecclesiae minime perficiatur..... Illud etiam praeterire non possumus, quod maxime ad hanc sententiam confert, cum festis Sanctorum diebus publice exponitur (Sacramentum). Maxima enim frequentia populus in templum confert ubi post preces vanis colloquiis detinetur, utque animum musicorum concentibus intendat, divinissimo Sacramento terga vertere non erubescit ». At si haec incommoda minime verificentur, episcopus posset etiam his diebus expositionem

cum subsequenti benedictione SSmi Sacramenti permittere. Confirmatur ex responsione S. R. C. in *De Nicaragua, 27 Sept. 1864* (n. 5336); nam ad dubium : « 5° Utrum retineri possit inveterata consuetudo exponendi per totam diem SSmum Sacramentum in iis solemnitatibus quae scopum habent sive mysterium aliud ab Eucharistia, sive festum Beatae Mariae Virginis aut alicujus Sancti; vel potius, etsi invito populo, tamquam abusus extirpanda sit » ; S. C. rescripsit : « Ad 5um : Affirmative ad primam partem : negative ad secundam ».

1036. Si solemnis expositio ad tempus duratura, e. g., expositio quadraginta horarum, incipit mane, celebranda est Missa solemnis aut saltem cantata, post quam fit expositio ; praxis inchoandi expositionem per Missam lectam servari nequit, nisi ex Apostolicae Sedis indulto. Revera in *Nivernen., 25 Sept. 1882* (n. 5853), episcopus exposuit : « 1° Ex quadam ordinatione ab uno ex suis praedecessoribus edita nec non et alicujus indulti minus recta interpretatione quindecim abhinc annis invaluit usus solemniores SSmi Eucharistiae Sacramenti expositiones inchoandi Missae lectae celebratione Missamque solemnem aut cantatam postea coram SSmo Sacramento jam exposito celebrandi, eo nimirum fine ut numerosiores huic secundae Missae tardioribus horis celebratae fideles adesse valeant ». Cum vero idem episcopus expostulavisset ut hujusmodi invecta praxis continuari valeret, S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Expositam consuetudinem tolerari posse, facto verbo cum SSmo ». Praeferenda est sententia quae tenet ostensorium cum SSmo Sacramento post consummationem in Missa pro expositione quadraginta horarum, super corporali positum, non esse velandum ; secus ac in Missa pro processione in festo Corporis Christi, juxta praescriptum Ritualis Romani (1).

1037. Publica expositio SSmi Sacramenti fieri potest qualibet die, excepto tempore post Missam feriae V in coena Domini ad solemnem usque Missam sabbati sancti, quo quaelibet expositio prohibetur, ita ut etiam perpetua expositio quadraginta horarum interrumpatur. Imo eadem

(1) **Gardellini, in cit. comm., § *XIX, n. 3 sequ.***

die et in eadem ecclesia pluries, e.g., mane et sero, SSmum Sacramentum exponi potest et cum eo populus benedici, ut colligitur ex responso S. R. C. in *Templen.* (*n. 1059*). In *Dubiorum*, *17 Sept. 1822* (n. 4590), proposito dubio: « 10° An, quo modo, quove in altari fieri debeat benedictio palmarum ante Missam celebrandam dominica in ramis pro repositione SSmi Sacramenti, expleta oratione quadraginta horarum » ; S. R. C. reposuit : « Ad 10um : In casu de quo agitur, si fieri debeat vel deceat ut fiat benedictio palmarum, haec facienda erit in alio sacello laterali, quo magis fert ecclesiae structura, distante ab ara maxima in qua SSmum Sacramentum expositum est, servatis omnibus caeremoniis in missali praescriptis, sed absque processione ». Haec eadem regula applicatur, si occurrat SSmi Sacramenti repositio in die festo Purificationis B. M. V. vel feria IV cinerum in quibus ante solemnem Missam fit benedictio candelarum vel cinerum. Haec autem de expositione perpetua quadraginta horarum, quae, cum perpetua esse debeat, interrumpi nequit ; nam quaecumque alia expositio esset potius praetermittenda. Ceterum Ordinarius non permittat exponi SSmum Sacramentum antequam aurora illucescat illudque praescribat reponi tempore nocturno, ut rescripsit S. R. C. in *De Nicaragua*, *27 Sept. 1864*, *ad 6um* (n. 5336) ; sed in *Vicariatus Apostolici de Marysville*, *26 Sept. 1868* (n. 5414), eadem S. C. reposuit servari posse consuetudinem dandi benedictionem cum SSmo Sacramento hora secunda vel etiam tertia post solis occasum. E contrario in *Portugallen.*, *17 Sept. 1785* (n. 4421), ad dubium : « 4° : An incongruum sit quod ad augendam fidelium devotionem publice exponatur in nocte Nativitatis SSmum Sacramentum.... » ; S. C. reposuit : « Ad 4um : Non probari, utpote extra communem Ecclesiarum consuetudinem ».

1038. Evidens est expositionem SSmi Sacramenti fieri non posse nisi in ecclesia quae jus habet asservandi SSmum Sacramentum. Pro perpetua quadraginta horarum expositione, ecclesiae in quibus SSmum Sacramentum per turnum exponi debet, ab Ordinario designantur. Non prohibetur

quominus SSmum Sacramentum, si opus est, exponatur in altari laterali, uti rescripsit S. R. C. in *Sancti Jacobi de Chile, 21 Aug. 1873* (n. 5563), etsi altare sit ligneum ideoque mobile, dummodo sit rite extructum, uti eadem S. C. censuit in *Congregationis Piorum Operariorum, 14 Dec. 1883, ad 1um* (n. 5898), et periculum non sit alicujus irreverentiae erga SSmum Sacramentum, uti, e. g., evenire facile posset, si expositio fieret in altari laterali prope januam qua fideles ingrediuntur (1). Expositio autem quadraginta horarum juxta Instructionem Clementinam, § *III*, fieri debet in altari majori. In cit. *Dubiorum (n. praec.)*, ad dubium: « 9° An liceat vel dedeceat fores ecclesiae pandere et repagula removere, ut pateat interna pars transeuntibus per viam, dum benedicendus est populus cum SSmo Sacramento »; S. R. C. reposuit: « Ad 9um: Non decere, nisi judicio Ordinarii, ob peculiares circumstantias locorum, aliter permitti posse videatur, citra periculum irreverentiae ». Idem dicatur de toto expositionis tempore; imo cum hoc tempus longius sit et ideo irreverentiae periculum adsit, permitti ab Ordinario non debet. Pro expositione perpetua quadraginta horarum id expresse prohibetur in Instructione Clementina, § *VIII*.

1039. Super altare in quo exponitur SSmum Sacramentum, debere esse baldacchinum, patet ex dictis *n. 308*. In parte superiori tabernaculi seu throni quae ostensorium immediate sustinet, extendi debet corporale aut palla. Amovendae sunt ab altari tres tabellae quas Rubricae ad celebrantis commoditatem exigunt in Missae celebratione, uti rescripsit S. R. C. in *Tertii Ord. S. Francisci, 20 Dec. 1864, ad 3um* (n. 5343). Flores poni possunt tum inter candelabra, tum in mensa, tum in gradibus altaris, imo decet ut altare floribus decoretur. Instructio Clementina, § *III*, praecipit velari imaginem vel statuam altaris in quo fit expositio proprie dicta quadraginta horarum, ut scilicet fideles unice in SSmum Sacramentum intenti sint. Haec autem lex etiam in Urbe alias expositiones, quoque solemnissimas, non respicit, in quibus proinde sequi possumus

(1) Gardellini, in cit. comm. § *III*, *n. 2*.

locorum consuetudinem, licet statuam aut imaginem altaris tegere, magis liturgiae legibus respondeat; extra Urbem vero neque pro expositione quadraginta horarum praeceptum est, sed melius est dispositionem Clementinam observare. In *Mazarien.*, *27 Sept. 1828* (4639), ad dubium: « An velari debeat simulacrum S. Joannis Baptistae, vel potius supracentenaria consuetudo servanda sit, exponendi nimirum SSmum Sacramentum cum simulacri detectione, quando ob ingruentem publicam calamitatem, collectis et elargitis eleemosynis, hanc expositionem votum populi expostulat; quando natalitia solemnitas hujus Sancti titularis ecclesiae, et oppidi principalis occurrit aliqua die infra octavam SSmi Corporis Christi; quando quotannis mense Novembris oratio quadraginta horarum peragitur »; S.R.C. reposuit: « In casu de quo agitur, servandam esse consuetudinem, excepto tempore expositionis quadraginta horarum ». Multo minus, saltem in aliis expositionibus etiam solemnibus, necesse est velare praecipuam altaris imaginem aut statuam SSmi Cordis Jesu; nam honor tribuitur SSmo Sacramento et simulacrum est illius symbolum. Eadem Instructio Clementina, § *IV*, vetat in expositionis altari, ad ejusdem ornatum, alias poni statuas Sanctorum aut eorumdem reliquias, vel figuras animarum in purgatorio degentium (quas in omnibus expositionibus prohibet), tantum permittens Angelorum effigies quae candelabra sustentant. Reliquias Sanctorum in altari expositionis prohibuit etiam S. R. C. in *Aquen.*, *2 Sept. 1741*, *ad 5um* (n. 4119). Hoc non obstante decreto, non raro videmus in altari in quo SSmum Sacramentum reipsa expositum est, reliquias Sanctorum hinc inde positas, ad ornamentum potius quam ad cultum, ita ut Sancti SSmum Sacramentum honoris causa quodammodo contineant ejusque coronam constituant. Hanc consuetudinem reprobandam censemus, si agitur de expositione quadraginta horarum; sed etsi agatur de aliis expositionibus solemnibus, num tolerari possit, contra citatum decretum S. R. C., Ordinarii videant. Haec facile applicantur statuis et picturis Sanctorum, praeter statuam aut picturam principalem altaris; nempe in altari expositionis

quadraginta horarum ex Instructione Clementina, prohibentur ; in altari aliarum expositionum vetantur quaecumque imagines animarum degentium in purgatorio ; sed de aliis imaginibus ac statuis prohibitio non constat, e. g., apponendi imaginem Sancti cujus festum colitur, et praxis id confirmat. Tandem in *Mechlinien.*, *31 Aug. 1867* (n. 5381), ad dubium : « 11° Alicubi supponitur cussinus sub ostensorio in SSmi Sacramenti expositione et sunt qui asserunt quod ita sit tenendum ex Rubrica Missalis praescribente cussini usum pro Missali in celebratione Missae : quaeritur an cussinus sub ostensorio ponendus sit » ; S. R. C. reposuit : « Ad 11um : Negative ».

1040. Pallium altaris, conopoeum, paramenta, de regula generali in expositione ac benedictione SSmi Sacramenti debent esse coloris albi, qui SSmo Sacramento magis convenit ; et in *Hispalen.*, *19 Dec. 1829* (n. 4652), S. R. C. monialibus petentibus licentiam retinendi pallium coloris rubri annuere noluit, respondens : « Obstant decreta ». At si expositionis ac benedictionis caeremonia non est separata ab officio diei, ex una parte in officio diei servandae sunt Rubricae etiam quoad colorem, ut edixit S. R. C. in *Gallia-rum. 10 Jan. 1693*, *ad 12um* (n. 3301) ; et ex alia pro expositione ac benedictione conopoeum et paramenta (et etiam pallium altaris, ut putamus), posse esse ejusdem coloris diei, excepto nigro, S. R. C. reposuit in *Annecien.*, *1 Dec. 1882*, *ad 1um* (n. 5855), et in *Matriten.* seu *Toletana*, *20 Sept. 1806*, *ad 1um* (n. 4503). Hinc si ipsemet sacerdos qui Missam aut vesperas celebravit, caeremoniam expositionis et benedictionis peragit, non recedens ab altari, color diei servetur ; si alius sacerdos caeremoniam expositionis et benedictionis peragit, vel ipsemet sacerdos qui Missam aut vesperas celebravit, sed postquam redierit ad sacrarium, paramenta debent esse coloris albi ; item pallium et conopoeum ; sed si caeremonia expositionis et benedictionis statim post Missam aut vesperas locum habeat, ita ut tempus moraliter desit pallio et conopoeo coloris diei substituendi pallium et conopoeum coloris albi, pallium et conopoeum

coloris dici relinqui poterunt (1). Ceterum velum humerale debet esse semper coloris albi *(n. 706)*; insuper color niger ab altari ubi expositum est SSmum Sacramentum proscribitur in *Mutinen.*, *7 Junii 1681* (n. 2957); *Antuerpien.*, *1 Feb. 1685* (n. 3075); *Taygen.*, *9 Julii 1678*, *ad*, *8um et 9um* (n. 2864); sed in reliqua ecclesia, extra sacellum expositionis, ornamenta moestitiae non prohibentur; de qua re vide *Florentin.*, *13 Martii 1804* (n. 4490). Ceterum sacerdos expositionem sine benedictione immediate ante vel immediate post Missam facere potest casula indutus; secus vestes assumendas vide *n. 1060.*

1041. Expositionem et repositionem SSmi Sacramenti peragit sacerdos: cujus vices supplere potest diaconus, dummodo benedictionem cum SSmo Sacramento non impertiatur. In *Angelopolitana*, *11 Sept. 1847* (n. 5102), proposito dubio: « 11° An in expositione SSmi Sacramenti extra Missam diaconus solus possit vicem gerere sacerdotis in exponendo et recondendo, cumque SSmo Sacramento benedicere populo antequam ostensorium in sacrario reponat »; S. R. C. reposuit: « Ad 11um. In exponendo tantum et recondendo SSmum Sacramentum ». Pluries quaesitum fuit a S. R. C. num pro exponendo SSmo Sacramento adhiberi posset machina affabre elaborata. Ita in *Lisbonen.*, *23 Apr. 1873* (n. 5603), cum Patriarcha retulisset invaluisse consuetudinem exponendi SSmum Sacramentum in quibusdam festivitatibus praevio quodam machinismo ad hoc specialiter constructo vel in manu alicujus statuae B. M. V. vel juxta latus vulneratum sculptae imaginis D. N. J.-C. e cruce pendentis, S. C. reposuit hanc consuetudinem esse abolendam; siquidem Instructio Clementina jubet statuas non esse apponendas in altari in quo SSmum Sacramentum est expositum et Sacramentum ipsum exponendum esse super thronum eminentiori in loco collocatum; quae praescriptiones consuetudini expositae sunt omnino contrariae. Rursus in *Taurinen.*, *7 Julii 1877* (n. 5701), ad dubium: « Utrum

(1) S. R. C. in *Ariminen.*, *14 Maii 1686* (n. 2109), declaravit parochos capellanosve qui cum suis parochianis vel confratribus processionaliter ad ecclesiam accedunt ubi expositum est SSmum Sacramentum, adhibere debere stolam coloris tempori convenientis.

admitti possit usus cujusdam machinae... cujus ope elevaretur ac deponeretur ostensorium, dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur » ; S. C. reposuit : « Negative ». Vide etiam *Urgellen.*, *2 Aug. 1884* (n. 5917).

1042. Ostensorium ita poni debet ut hostia consecrata a populo conspici queat. At in *Decreto generali*, *3 Martii 1821* (*n. 4578*), ad dubium : « 5° An liceat in expositione SSmi Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica sphaerae, ut recta illuceat in ipsam sacratissimam hostiam, quae exinde lucida appareat » ; S. R. C. reposuit : « Ad 5um : Negative et servetur instructio jussu s. m. Clementis PP. XI evulgata die *21 Januari 1705* pro expositione SSmi Sacramenti occasione orationis XL horarum, § *VI* ». Vide etiam Gardellini in comm. hujus Clementinae Instructionis, *l. c.*

1043. Si in privata expositione sex candelae cereae accensae requiruntur (*n. 1025*), congruum est ut in expositione publica plures habeantur. Instructio Clementina, § *VI*, et *XXXVI*, tum pro oratione quadraginta horarum, tum pro aliis expositionibus exigit ad minus viginti, quarum pondus et dispositionem potius directive quam praeceptive determinat. Sed haec sanctio, non est praeceptiva extra Urbem (*n. 1032*). In expositionibus minus solemnibus duodecim sufficiunt, ut reposuit S. R. C. in *Aturen. et Aquen.*, *8 Febr. 1879* (n. 5765), juxta praescriptum S. Caroli Borromaei, *Act. Eccles. Mediolanen.*, *tom. II*, *edit. Patav.*, *pag. 681 sequ.*, et Prosperis Lambertini, archiepiscopi Bononiensis, *Inst. Ecc. XXX*, *n. 17 et 24*. In *Narnien.*, *15 Martii 1698* (*n. 3464*), proposito dubio : « Quot lumina sint adhibenda in expositione SSmi Sacramenti quae fit ad instar proscaenii ; et an in tali expositione etiam lumina spectabilia et quot requirantur » ; S. C. reposuit : « Luminum quantitatem pietati facientis expositionem remittendam ; et in altari super candelabris ad minus sex candelas accensas esse retinendas ». Hunc modicum candelarum numerum S. C. fortasse exegit, quia in hac expositione ad instar proscaenii alia erant lumina ex alia materia quae latenter lucebant totamque machinam illustrabant.

1044. Dum fit expositio SSmi Sacramenti non est necesse ut aliquid canatur sive a choro sive a celebrante ; imo melius est ut nil canatur, et cantus permitti tantum potest judicio episcopi, ut ipsis verbis reposuit S. R. C. in una *Sancti Marci, 22 Martii 1862, ad 14um* (n. 5318). Facta autem expositione, cani aut recitari possunt preces, latino idiomate ex approbatis in Breviario et Missali ac Rituali. Imo ex consuetudine posse etiam cani aut recitari vulgari idiomate, preces ab Ordinario probatas, rescripsit eadem S. C. in *De Nicaragua, 27 Sept. 1864, ad 7um* (n. 5336), et in *Mechlinien., 31 Aug. 1867, ad 9um* (n. 5381) item psalmum *De profundis* cum versiculo *Requiem aeternam* et orationem *Fidelium* vel aliam pro defunctis, in *Montis Politiani, 13 Jun. 1891*. At post hymnum : *Tantum ergo* et orationem : *Deus qui nobis* ante benedictionem nil omnino cani potest, uti eadem S. C. censuit in *Neapolitana, 23 Mart. 1881* (n. 5825). Tandem eadem S. C. in *Senen., 30 Junii 1883, ad 6um* n. 5878), declaravit consuetudinem exponendi SSmum Eucharistiae Sacramentum in ostensorio absque incensatione esse prorsus eliminandam ; nec alias personas, statuas, altaria, etc., incensare licet, ut censuit eadem S. C. in *Parmen., 4 Aug. 1708* (n. 3790). Et in *Carthaginen., 29 Nov. 1738* (n. 4080), ad dubium : « 5° An dum incensatur altare in quo est expositum publicae adorationi Venerabile, utrum, post illud incensatum, debeat quoque crux incensari » ; S. C. reposuit : « Ad 5um : Negative ».

1045. De concionibus habendis durante perpetua expositione quadraginta horarum in ecclesiis Urbis, vide § *XXXII* Instructionis Clementinae. Sed plura quae ibi statuuntur, urgent etiam extra Urbem pro aliis quoque expositionibus. Ita praeter licentiam, saltem generalem, praedicandi ab Ordinario obtentam pro ecclesiis non exemptis, si SSmum Sacramentum nullo est velamine tectum, auditores sedere non deberent, et concionator aliique de clero caput discoopertum habere, uti pluries S. R. C. reposuit, e. g., in *Herden., 28 Apr. 1607* (n.344) ; in *Gienen., 9 Dec. 1628, ad 4um* (n.788) ; in *Belgica, 17 Febr. 1630* (n. 845). At si

ante thronum apponitur velum ex crassiori tela ita ut ostensorium adstantibus non pateat, non dedecet sedere et caput cooperire birreto aut pileolo, quamquam melius esset caput discoopertum habere. Ita S. R. C. in *Bracharen.*, *10 Sept. 1796*, *ad 3um* (n. 4469). Etiam in casu quo ostensorium velamine tegitur, Gardellini in comm. Instructionis Clementinae cit. § *XXXIII*, *n. 8*, haud putat cum reverentia debita SSmo Sacramento componi morem directe eidem terga vertendi, qui tamen in pluribus ecclesiis, e. g., Parisiis, receptus est. Ad hoc evitandum, ecclesiae rector curare debet ut locus pro concionatore paretur prope altare expositionis, ita ut auditores eumdem respicere valeant, quin SSmo Sacramento exposito, licet velato, terga vertant.

1046. Tandem quoad Missam in altari expositionis, jam diximus *n. 355*, de regula generali *Caeremonialis episcoporum*, Missam non esse celebrandam in altari in quo SSmum Sacramentum expositum est ; multo minus Missa cum cantu celebrari poterit, de qua vide *Ephemerides liturgicas*, *an. 1894*, *pag. 204*. At celebrari profecto potest etiam cum cantu Missa qua exponitur, et qua reponitur SSmum Sacramentum (*n. 1036* et cit. *n. 355*). Vide in *Allegat. IV*, § *XII sequ.*, quid Instructio Clementina praescribat de Missa in die expositionis et repositionis et de Missa in die medio quae in alio celebratur altari. Quoniam vero haec Instructio respicit tantum perpetuam quadraginta horarum expositionem proprie dictam, hinc, si de alia expositione agitur, Missa votiva de SSmo Sacramento aut *pro pace* celebrari non potest, nisi aliunde Missae votivae celebratio permissa sit juxta regulas generales expositas *n. 869 sequ.* aut ex indulto.

Ceterum si permittitur Missae votivae celebratio, expedit ut celebretur Missa votiva de SSmo Sacramento. Rursus cum Instructio Clementina Romae tantum sit obligatoria, extra Urbem regulae in hac Instructione traditae pro Missa non urgent, ita ut episcopus possit, e. g., pro occasione expositionis quadraginta horarum aliam praecipere pro gravi causa Missam votivam in die medio.

1047. Pro Missa quae celebratur coram SSmo Sacra-

mento exposito speciales ritus et caeremoniae praescribuntur, quas omnes noscimus (1). Hic sufficiat aliqua addere de commemoratione SSmi Sacramenti, si non celebratur Missa votiva de SSmo Sacramento, sed alia Missa sive in altari expositionis, sive in alio altari. Jamvero si SSmum Sacramentum est expositum in pyxide citra superioris auctoritatis ecclesiasticae interventum, commemoratio SSmi Sacramenti fieri non debet nec in ipso expositionis altari, uti tradit S. R. C. in *Varsavien., 7 Maii 1746, ad 9um* (n. 4181). Licet SSmum Sacramentum sit expositum in ostensorio aut in pyxide pro causa publica ex praecepto episcopi aut Romani Pontificis, tamen commemoratio SSmi Sacramenti rursus fieri non debet nec in ipso expositionis altari, si Missa est de eodem mysterio, uti docuit eadem S. C. in *Strigonien., 3 Julii 1896, ad 1um*: « Commemorationem SSmi Sacramenti (in Missa coram SSmo publice exposito), ob identitatem mysterii, solummodo omittendam esse in festis Passionis, Crucis, SSmi Redemptoris, SSmi Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis ». Si SSmum Sacramentum est expositum in ostensorio aut etiam in pyxide pro publica causa ex praecepto episcopi aut Romani Pontificis (*n. 1026*), et Missa non est de eodem mysterio, commemoratio SSmi Sacramenti in Missa quidem cum cantu celebrata ad quodlibet ecclesiae altare facienda semper est post omnes orationes a Rubrica praescriptas, sed ante orationes ab episcopo forte imperatas; et in Missis solemnibus celebrandis in festis duplicibus primae et secundae classis, si alias orationes non habent, facienda est sub unica conclusione cum oratione diei vel festi; uti colligitur ex S. R. C. decretis in *Brugen., 22 Jun. 1735, ad 8um* (n. 4049); in *Mechlinien., 16 Febr. 1737, ad 8um* (n. 4056); in cit. *Varsavien.*; in

(1) In *Societatis presbyterorum SSmi Sacramenti, 7 Julii 1877* (n. 5702), ad dubium: « 6to An minister in Missa privata justa de causa ad altare ubi SSmum Sacramentum est expositum, celebrata, debeat, prout tenet Illmus Gardellini, genuflectere utroque genu, vel solum uno, quoties transit intra Missam ante medium altaris, praecipue cum transfert librum ante evangelium et post sacras ablutiones? »; S. R. C. reposuit: « Ad 6um In accessu et recessu utroque genu; intra Missam unico genu ».

Zacathecas, 18 Maii 1074, ad 3um (n. 5581); in *Societatis Jesu, 18 Sept. 1875, ad 4um* (5713). In Missa autem lecta celebrata ad quodlibet etiam expositionis altare, commemoratio SSmi Sacramenti non est obligatoria, sed fieri potest, exceptis festis duplicibus primae et secundae classis et exceptis diebus alias orationes excludentibus, quales sunt Dominica Palmarum, et vigilia Nativitatis ac Pentecostes; uti censuit eadem S. C. in *Ord. Can. Reg. Later., 2 Dec. 1684, ad 4um* (n. 3013); in *Aquen., 2 Sept. 1741, ad 5um* (n. 4119); in cit. *Varsavien., ad 10um*. Pro expositione proprie dicta quadraginta horarum ad normam Instructionis Clementinae vide *Allegat. IV, § XIII sequ.*

Articulus II.

De processionibus cum Sanctissimo Sacramento.

1048. Si episcopi licentia ex causa publica est necessaria pro solemni SSmi Sacramenti expositione, a fortiori erit necessaria pro processione cum SSmo Sacramento. Jure communi processio cum SSmo Sacramento, et quidem solemnissima, praescribitur tantum in festo Corporis Christi; de qua *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. XXXIII* et *Rituale Romanum. De processione in festo SSmi Corporis Christi*. Episcopum posse compellere omnes clericos tum saeculares tum regulares, ut huic processioni intersint, vide in *Aversana, 2 Sept. 1679* (n. 2898); in *Mantuana, 2 Oct. 1583* (n. 3033), etc. Idem *Caeremoniale* probat processionem in octava ejusdem festi minus solemnem et minus longam. Tandem in multis locis receptum est ut processio cum SSmo Sacramento in unaquaque parochia fiat una vice quolibet mense sive in prima, sive in tertia, sive in alia dominica die: quem pium morem Sedes Apostolica probavit et commendavit pluribus indulgentiis. Idem in propriis ecclesiis servant quoque plures Ordines religiosi (1).

(1) In *Adrien., 16 Dec. 1828* (n. 4647), laudatur episcopi decretum quo prohibuit processionem cum SSmo Sacramento feria VI majoris hebdomadae. Vide etiam decretum ejusdem S. C. in *Lerien., 11 Febr. 1702, ad 1um* (n. 3614).

1049. Licet *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, agat de solemnissima processione in festo Corporis Christi, tamen plura ex iis quae tradit aliis quoque processionibus accommodari debent, si possibile est (1). Hic sufficiat nonnullas S. R. C. responsiones referre quae aliquas res dubias declarant.

1050. In processione cum SSmo Sacramento nequeunt deferri reliquiae Sanctorum, imo nec instrumenta Passionis D. N. J. C. Nam in *Veneta*, *17 Junii 1684* (n. 3059), proposito dubio : « 1° An in solemni processione SSmi Sacramenti Eucharistiae, tam in die Corporis Christi quam in majori hebdomada, deferre liceat instrumenta SSmae Passionis Salvatoris Nostri Jesu Christi, scilicet fragmentum SSmae Crucis vel Spinae » ; S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Negative ». Et recenter in *Almerien.*, *31 Jan. 1896*, ad dubium : « Utrum extra festum Corporis Christi ejusque octavam liceat in honorem B. M. V. aut Sanctorum in vespertinis processionibus deferre SSmum Eucharistiae Sacramentum et etiam imagines sive reliquias ipsius B. V. ac Sanctorum » ; eadem S. C. pariter reposuit : « Affirmative de consensu Ordinarii quoad primam partem ; negative quoad secundam ». Proinde deserendus est Christianus Lupus, *l. c.*, *cap. V sequ.*, contendens imagines ac reliquias B. M. V. ac Sanctorum in processione cum SSmo Sacramento deferri posse. At ex praxi ubique recepta non prohibentur in processione vexilla cum imaginibus B. M. V. aut Sanctorum in eisdem depictis.

1051. SSmum Sacramentum in processione, juxta dispositionem *Caeremonialis episcoporum*, *l. c.*, deferendum est propriis manibus a sacerdote : probanda igitur non est consuetudo illud deferendi in machina, uti reposuit S. R. C. in *Syracusana Modicae*, *2 Junii 1618* (n. 558), et in *Brugnaten.*, *10 Maii 1803* (n. 4435). Hinc etiam in *Trivertin.*, *22 Maii 1821* (n. 4926), ad dubium : « Utrum tolerari possit, an potius sit eliminanda consuetudo, qua in

(1) De processione SSmi Corporis Christi apud monachos Camaldulenses, vide *Ordinis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae*, *15 Sept. 1742* (n. 4130).

una eademque supplicatione SSmum Eucharistiae Sacramentum deferatur per plures sacerdotes qui sibi invicem succedunt »; S. C. reposuit : « Consuetudinem, tamquam abusum, eliminandum ». Celebrans autem, etsi episcopus, pedibus incedere debet, et « notorium est numquam licuisse nec licere ei uti sede portatili », uti edixit S. R. C. in *Meliten.*, *18 Jan. 1853* (n. 1659). Quod si non licet humeris sacerdotum circumferre SSmum Sacramentum in quadam machina collocatum, multo minus tolerandum est quod feria VI in Parasceve deferatur vel in quodam feretro per quatuor sacerdotes vel ab uno in quadam capsula ad modum tumuli formata: uti censuit S. C. in *Novarien.*, *16 Febr. 1630* (n. 846) ; in *Corcyren.*, *16 Martii 1632* (n. 951) et in *Brixien.*, *4 Febr. 1840* (n. 1198). Eadem S. C. in *Nullius*, *11 Jan. 1681* (n. 2935), declaravit, episcopum qui in habitu pontificali comitatur SSmum Sacramentum, non posse incedere sub baldacchino cum sacerdote SSmum deferente, nec posse habere aliam particularem umbellam ; quod et de provinciae praeside edixit in *Lucerina*, *17 Julii 1694* (n. 3334).

1052. Saepius eadem S. C. declaravit SSmum Sacramentum deferendum esse a presbytero qui Missam celebravit, e. g., in *Campsana*, *23 Martii 1709*, *ad 4um* (n. 3802), nisi episcopus intersit, ad normam *Caeremonialis* ; sacerdotem autem deferentem debere esse indutum pluviali, et non sufficere stolam super cappam canonicalem. Ita S. R. C. in *Salutiarum*, *18 Dec. 1784*, *ad 1um* (n. 4419), et in alia *Salutiarum*, *29 Nov. 1856*, *ad 3um* (n. 5228). Celebrans debet pluviali uti, licet pertineat ad regulare institutum non habens usum pluvialis ; de qua re in *Congregationis Montis Coronae*, *22 Jan. 1701*, *ad 5um* (n. 3575), et in una *Ordinis Minorum Excalceat. S. Francisci Prov. S. Didaci Hispalen.*, *15 Maii 1756* (n. 4260). Pluviale autem erit coloris albi, nisi alius color fuerit in Missa aut vesperis praecedentibus adhibitus. *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, agens de processione SSmi Corporis Christi praecipit ut clerici intervenientes processioni sacris vestibus induantur, ordini quo insigniti sunt convenientibus,

et coloris albi. Praestat ut haec lex etiam in aliis ecclesiis, praeter cathedrales, servetur. In *Urbevetana*, *26 April. 1704* (n. 3688), ad dubium : « An ipsi (canonici ecclesiae collegiatae) in peculiari processione quam sine interventu canonicorum ecclesiae cathedralis infra octavam SSmi Corporis Christi peragunt, possint incedere cum planetis » ; S. C. reposuit : « Posse ». At est abusus ut clerici assumant casulas, dalmaticas, etc. coloris non albi. Ceterum omnes debent procedere capite discooperto ita ut nec birretum, nec mitram, nec pileolum deferre liceat, non obstante quacumque consuetudine, uti pluries S. R. C. reposuit ; habentes mitrae usum, illam manu teneant, sicut alii birretum (1).

1053. In *Tarnovien.*, *26 Martii 1859* (n. 5285$_3$) proposito dubio : « 1° In nostris regionibus ab immemorabili tempore invaluit consuetudo ut in processione quae fit cum SSmo Sacramento, semel ante illam, et saepius ea perdurante, eucharistica benedictio populo donetur. In solemni vero processione quae agitur, occurrente festo Corporis Christi, invaluit insuper ut quoties ad aliquam stationem acceditur vel ab ea recceditur, toties benedictio donetur, et in reditu ad ecclesiam, celebrans intonans hymnum : *Te Deum laudamus*, benedicat ad quatuor mundi partes, rursus in ecclesia populo ab altari benedicat, cantans : *Et benedic hereditati tuae*, postquam, SSmum Sacramentum manu regens, ter cecinit : *Salvum fac populum tuum, Domine*. Invaluit tandem in minoribus processionibus ut in reditu ad altare recitetur hymnus : *Rex Christe primogenite*, etc., et ad verba : *Imo nos corpore refice sacroque sanguine ablue*, benedictio donetur eademque iteretur post cantum stropharum : *Tantum ergo Sacramentum*, etc., ac : *Genitori genitoque*, a celebrante absolutum, qui hoc temporis intervallo SSmum Sacramentum manibus tenere solet. Quaeritur ergo an haec omnia rite fiant » ; S. C. reposuit : « Ad 1um : Expositos usus alienos esse a Rubricis et decretis praescribentibus ut in supplicatione SSmi Sacra-

(1) In *Parmen.*, *22 Aug. 1705*, *ad* 5um (n. 3729), S. R. C. rescripsit, celebrante abbate, clericum post ipsum potuisse mitram cum velo deferre.

menti non adeo frequenter extra ecclesiam benedictio donetur, sed semel vel iterum dumtaxat; ut in reditu supplicationis ad ecclesiam deponi debeat SSmum Sacramentum super altari et nonnisi semel cum eo benedici et quidem post expletum cantum stropharum : *Tantum ergo*, *Genitori genitoque*, cum versiculo et oratione ; tandem ut in actu benedictionis nil prorsus cantetur ». Vide etiam cit. *Parmen.*, *ad 6um*. In fine autem processionis cum SSmo Sacramento dandam semper esse benedictionem, S. C. declaravit quoque in *Limana*, *27 Jun. 1868*, *ad 2um* (n. 5401). Item in *Fanen.*, *19 Julii 1687* (n. 3141), eadem S. C. declaravit benedictionem dandam esse super altare in ecclesia et non in janua, contraria consuetudine vel potius abusu non obstante (1). Quamquam vero liceat in processione semel vel iterum tantillum sistere et etiam dare benedictionem cum SSmo, duo tamen abusus hac in re eliminandi sunt. Primus est deferendi in processione scabella in quibus assideant celebrans et ministri, dum religiosum agmen consistit : de qua re vide *Hispalen.*, *21 Jan. 1690*, *ad 4um* (n. 3201). Alter est ut in ultima pausa infantes utriusque sexus accedant ad celebrantem qui super ipsorum caput ponit pedem ostensorii cum SSmo Sacramento. Demum lege responsionem S. C. in *Angelopolitana*, *ad 7um*, relatam *n. 303*.

1054. Cavendum est ne in hac processione actus scaenici vel ludicri et indecori admisceantur ; quod *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, expresse etiam monet. In cit. *Hispalen.*, *12 Febr. 1690* (n. 3201), archiepiscopus petiit num posset et deberet prohibere ne in festivitate et octava Corporis Christi fiant in ecclesia cathedrali saltus seu *danzae* (?) a mulieribus et viris personatis pileis coopertis ante SSmum Sacramentum, non obstante consuetudine introducta. S. C. reposuit : « Ad 5um : Posse et debere ». Eadem S. C. in *Urbis*, *5 Martii 1677* (n. 2398), decrevit abolendum esse morem quo in processionibus infra hebdomadam Corporis Christi per pueros et puellas repraesentarentur

(1) Vide *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, et *Rituale Romanum*, *De processione in festo SSmi Corporis Christi.*

varia martyria et mysteria. Vide etiam *Mediolanen.*, *5 Nov. 1867*, *ad 7um* (n. 2523). Pariter si quae picturae ad viarum ornatum apponuntur, hae nonnisi sacra et religiosa subjecta exhibeant. In *Salisburgen.*, *6 Oct. 1797* (n. 3402), sermo est de consuetudine quae in Germania inoleverat, erigendi in processione SSmi Corporis Christi quatuor altaria, in quibus quatuor evangelia legebantur; nec S. R. C. eam reprobat, imo implicite probat seu tolerat.

1055. Ex *Rituali Romano* ac *Caeremoniali episcoporum*, in festo SSmi Corporis Christi celebrantem praecedunt duo acolythi seu clerici cum thuribulis effumantibus. In *Societatis Jesu*, *11 Maii 1878* (n. 5728), ad dubium: « 1/° An in processione Corporis Christi liceat adhibere plusquam duos thuriferarios; et an tolerandum quod ea die pueri cotta induti circumeant altare spargendo flores et thus offerendo etiam tempore benedictionis »; S. R. C. reposuit: « Ad 1/um: Negative in omnibus ». Quod si non licet in processione Corporis Christi, nulla est ratio cur in aliis processionibus id permitti debeat.

1056. Ut SSmum Sacramentum debitum habeat cultum cum solemniter exponitur aut publice defertur in processione vel ad infirmos, curandum est ut in unaquaque parochia erigatur confraternitas SSmi Sacramenti. Licet enim Clemens VIII in const. *Quaecumque*, *7 Dec. 1704*, prohibeat plures Confraternitates ejusdem generis in uno eodemque loco, tamen haec prohibitio non afficit Confraternitates SSmi Sacramenti et Doctrinae Christianae, quae in unaquaque parochia, si fieri potest, existere deberent. Episcopus in visitatione dioecesis investigare debet num eae Confraternitates in parochia existant et, sin minus, earum erectionem urgere. Confraternitas SSmi Sacramenti, canonice erecta, eo ipso, absque alia aggregatione et concessione, fit particeps omnium indulgentiarum quae concessae sunt aut concedentur Archiconfraternitati SSmi Sacramenti quae in ecclesia ad Minervam in Urbe erecta est, ut declaravit S. C. Indulg., *23 April. 1676*, *Decr. Aut.*, *n. 13*, et alias. Jam vero confraternitas SSmi Sacramenti quae in parochia existit, solemni processioni cum SSmo Sacra-

mento interesse debet aliasque sodalitates praecedit; aliae sodalitates, si in ecclesia erectae sunt aut ejusdem servitio addictae, debent, secus non debent, sed possunt interesse, obtenta licentia ab ecclesiae praeside (1). Evitandae autem quam maxime sunt contentiones et litesquae oriri possunt ratione praecedentiae: qua in re prae oculis habenda sunt Bulla Gregorii XIII, *Exposcit. 15 Julii 1583*; *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*; et frequentissima S. R. C. et S. C. C. decreta.

Articulus III.

De benedictionibus cum Sanctissimo Sacramento.

1057 Jam diximus *(n. 1024)*, in expositione privata SSmi Sacramenti pyxidem nullo modo esse e tabernaculo extrahendam: unde prono alveo fluì videretur non licere benedictionem populo dare cum sacra pyxide; et revera docet Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 23*, has benedictiones esse contra regulam, quia Rituale Romanum hanc benedictionem cum sacra pyxide in duobus tantum casibus praescribit; scilicet parochus, post tradita maegroto communionem, si in pyxide particula aliqua supersit: *Accipiens vas cum Sacramento faciat cum eo signum crucis super infirmum, nil dicens*; et postquam in templum rediit: *Cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat signum crucis super populum nil dicens. Postremo illud in suo loco reponat.* His non obstantibus, consuetudo dandi benedictionem cum sacra pyxide post quamcumque privatam benedictionem evasit generalis, et tandem expresse probata fuit a S. R. C. Sanc in *Palentina*, *16 Jan. 1886* (n. 5957), ad dubium: « 1° Cum ex nonnullis SS. RR. CC. responsis aliqui putent sacram pyxidem, aperto tabernaculi ostiolo, posse fidelium pietati exponi, minime vero inde extrahi; alii vero educi posse opinentur, tantum ut cum eo populo benedicatur, quemadmodum fieri solet certis diebus in pluribus ecclesiis Regularium: quaeritur num hujusmodi consuetudo admitti possit. »; S. C. repo-

(1) Gardellini, in comm. *Instructionis Clementinae*, § XXII, *n. 1.*

suit : « Ad 1um : Affirmative ». Praeterea cum haec doctrina ab optimis *Ephemeridibus liturgicis* traderetur, recentius proposito dubio : « An post expositionem privatam SSmi Sacramenti, scilicet aperto ostiolo tabernaculi, dari possit benedictio cum eodem venerabili Sacramento in pyxide recondito, prout asseritur in *Ephemeridibus liturgicis* quae Romae eduntur a sacerdotibus Congregationis Missionis... » : S. C., in *Congr. SSmi Sacramenti* die *30 Nov. 1895* reposuit : « Affirmative ». Igitur hodie quaelibet expositio privata claudi potest per benedictionem cum sacra pyxide ; quae proinde dari potest etiam pluries in die et absque Ordinarii licentia.

1058. S. R. C. circa hujusmodi benedictiones cum sacra pyxide plura constituit. Nam in *Ariminen.*, *11 Sept. 1847* (n. 5112), episcopus exponebat in quadam ecclesia immemorabilem esse consuetudinem summo mane cujuslibet diei recitandi sacratissimum Rosarium B. M. V. et post ipsum dimittendi fideles cum benedictione SSmi Sacramenti in pyxide inclusi et in festis cum ostensorio quod in summitate non habebat crucem a rubricis requisitam, quin neutro in casu Sacramentum ipsum tam in pyxide inclusum quam in ostensorio apparens thurificaretur : et quaerebat num haec consuetudo posset continuari. S. C., quamvis probe nosceret haec omnia ab ordinaria facultate episcopi pendere, tamen reposuit scribendum esse episcopo, continuationem horum piorum exercitiorum permitti posse, nisi aliquod episcopus deprehenderet inconveniens quoad horam, praesertim hyemali tempore : « nam omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi in benedictione cum sacra pyxide, requiritur tamen omnino cum impertitur benedictio cum ostensorio, ac proinde illam hoc in casu exigat : ac pariter exigat ut in summitate ostensorii crux visibilis apponatur, quod requirunt ecclesiasticae leges, non obstante consuetudine Ordinis Praedicatorum cui peculiaris est ritus in explendis sacris caeremoniis ». Praeterea in *Meliten.*, *23 Febr. 1889*, *ad 5um* (n. 4844), declaravit : « Deberi in benedicendo populo cum sacra pyxide illam totam cooperire extremitatibus veli oblongi humera-

lis »; et in *Conversanen.*, *13 Julii*, *14 Aug. 1883, ad 1um* (*n. 5880*), rescripsit consuetudinem dandi benedictionem cum pyxide sine velo humerali esse eliminandam; item in *Urbinaten.*, *16 Jan. 1793* (n. 4449), consuetudinem dandi benedictionem cum sacra pyxide monialibus post distributam eisdem communionem. Tandem in *Ravennaten.*, *7 Julii 1876*, *ad 1um* (n. 5666), declaravit non licere extrahere pyxidem e tabernaculo ad unicum finem ut populo benedicatur, etsi immediate post Missam id fiat. Vide etiam quae diximus *n. 1023 sequ.*

1059. Ad benedictionem cum ostensorio quod attinet, haec sequitur publicam expositionem et processionem. S.R.C. in *Ultrajecten.*, *11 Julii 1857*, *ad 1um* (n. 5250), et in *Ratisbonen.*, *1 Julii 1873* (n. 5259), non probavit consuetudinem dandi benedictionem cum SSmo initio expositionis; sed ob peculiares circumstantias hanc consuetudinem censuit esse retinendam in *Salisburgen.*, *13 Febr. 1873* (n. 5531), et in *Bambergen.*, *28 April 1873* (n. 5543). Pariter in *Nivernen.*, *25 Sept. 1882* (n. 5853), non probavit praxim dandi benedictionem, durante expositione. Nam ad dubium: « 2° In nonnullis ecclesiis ac publicis communitatum oratoriis, etsi deinceps expositio tota nocte sequenti perduratura sit, horis serotinis deponitur SSmum Eucharistiae Sacramentum ut solemnis benedictio fidelibus confluentibus impertiatur, iterumque exponitur usque ad crastinam diem, qua minus solemnis fit depositio ante vel post Missam lectam. Hisce positis, Rmus Orator expetivit ut talis consuetudo licite servari possit »; S. R. C. reposuit: « Ad 2um: Negative ». Tandem eadem S. C. in *Imolen.*, *16 Maii 1744*, *ad 2um* (n. 4158), et deinde in *Urbis et Orbis*, *11 Dec. 1773* (n. 4312), damnavit consuetudinem, etiamsi diuturno et immemorabili tempore et usu introducta, qua sacerdos in ecclesiis monialium prius benedicebat cum SSmo Sacramento monialibus ac deinde populo; et praecepit ut, omissa speciali et separata monialium benedictione, unicam tantum cum eodem SSmo Sacramento benedictionem praesenti populo elargiretur. Ceterum in *Templen.*, *12 Jan. 1878* (n. 5716), propositis dubiis: « 10°

In expositione in forma quadraginta horarum, an permittatur singulis diebus sero antequam SSmum Sacramentum reponatur, benedictionem populo cum eodem impertiri; 11° An liceat in una eademque die atque in eadem ecclesia pluries cum SSmo Sacramento benedici populo »; S. C. reposuit: « Ad 10um: Affirmative. Ad 11um: Affirmative de licentia episcopi ».

1060. Quamquam sacerdos ministerio diaconi uti valeat in exponendo et reponendo SSmo Sacramento, tamen diaconus nequit cum eodem benedicere populo, antequam ostensorium reponat in tabernaculo; uti patet ex responsione S. R. C. in *Angelopolitana*, relata *n. 1041*; et ministri, momento benedictionis genuflectere debent ad praescriptum *Caeremonialis episcoporum*, cujus observantiam praecepit S.R. C. in *Messanen., 28 Nov. 1739* (n. 4099).

Qui autem benedictionem impertitur, assumere debet superpelliceum (aut albam), stolam et pluviale, ut S. R. C. pluries declaravit, e. g., in *Ord. Min. S. Franc. Capuccinorum, 17 Dec. 1888, ad 13um*; alba est necessaria solum in casu quo benedictio datur cum assistentia ministrorum, qui indui debent alba, tunicella et dalmatica, uti reposuit eadem S. C. in *Senogallien., 12 Maii 1893, ad 1um*. Etiam immediate post Missam solemnem sacerdos dare nequit benedictionem casula cum manipulo indutus, sed assumere debet pluviale, ut eadem S. C. declaravit in *Lincien., 3 Jun. 1892, ad 8um*.

SSmum Sacramentum e throno in altare deponit praebetque sacerdoti benedicenti sacerdos aut diaconus superpelliceo et stola indutus, vel, si benedictio datur cum ministrorum assistentia, diaconus cum dalmatica, uti censuit S.R.C. in *Portugallien., 17 Sept. 1785, ad 1um* (n. 4421). In *Congr. Oratorii S. Philippi Nerii, 29 Martii 1851, ad 1um* (n. 5160), interrogata num sacerdos stolam deosculari debeat, eam assumens ad deponendum e throno SSmum Sacramentum pro benedictione impertienda illudque reponendum in tabernaculo post benedictionem, S. C. reposuit servandam esse consuetudinem.

1061. Benedictioni preces ex sacra liturgia desumptae

vel ab Ordinario probatae, cum quis orationibus, praemitti possunt; sed immediate ante benedictionem cani debet *Tantum ergo* cum versiculo et oratione, et postea datur benedictio (n. 1044, 1053). In *Ravennaten.*, 6 *Sept. 1698* (n. 3489), ad dubium: « An in expositione SSmi Sacramenti, cantatis seu recitatis versiculis: *Panem de coelo*, etc., sacerdos insurgens debeat reiterare genuflexionem antequam recitet orationes »; S. R. C. reposuit: « Genuflexionem non esse reiterandam ». Versiculi autem: *Panem de coelo*, etc. addendum esse *Alleluia*, exceptis quadragesimae et vigiliarum temporibus, eadem S. C. rescripsit in *Famen.*, 23 *Jan. 1700* (n. 3546). Sepositio hoc decreto, ex praxi Ecclesiae Romanae, conformi Rituali Romano (n. 1106), *Alleluia* addendum est tantum tempore paschali et per totam octavam festivitatis Corporis Christi; alii vero versiculi, e. g., *Ora pro nobis*, post litanias lauretanas, *Benedicamus Patrem et Filium*, post hymnum *Te Deum*, etc., non additur nec tempore paschali aut infra octavam Corporis Christi, ut reposuit eadem S. C. in *Lincien.*, 3 *Junii 1892*, *ad 19um*. Reprobanda est consuetudo dandi benedictionem ad illa verba: *Sit et benedictus*; de qua re vide *Subinen.*, 5 *Febr. 1639* n. 1124), et *Ord. Min. Capuccinorum Provinciae Helvetiae*, 23 *Martii 1833*, *ad 3um* (n. 4748). Durante autem benedictione, nil omnino cani aut recitari debet neque latino neque vernaculo sermone, ut populus totis viribus intendat in obsequium Sacramenti quod ineffabili dignatione manibus sacerdotis nos benedicit; et tantum organa pulsari possunt graviter et devote. Id S. R. C. saepius declaravit; vide, e. g., *Tarnovien.*, 26 *Martii 1859*, *ad 1um* (n. 3285). Expleta benedictione, nil prohibet quominus canantur aut recitentur probatae preces, etiam lingua vulgari, ubi censuit eadem S. C. in *Bobien.*, 3 *Aug. 1839*, *ad 2um* (n. 4857). Item antequam populo detur benedictio, haberi potest brevis concinnecula ad pietatem excitandam; de qua re actum fuit in *Congr. Piorum Operar.*, 14 *Dec. 1883*, *ad 2um* (n. 5898).

1062. Sacerdos autem dum populo benedicit cum SSmo Sacramento nil prorsus clata voce dicere debet; e. g., dicere

non debet versiculum psalmi : *Benedicat nos Deus, Deus noster,etc.*, uti censuit S. R. C., in *Caputaquen.*, *9 Febr. 1762* (n. 4308), confirmata in *Lucionen.*, *23 Mart 1835*, *ad 3um* (n.4743) ; sed non prohibetur illum dicere submissa et imperceptibili voce. Insuper in *Collen.*, *22 Mart. 1676* (n. 2776), quaesitum fuit : « 2° An in benedicendo populum cum SSmo Sacramento sit servandus modus infrascriptus.Cum sacerdosstat ante populum,ostensorium ante pectus tenet ; tum elevat illud decenti mora non supra caput, sed tantum usque ad oculos et eodem modo illud dimittit infra pectus ; mox iterum recta illud attollit usque ad pectus et deinde ad sinistrum humerum ducit et reducit ad dexterum et rursus ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit, quasi, peracta ad omnes mundi partes cruce, eam etiam venerandam omnibus praebet ; tunc gyrum perficiens, collocat ostensorium super altare. Michael Baldry..... » ; S. C. reposuit : « Ad 2um : Si ei placet, potest observare supradictum modum, quem tradit idem Baldry....., sin minus servandus est modus dispositus in *Caeremoniali episcoporum*, *lib. II*, *cap. XXXIII*, ubi requiritur tantummodo ut cum eodem SSmo Sacramento celebrans producat Crucis signum super populum ».

Sacerdos autem, si est episcopus, ter producit cum SSmo signum crucis super populum, ut *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, § 27, expresse tradit ; si non est episcopus, unica tantum vice, et S. R. C. saepe, e. g., in *Orbis*, *22 Jun. 1675* (n. 2735), et in alia *Orbis*, *13 Jun. 1693* (n. 3313), et in *Montis Alti*, *9 Julii 1696* (n. 3390), etc., prohibuit regularibus ne, ad instar episcoporum, ter populo benedicerent. Id abbatibus permittitur solum quando pontificalia exercent (*n. 677,13°*) ; sed non aliis usum *insignium pontificalium* habentibus (*n. 678*, *16°*), nec, ut putamus, protonotariis apostolicis ad instar participantium (*n. 679*).

1063. In benedictione cum ostensorio incensum adhibendum esse, nemo dubitat, et expresse tradit tum *Caeremoniale episcoporum*, tum *Rituale Romanum*, tum S. R. C. in cit. *Ariminen.* (*n.1058*). Celebrans triplici ductu incensat Sacramentum tum cum ad altare pervenerit, tum ad

verba *Genitori Genitoque*; sed prima incensatio potest praetermitti, si hymnus *Tantum ergo* canitur statim ac sacerdos ad altare pervenerit. Solum dubitatur num thuriferarius, dum sacerdos benedicit populo, debeat incensare Sacramentum. Silentium quod de hac incensatione servant *Caeremoniale episcoporum*, *Rituale Romanum*, *Instructio Clementina*, et auctores fere omnes, probat hanc incensationem non esse praeceptam; et revera S. R. C. in *Veronen.*, *11 Sept. 1847*, *ad 9um* (n. 5444), reposuit hanc incensationem non praescribi. Quod si consuetudo hujusmodi in aliqua vigeat dioecesi, servanda est. Ita S. R. C. in *Sancti Marci*, *7 Sept. 1861* (n. 5515), ubi ad dubium: « 7° In expositione SSmi Sacramenti, dum a sacerdote benedictio fidelibus impertitur, licet, necne, thuriferario incensare SSmum »; S. C. reposuit: « Ad 7um: Non praescribi et servandam consuetudinem locorum ».

De benedictione in processione SSmi Corporis Christi vide *n. 1053*; et de jannis ecclesiae tempore benedictionis claudendis *n. 1038*.

SCHOLION

DE FESTO CORPORIS CHRISTI.

1064. Festum Corporis Christi ab Urbano IV fuisse institutum *an. 1264* extra dubium est. Quoniam vero Deus ad perficienda maxima suae gloriae opera aliquando solet infirma mundi eligere ut fortia quaeque confundat ipsaque soli honor et gloria tribuatur, hinc ad introducendam festivitatem Corporis Christi usus est opera B. Julianae, monialis in monasterio Cornelii montis prope Leodium, vitae sanctitate conspicuae, sicuti postea ad introducendam devotionem et festivitatem SSmi Cordis Jesu opera usus est B. Margaritae Mariae Alacoque, pariter monialis. Repetitis enim variisque modis Deus Julianae significaverat se hoc festum in Ecclesia velle, jubens ut ipsa primo illud celebraret aliisque obligationem celebrandi indicaret. Has revelationes humilis virgo diu silentio obvolvit et nonnisi post viginti annos et amplius illas Joanni de Lamene, canonico S. Martini Leodiensis aperuit. Is plures theologos consuluit, inter quos

Jacobum Pantaleonem, tunc archidiaconum Leodiensem, postea Summum Pontificem Urbanum IV ; qui omnes uno ore judicarunt aequum fore et Ecclesiae utile, si festum Corporis Christi speciali et solemni ritu celebraretur. Huic judicio adhaerens, Robertus episcopus et princeps Leodiensis, nonnullis frustra contradicentibus, festum solemne Corporis Christi feria V post octavam Pentecostes quotannis in sua dioecesi celebrandum instituit *an. 1246*, indicto jejunio in ejus vigilia. Deinde Urbanus IV, memor revelationum Juliannae et eorum quae Leodii acta fuerant, festum per Bullam *an. 1264* ad universam extendit Ecclesiam, pluribus additis indulgentiis. In hac Bulla nullum praecipitur jejunium in vigilia et nulla fit mentio processionis quae postea fuit instituta. Tandem ipsi Tridentini Patres hoc festum probaverunt *sess. XIII*, *cap. V* : « Declarat praeterea S. Synodus pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die praecelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur ».

1065. Idem Urbanus IV D. Thomae Aquinati commisit ut officium hujus festi confingeret ; et est mirabile illud officium quod Ecclesia in hoc festo legit. Nonnulli putaverunt Angelicum composuisse hymnum *Sacris solemniis*, et reliquum officium a Joanne Leodiensi elucubratum in meliorem formam redegisse. Sed perperam : integrum enim officium quale legitur inter opuscula D. Thomae sub. *n. 57* et ab universa Latina Ecclesia canitur, esse genuinum Angelici opus, auctores etiam D. Thomae coaevi passim testantur, quorum nonnullos vide apud Billuart, *De almo Eucharistiae sacram., Diss. II*, in fine.

CAPUT XI

DE SANCTISSIMA COMMUNIONE (1).

1066. Ardentissimo amori quo Christus D. erga homines flagrabat, parum erat inter ipsos non solum sua divinitate, sed etiam sua humanitate remansisse ; cum enim amor natura sua ad unionem tendat, Christus D. SSmam Eucharistiam sub speciebus panis et vini instituit, ut per communionem homines ipsi et ipse hominibus intimiori qua fieri potest unione, devincirentur ipseque sua corporali praesentia homines sanctificaret. In specie Conc. Trid., *sess. XIII*, *cap. VI*, et *can. VI*, definit licitum esse ad infirmos deferre sacram communionem, quae si periculum mortis adest, dicitur *viaticum*, quia in transitu a tempore ad aeternitatem nos confortat (2). De communione qua nos et Christus D. unum quodammodo constituimur, nunc agendum est.

1067. Triplex autem communionis species, ex Conc. Trid., *sess. XIII*, *cap. VIII*, distingui potest et solet : « Quoad usum... recte et sapienter Patres nostri tres rationes hunc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt ; quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores ; alios tantum spiritualiter, illos nimirum qui, voto propositum illum coelestem panem edentes, fide viva quae per dilectionem operatur, fructum ejus et

(1) Quid nomine *communionis* in antiquitate veniret, vide apud Card. Bona, *Rer. Lit.*, *lib. II*, *cap. XIX*, *n. 3* : nos loquimur de una communione eucharistica.

(2) Apud antiquos *viaticum* appellabatur quidquid Christianos munire posset, cum ex hac vita migrabant ; idcirco eo nomine non Eucharistia solum, sed etiam baptismus, confirmatio, extrema unctio, continebatur ; hodie designat tantum Eucharistiam quae morientibus datur. Devoti, *Inst. Can.*, *vol. II*, § *49*.

utilitatem sentiunt (1); tertios porro sacramentaliter simul et spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant ». Nostrum est hic agere non de communione mere spirituali, sed de communione sacramentali; quae et spiritualis erit, si, quae exponemus, serventur.

Articulus I.

De ministro sanctissimae communionis.

§ 1. — *Quinam sanctissimam communionem ministrare valeant.*

1068. Praetermittentes facta historiae ecclesiasticae, quibus sacra communio fuit miraculose ministrata, in primis recolimus id quod Conc. Trid., *l.c.*, tradit: « In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit ut laici a sacerdotibus communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent; qui mos tamquam a traditione apostolica descendens jure ac merito retineri debet ». Quod autem Concilium de laicis tradit, ad omnes extendendum est qui SSmum Eucharistiae Sacrificium actu non offerunt, ita ut regula generalis sit sacerdotes celebrantes seipsos communicare, alios autem omnes non celebrantes a sacerdote communionem recipere; et ideo ministrum sacrae communionis esse sacerdotem distinctum a recipiente, si a sacerdote celebrante et seipsum communicante praescindamus.

1069. Ut haec aliquantisper explicemus, dicimus sacerdotes, vi ordinationis presbyteralis, principaliter habere

(1) Proinde communio spiritualis in hoc consistit: homo, desiderans recipere Christum D. sub speciebus sacramentalibus, edit actus fidei, gratiarum actionis, amoris, doloris, propositi, petitionis. Haec pia communionis spiritualis praxis tum in visitatione SSmi Sacramenti, tum tempore Missae, si quis sacramentaliter non communicat, utilissime exercetur, etiam ab illo qui est in statu peccati mortalis, et si rite fiat, actum perfectae contritionis includit et ideo, una cum voto sacramenti poenitentiae, a labe peccatorum emundat.

potestatem ordinis sanctam communionem aliis praebendi, ut docet etiam S. Thomas, in *3 p.*, *q. 82*, *a. 3*. Sane, vi ordinationis presbyteralis habentes potestatem consecrandi et sumendi corpus et sanguinem D. N. J. C., a fortiori potestatem SSmum Sacramentum aliis dispensandi habere dicendi sunt. Revera Christus D. in ultima coena Apostolis et in Apostolorum persona omnibus eorumdem successoribus in sacerdotio dixit : *Hoc facite* ; atqui Christus D. consecravit, sumpsit et dispensavit. Proinde Apostolus *1ª Cor.*, *IV, 1* : *Sic nos* (idest sacerdotes) *existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei*.

1070. Quamquam vero quilibet sacerdos vi ordinationis presbyteralis habet potestatem ordinis ministrandi Eucharistiam, tamen, hujus potestatis exercitium moderata, Ecclesia statuit solos sacerdotes jurisdictionem habentes hanc potestatem in personas sibi subjectas exercere posse, alios autem nonnisi ex eorum licentia. Haec regula colligitur ex *Clem. 1ª, De privilegiis* : « Religiosi qui clericis aut laicis sacramentum unctionis extremae *vel Eucharistiae ministrare*, matrimoniave solemnizare, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali…, praesumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendi ». Sacerdotes autem, jurisdictionem habentes, posse licentiam ministrandi Eucharistiam aliis *concedere*, evidens est (1) ; imo hoc jus praescribi etiam potest, sicut alia spiritualia jura. Tandem in casu necessitatis cum magno fidelium spirituali incommodo lex Ecclesiae non urget, et ideo cuilibet jus erit sacram communionem praebendi.

1071. His principiis constitutis, ut determinetur minister licitae communionis, distinguendum inter personas subjectas jurisdictioni superioris regularis exemptasque ab Ordinarii et parochi jurisdictione, et personas subjectas jurisdictioni Ordinarii et parochi.

(1) Expedit ut sacerdos delegatus ad viaticum ministrandum sit confessarius approbatus, ut nempe infirmus possit, si velit, conscientiam suam ante communionem amplius emundare.

1072. Quoad primam personarum classem, superior jure proprio potest sacram communionem sive simplicem et ordinariam, sive per modum viatici ministrare. At vel ex consuetudine vel ex tacita superioris licentia istae personae possunt communionem simplicem et ordinariam recipere ab aliis quoque sacerdotibus regularibus aut saecularibus in ecclesia regulari celebrantibus ; et si quidem extra regularem ecclesiam degunt, etiam a sacerdotibus regularibus aut saecularibus in ecclesia saeculari celebrantibus. Proinde praescindendo nunc a praecepto paschali de quo infra, jus exclusivum superioris restringitur ad sacram communionem extra ecclesiam, praesertim per modum viatici ; in illos vero qui hoc jus invaderent, nullae canonicae poenae constitutae leguntur.

1073. Si vero quaeratur quaenam in concreto sint personae a jurisdictione parochiali exemptae et superioris jurisdictioni submissae, respondemus has personas determinari in sequentibus documentis.

Ex Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. XI*, *de ref.*, sunt omnes *qui actu serviunt et intra eorum* (Regularium) *septa ac domos resident subque eorum dependentia vivunt* (1) ; seu ut idem Concilium ait, *sess. XXV*, *cap. XI*, *de Reg.*, qui sunt *de monasteriorum seu locorum familia*. Tridentinum hic loquitur de Ordinibus cum votis solemnibus ; si agitur de Congregationibus religiosis approbatis cum votis simplicibus, ex decreto approbationis videndum utrum exemptio eisdem concessa latiores, an arctiores limites habeat. Porro sub Tridentini verbis certe comprehenduntur professi, novitii, conversi et famuli intra septa, idest claustra, et domos, nempe monasteria, Regularium habitantes et ratione famulatus superiori obedientes (2). Hinc S.C.C. in una *Mediolanensi*, *mense Junio 1787*, ad dubium : « An laicis qui intra claustra Regularium habi-

(1) Gregorius XIII in const. *Circumspecta*, *25 Nov. 1580*, exigit ut hae tres conditiones simul concurrant. Vide Benedictum XIV, *Inst. Ecc. LV*, *n. 7*.

(2) Bouix, *De Regularibus*, *pars V*, *cap. II*, *quaest. X* ; Ferraris, *Bibliotheca*, *etc.*, *v. approbatio*, *n. 64 sequ.* ; Giraldi, *Expositio juris pontificii*, *p. I*, *sect. 891*.

tant et illis actu serviunt, possint Regulares sacramentum Eucharistiae et tempore Paschae et extremae unctionis ministrare, necnon in eorum ecclesiis eisdem laicis sepulturam dare » ; rescripsit : « Posse ». In eodem sensu reposuit in *Vratislaviensi, Jurium parochialium, 25 Jan. 1738.* E contrario, certe non comprehenduntur famuli qui, licet in monasterio laborent, tamen in eodem nullatenus habitant, e.g., sutores, barbitonsores, etc. ; item nec illi qui habitant in aede quae pertinet ad monasterium eique conjungitur ipsiusque circuitu per muros exteriores includitur, sed proprie intra septa ac domos ipsorum Regularium non commorantur ; prouti, auctoritati S. C. C. fretus, docet Benedictus XIV, *l. c. ;* demum nec illi qui in eadem Regularium domo hospitio recipiuntur, aut stabiliter manent, quin tamen sub superioris obedientia ullatenus sint. Hinc S. C. C. die *27 Sept. 1670*, declaravit : « Non licere fratribus absque licentia episcopi vel parochi administrare sacramenta advenis qui in eorum conventibus infirmantur, et, si decedant, non posse sepeliri in eorum ecclesiis ». Et ad dubium : « An Patres S. Augustini licite potuerint, irrequisito parocho, sacramenta ministrare (alicui qui in monasterio sese receperat ut ibi ad mortem usque moras ageret) et corpus tumulare in casu » ; reposuit die *27 Nov. 1717* : « Negative ». Tandem gravis quaestio est utrum sine speciali indulto comprehendantur, necne, juvenes in collegiis vel seminariis Regularium educationis causa degentes ; idemque dicatur de puellis in monasteriis monialium exemptarum. Plures censent hujusmodi juvenes non comprehendi seu pendere a parocho (1) ; alii, e contrario, comprehendi seu pendere a superiore regulari (2). Nos putamus horum juvenum exemptionem a lege parochiae non probari ex verbis Tridentini supra relatis ; nam haec verba, utpote laesiva juris parochialis, strictae subsunt

(1) D'Annibale, Comm. *in const. Apostolicae Sedis, inter excomm. R. P. reservatas, art. 14* ; Pennacchi, *ibid.* ; Varceno, *Compendium Theol. Mor., t. II, p. 478, sequ.* ; Conrado, *De censuris, pag. 85.*

(2) Avanzini, Comm. in *const. Apostolicae Sedis, l. c.* ; Balleriti, ad Gury, *vol. II, n. 975* ; Gury, *II, n. 564.*

interpretationi; atqui stricte loquendo ii juvenes nullo modo dici posse videntur *de familia regularium*, et si degunt intra septa et domos Regularium sub superiorum regularium obedientia, non tamen actu serviunt. Praeterea haec exemptio nec probatur SS. CC. RR. decretis, quae, si non obstant, saltem non favent. Ex alia autem parte plures Ordines religiosi cum votis solemnibus hoc exemptionis privilegium a Sede Apostolica obtinuerunt, e. g., Benedictini, Theatini, etc.; et non apparet cur nam ex communicatione privilegiorum alii Ordines religiosi tale privilegium non consequantur. Ob hanc rationem nos alterae subscribimus sententiae; nisi forte consuetudo parocho faveat, ex responsione S. C. EE. et RR. in *Parmensi, 21 Julii 1845*. Hinc quoniam Congregationes religiosae cum votis simplicibus non communicant (absque speciali S. Sedis concessione) in privilegiis cum Ordinibus votorum solemnium, putamus juvenes in seminariis et collegiis a Congregatione directis pendere a parocho citra indultum a Sede Apostolica obtentum; quod reipsa plures istiusmodi Congregationes, directioni seminariorum et collegiorum praepositae, habent.

1074. Praeterea ex Leonis X const. *Dum intra*, edita in concilio Lateranensi, *sess. XXI*, et ex instructione S. C. EE. et RR., *20 Dec. 1616*, sunt Tertiarii *collegialiter viventes seu cum claustralibus habitantes*, idest qui vivunt in aliqua communi domo in saeculo vel collegio sub habitu et regula Tertiariorum a Sede Apostolica probata, aut qui sub dicto habitu et regula Tertiariorum morantur una cum claustralibus sui ordinis, superiori obedientes; et Tertiariae, quae, annos saltem quadraginta natae, probatae vitae, habentes de proprio necessaria ad honestam sustentationem, a superioribus regularibus, de expressa Ordinarii loci licentia, admissae sunt ad habitum cum voto simplici castitatis, et sub habitu et regula Tertiariarum viventes sive collegialiter aut cum monialibus, ut supra, sive apud consanguineos aut affines in primo gradu (1). Sane Tertiarii et Ter-

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XXIV, n. 14 sequ.*, et *Inst. Ecc. CV*,

tiariae in his circumstantiis gaudent, juxta citata documenta, omnibus privilegiis sui Ordinis ideoque et exemptione a potestate episcopali et parochiali ; imo ex consuetudine his privilegiis gaudere possunt, etsi omnes enumeratae circumstantiae de facto non verificentur (1).

1075. Tandem sunt omnes pauperes in Regularium hospitalibus degentes, si Ordo regularis hoc privilegium a Sede Apostolica obtinuit. In ipsa *Clementina 1ª*, *De privilegiis*, in fide additur : « Sane religiosis illis quibus est ab Apostolica Sede concessum ut familiaribus suis domesticis aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus sacramenta possint ecclesiastica ministrare, nullum ex praemissis volumus, quoad hoc, praejudicium generari ». Etiam episcopus in sua dioecesi potest alicui hospitali hanc exemptionem a potestate parochiali concedere, ut docet Glossa, *l. c.*, *v. Apostolica*, et Bouix, *op. cit.*, *pars V*, *sect. II*, *cap. II*, *quaest. XI*, *a. 7*.

1076. Quoad alteram classem personarum, parochus (et episcopus) potest jure proprio sacram communionem sive simplicem et ordinariam, sive per modum viatici in proprio territorio his personis ministrare tum parochianis tum non parochianis, qui tamen per communionem in aliena parochia receptam praeceptum paschale per se non adimplent ; de qua re infra. At hodie ex consuetudine quilibet sacerdos, celebrans Missam, sacram communionem simplicem et ordinariam fidelibus Missae assistentibus ministrare valet, nisi parochus (aut episcopus) sacerdoti celebranti id prohibuerit. Diximus *sacerdos Missam celebrans*, quia ad ministrandam communionem in ecclesia extra Missam necessaria erit licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae. Praeterea utrum prima communio reservetur, necne, parocho, infra dicemus ; sed reservatur certe jus ministrandi sacram communionem in territorio parochiae, praesertim publice et per modum viatici, licet censura non afficiat omnes invadentes (*n. 1076*).

n. 59 sequ. ; Bouix, *De regularibus*, *pars III*, *cap. I*, *sect. I*, *cap. I*, § *1* ; Ferraris, *Bibliotheca*, *etc. v. Tertiarii*, *n. 1 sequ.*

(1) Ferraris, *l. c.*, *n. 23*.

1077. Regulares autem jure communi non possunt, sine speciali parochi licentia, his personis sacram communionem ullo modo ministrare (*n. 1070*), nec simplicem et ordinariam, sive in eorum ecclesiis sive in ecclesiis saecularibus. At in primis, ut supra, ex consuetudine regulares in ecclesiis saecularibus celebrantes jam possunt sacram communionem simplicem et ordinariam fidelibus distribuere, et etiam extra Missam cum licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae. Praeterea Fratres Minores a Pio IV et a S. Pio V, et exinde per communicationem privilegiorum omnes Regulares a Sede Apostolica obtinuerunt privilegium praebendi in suis ecclesiis sacram communionem simplicem et ordinariam omnibus fidelibus illam petentibus, una excepta die Paschatis (1). Proinde prohibitio juris communis hodie ad duo tantum restricta est, nempe *a*) ne religiosi sacram communionem extra ecclesiam, praesertim publice et per modum viatici, personis extraneis, praeterquam in casu necessitatis, sine licentia parochi, ministrent; *b*) ne religiosi sacram communionem simplicem et ordinariam in suis ecclesiis distribuant die Paschatis (2) et Romae feria V in coena Domini.

1078. Contra religiosos qui primam violant prohibitionem, ministrantes viaticum, excommunicatio Clementina (*n. 1070*) servata est in const. *Apostolicae Sedis*, *art. 14*, inter excommunicationes Romano Pontifici reservatas: « Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque parochi licentia ». *Religiosis*, nempe cum votis solemnibus; nam profecto de

(1) Benedictus XIV, *De syn.*, *lib. IX*, *cap. XVI*, *n. 3*; qui refert S. C. C. saepius declaravisse hanc exceptionem non totum paschale tempus, sed unam Paschatis diem comprehendere. P. Ballerini in notis ad Gury, *n. 289*, *nota c*, observat Romae et feriam V in coena Domini excipi. Sicut autem prohibitio Clementinae 1ma, ita haec exceptio non videtur, rigorose loquendo, afficere presbyteros saeculares feria V in coena Domini aut die Paschatis in ecclesiis Regularium celebrantes.

(2) Nonnulli dixerunt hanc ultimam prohibitionem consuetudine sublatam esse. Haec *generalis* consuetudo gratis affirmari videtur; si vero alicubi haec consuetudo viget, non illico damnanda erit, quia, si tempore debito perduraverit, non apparet ratio qua irrationabilis dici debeat.

his tantum agebat citata *Clementina 1ª*, ex qua hic articulus desumptus est : atqui articuli const. *Apostolicae Sedis* interpretandi sunt juxta antiquiora documenta e quibus fuere deprompti, nisi aliud constet, uti Pius IX aperte tradit initio ejusdem constitutionis. Proinde sacerdotes saeculares aut religiosi votorum simplicium, etiam in Ordinibus cum votis solemnibus, invadentes parochorum jus viaticum ministrandi, peccant quidem, sed hanc censuram non contrahunt. Religiosos autem cum votis solemnibus hac censura ligari, etsi et ipsi parochi sint, palam est. *Praesumentes* ; proinde ab hac censura excusat quaelibet ignorantia etiam crassa et supina et etiam affectata, cum praesumptio, sicuti temeritas, scientiam positivam importet cum aliquo contemptu et quaelibet ignorantia scientiam positivam excludat (1). Hinc si religiosi putant infirmum non subjici juri parochiali, aut casum necessitatis verificari, aut necessariam parochi licentiam adesse, ministrantes viaticum, censuram effugiunt. *Clericis et laicis*, qui nempe subsunt juri parochiali ; secus religiosi jus parochorum non invaderent et ideo censuram non contraherent quae lata fuit ad parochorum jus contra religiosos defendendum. Hinc si religiosi viaticum afferunt ad infirmum qui exemptus est a jurisdictione parochiali (*n. 1073*), hac censura certe non tenentur. Nonnulli (2) putant nec teneri, si viaticum afferunt ad episcopum, Cardinalem, eremitam qui nomine clericorum et laicorum in odiosis non veniunt ; cui sententiae non subscribimus, si parochis exclusivum jus est viaticum ad ipsos afferendi. *Extra casum necessitatis*, nempe si periculum mortis non urget, vel urget quidem, sed parochus facile acciri potest. Quod si periculum mortis urget et parochus facile acciri nequit, prohibitionem et censuram cessare, diximus *n. 1070*. *Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum* ; unde patet differentia inter censuram Clementinam (*n. 1070*) et hunc articulum const. *Apostolicae Sedis*. Quod si sacra communio non per via-

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 116*. Vide nostrum *Tractatum canonicum de matrimonio, n. 996* ; et *de sacra ordinatione, n. 204*.

(2) Pennacchi, in comm. const. *Apostolicae Sedis, l. c.*

ticum, sed ex devotione ministratur sive ante sive post viaticum receptum, cessat censura. Tandem *absque parochi licentia*. Nomine parochi intelligitur qui curam animarum actu gerit et cujus est viaticum ministrare ; a fortiori autem licentia episcopi sufficeret. Cum in const. *Apostolicae Sedis* non requiratur, sicuti in *Clementina 1ª* (*cit. n. 1070*), parochi licentia *specialis*, patet sufficere licentiam *generalem* ; auctores admittunt sufficere etiam licentiam *tacitam*, imo et *praesumptam*, si nempe religiosus ex positivis et particularibus rationibus scit quod episcopus vel parochus licentiam certe in casu daturus ei fuisset, si scivisset. Pariter satis est licentia generalis data aegroto ; e. g., permitto ut viaticum a quocumque sacerdote quem malis, recipias. Haec, inquam, licentia satis est, licet parochus religioso, quem aegrotus elegit, licentiam daturus non fuisset, si scivisset (1).

Huc usque de sacerdote sacrae communionis ministro.

1079. Etiam diaconus, vi ordinationis diaconalis, potestatem dispensandi Eucharistiam obtinet, sed secundario, idest ex commissione sacerdotis, tanquam ejusdem minister, seu auxilium, organum et instrumentum (2). Hinc si antiquam consulamus disciplinam, quando fideles sub utraque specie communicabant, diaconus eisdem calicem praebebat ; nam praecedebat sacerdos offerens corpus et sequebatur diaconus ministrans calicem. Aliquando autem legimus diaconos utramque speciem fidelibus ministrasse, ut apud S. Justinum, *Apol. 2 pro Christianis*, praesertim in casu necessitatis cum permissione sacerdotis, pronti praescribitur in *Statutis Ecclesiae antiquae*, *cap. 38*, ibi : « Diaconus, praesente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget ». Haec disciplina adhuc viget ; obsoleta enim in Ecclesia occidentali communione sub specie vini, diaconus communionem sub specie panis praebere potest tantum in casu necessitatis et ex licentia sacerdotis. *In casu necessitatis*, nempe si

(1) D'Annibale, in comm. const. *Apostolicae Sedis*, *l. c.*

(2) Suarez, in *3 p. D. Thomae*, *disp. 72*, *sect. 1*, *n. 4.* ; Gury, *II*, *n. 289.*

urget ministrare infirmo viaticum et sacerdos abest aut commode nequit illud afferre ; quod firmatur ex responsione S. R. C. in *Tunquini Occidentalis* citanda *n. 1102*. Item si parochus sit occupatus in magno aliquo festo (1), aut si sancta communio magnae fidelium multitudini ministranda est et sacerdotes ad id sufficientes desint ; quod in cit. *cap. 38 Statutorum Ecclesiae antiquae* tradi videtur. Extra casum necessitatis diaconus Eucharistiam ministrare nequit, ut expresse reposuit S. R. C. in *Ordinis Minorum*, *25 Febr. 1777* (n. 4379). *Ex licentia sacerdotis* ; nempe illius qui habet jus ministrandi sacram communionem. At ex una parte hic sacerdos licentiam extra necessitatis casum concedere non potest, et ex alia, si licentia peti nequit aut injuste (evidenter) denegatur, diaconus potest viaticum ministrare etiam sine licentia. In nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione*, *n. 341*, diximus diaconum illicite ministrantem sanctam communionem verius irregularitatem ex exercitio potestatis ordinis non receptae non contrahere, cum potestatem ministrandi Eucharistiam ordinatione diaconali recipiat, exercendam in solo casu necessitatis sub dependentia legitimi superioris, juxta praesentem Ecclesiae disciplinam.

1080. Ad alios inferiores clericos quod attinet, ii vi ordinationis potestatem ministrandi Eucharistiam nec secundario obtinent ; numquam enim legimus hoc sacramentum in casu communis necessitatis, loco sacerdotum, fuisse ab inferioribus clericis ministratum. Nihilominus in casu extremae necessitatis, nempe si deest sacerdos aut diaconus et infirmus sine viatico e vita migraret, inferiores clerici de mandato episcopi viaticum praebere possunt. Extra hunc casum, si clerici inferiores Eucharistiam ministrant, certe contrahunt irregularitatem ex solemni exercitio potestatis ordinis non receptae, ut diximus in cit. nostro *Tractatu*, *l. c.* Imo si et clericus inferior deest ac infirmus viatico careret, maxime si eidem nec poenitentia nec extrema unctio ministrari potuit, plures graves theologi admittunt etiam pio laico ab

(1) S. Alphonsus, *Hom. apost.*, *tract. XV*, *n. 9*, cum communi.

episcopo committi posse, e. g., tempore pestis, ut eidem viaticum afferat (1). De laici irregularitate, viaticum ministrantis extra hunc necessitatis casum, vide citatum nostrum *Tractatum, n. 334*. Haec conformia sunt antiquae disciplinae qua propter gravem aliquam necessitatem minores quoque clericos atque etiam laicos Eucharistiam tribuisse constat (2). Ceterum, si episcopus consuli nequit, licentia praesumpta satis erit (3).

1081. Ex his jam apparet nec sacerdotem, extra Missae celebrationem, nec alios posse communicare seipsos. At si sacerdos Missam celebrare nequit et deest sacerdos qui Eucharistiam eidem tribuat, poterit etiam citra horris periculum et ex sola devotione, remoto scandalo, Eucharistiam ipse sumere ex ciborio ; ceteri autem omnes id in illis tantum circumstantiis possunt, in quibus aliis Eucharistiam ministrare valent, idest urgente necessitate, diaconi, deficientibus sacerdotibus ; clerici, deficientibus sacerdotibus et diaconis ; laici, deficientibus sacerdotibus, diaconis et clericis. Haec confirmantur, quia olim, saevientibus persecutionibus, fideles Eucharistiam, in suis domibus asservatam, propriis manibus sumebant (*n. 971*). Id et in praesenti disciplina licere S. C. de Prop. Fide reposuit die *10 Aug. 1841* ad Vicarium Apostolicum Tongkini Occidentalis ; nam ad dubium : « 3° An permitti potest in hoc persecutionis tempore ut fidei Confessores ad mortem propter fidem damnati et quibus in carcere defertur SSmum Eucharistiae Sacramentum, occulte possint illud accipere suis manibus et sese occulte communicare, ne sacerdos, illos more ordinario communicans, cognoscatur et prehendatur, vel satiusne est in illo casu ab illis Confessoribus communicandis abstinere maximo cum illorum animae detrimento » ; S. C. censuit : « Ad 3um : Affirmative ad primam partem ; dummodo nullo irreverentiae aut alio periculo tantum Sacramentum exponatur » (4).

(1) Suarez, *l. c.*, *n. 10* ; D'Annibale, *III*, *n. 395* ; Lehmkuhl, *II*, *n. 134*.
(2) Devoti, *Inst. Can.*, *lib. II*, *tit. II*, § *47 in nota 2*.
(3) S. Alphonsus, *l. c.*, *n. 10*.
(4) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 728*.

1082. Porro qui curam habent animarum sive principalem, uti episcopus, parochus, superior regularis, sive subsidiariam, uti coadjutor parochialis, etc., debent ex justitia suis subditis Eucharistiam præbere, quoties eam rationabiliter petunt, quia horum juri illorum obligatio correlativa est. At negatio sanctæ communionis simplicis et ordinariæ plerumque non est per se grave peccatum et omni peccato vacat, si petitio est importuna sive ex sese, sive ob alia parochi negotia. Animarum pastores debent nonnatum infirmis viaticum statim deferre, ne ii morte forte ex præoccupentur, et in genere curare ut omnes qui obligatione recipiendi Eucharistiam adstringuntur, eidem satisfaciant. Reliqui sacerdotes non parochi, aut sacerdotes-parochi fidelibus non-parochianis tenentur ex charitate hoc officium præstare maxime in articulo mortis, nisi ex gravi incommodo excusentur. Tempore autem pestis parochus tenetur residere; obligatio autem ministrandi viaticum cum vitæ periculo urgenda non est, cum viaticum non sit tantæ necessitatis; debet autem parochus per se vel per alium sacramentum baptismi et pœnitentiæ ministrare, licet expediat ut ipse, si potest, a peste infectis abstineat, ne sani timore mortis eumdem fugiant. Hæc probantur ex responsis Romani Pontificis quæ refert Fagnanus in comm. *cap. 17, De cleric. non residentibus, n. 37 sequ.*

1083. Tandem minister, alioquin idoneus, a sacra communione ministranda prohibetur per censuram, præterquam in casu necessitatis, si nempe infirmus sine viatico decumbit et alius sacerdos vel diaconus qui viaticum afferat, deest. Proinde nequit sacram communionem distribuere sacerdos excommunicatus, interdictus, suspensus *ab officio*, *ab executione officii*, *a divinis*, *ab officio divino*, etc.; et sacram communionem distribuens, non solum graviter peccat, sed etiam irregularitatem contrahit, de quâ in nostro *Tractatu canonico de sacra ordinatione, n. 365*.

De ministro sacræ communionis qui eam præbet in statu peccati mortalis, vide in eodem nostro *Tractatu, n. 1145*.

§ 2. — *De tempore et loco quo sancta communio distribui potest.*

1084. Conc. Trid., *sess. XXII, cap. VI*, docet : « Optaret quidem sacrosancta synodus ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent ; quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret ». Cum enim communicantes in Missa, ad actionem sacrificam plenius concurrant, majorem fructum specialissimum percipiunt : insuper id est conforme exemplo et institutioni Christi ac antiquae disciplinae qua omnes Missae assistentes communicabant (1). Exinde autem minime sequitur Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter sacram Eucharistiam sumit, propterea veri, perfecti et integri sacrificii ratione carere et ideo illicitas esse, cum, prouti ex dictis apparet, fidelium in Missa communio peroptanda sit non ad sacrificii eucharistici perfectionem, sed potius ad fidelium ipsorum utilitatem. Hinc Conc. Trid., *l. c.*, has Missas probat atque commendat, et in *can. VIII* definit : « Si quis dixerit Missas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas, A. S. ». Imo fieri optime potest, ut ratione temporis, loci, personarum aliarumque circumstantiarum, minus expediat fideles in Missa quae celebratur, communicare, prout optime docet Benedictus XIV, in litteris *Certiores effecti, 13 Nov. 1742*, § *4*, et in const. *Magno, 2 Jun. 1751*, § *23* ; quod ex dicendis melius apparebit. Tandem nullum jus vetat sacram Eucharistiam distribuere etiam immediate ante, immediate post, aut omnino extra Missam sive in ecclesia aut oratorio ubi servatur SSmum Sacramentum, sive etiam extra ecclesiam in communione infirmorum (*n. 1066*). Igitur ex relatis Tridentini verbis fideles hortandi sunt ut Missae assistentes communicent ; sed tandem possunt non communicare, et si sacram communionem petunt immediate ante, vel immediate post, vel omnino

1) Devoti, *Inst. Can., lib. II*, § *50* ; Card. Bona, *Rer. Lit., lib. I, cap. XIII, n. 2.*

extra Missam, repelli non debent ; vide epistolam S. R. C. in *Januen., 7 Dec. 1844* (n. 4984). Equidem Rituale Romanum, exponens *Ordinem administrandi sacram Eucharistiam*, ait : « Communio autem populi intra Missam statim post communionem sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quandoque *ex rationabili causa* post Missam sit facienda ». At, fideli petente, haec rationabilis causa praesumi debet. Cum ephemeridis quaedam publicavisset sacram communionem ante et post Missam distribui non posse sine gravissima causa, et citavisset recentius S. R. C. decretum, quin tamen illud afferret, S.C. declaravit nullum hujusmodi decretum extare.

1085. Olim disputatum fuit, utrum sacerdos, paramentis nigris indutus, posset, necne, ante, infra aut post Missam defunctorum sacram communionem distribuere. S. R. C. in *decreto generali, 27 Junii 1868 (n. 5403)*, recenset varias hujus quaestionis phases variasque opiniones ; quibus finem imposuit per citatum decretum, unice prae oculis hodie habendum : « Posse in Missis defunctorum cum paramentis nigris sacram communionem fidelibus ministrari etiam ex particulis praeconsecratis extrahendo pyxidem e tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari communionem immediate post Missam defunctorum ; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam ; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris, adeo ut violacea adhiberi nequeant nisi in casu quo die secunda Novembris sanctissimae Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione quadraginta horarum, prout cautum est in decreto sacrae hujus Cogis diei *16 Sept. 1801* ». Si fidelis immediate ante defunctorum Missam petit sanctam communionem, rationabilem causam jam diximus praesumi et ideo sacram communionem per se praebendam esse.

1086. Vetitum est sacram communionem distribuere sive in Missa sive extra Missam in altari ubi SSmum Sacramentum expositum est (*n. 355*). Hic, inter plura, sufficiat citare decretum in *Parisien., 8 Febr. 1879* (n. 5767), ubi

ad dubium : « Utrum in Missis quae ante SSmum Sacramentum publice venerationi expositum celebrantur in archidioecesi Parisiensi, liceat fideles ad sacram synaxim admittere extra Missam, et an, saltem attenta consuetudine maxime pietati favente, idipsum tolerari possit » ; S. R. C. reposuit : « Negative ». In casu autem necessitatis, deficiente alio altari in quo sacra communio distribuatur, contraria consuetudo servari potest. Nam in *Rhemen., 26 Sept. 1868* (n. 5411), expositum fuit sequens dubium : « In plerisque capellis monasteriorum et pluribus ecclesiis parochialibus dioecesecos Rhemensis unicum reperitur altare ubi distribui possit sacra communio. Quaeritur utrum si per preces quadraginta horarum vel quando venerationi fidelium exponitur SSmum Sacramentum, permitti possit distributio sacrae communionis intra vel extra Missam coram SSmo super altari exposito, ratione maximae difficultatis aliter agendi, ne sacra communio fidelibus denegetur ». S. R. C. reposuit : « Servetur consuetudo ». Quod si in ecclesia aliud sit altare, SSmum Sacramentum servandum quoque esse in alio laterali altari pro fidelium communione, vide *n. 985*, in fine. Huc spectat responsio ejusdem S. C. in *Papien., 23 Nov. 1880* (n. 5819), ubi ad dubium : « 5° Cum S.R.C. cuidam postulato ab eodem Rmo Episcopo oratore exhibito respondisset : *Decreta vetant in altari in quo SSmum Sacramentum publicae venerationi expositum manet, pro oratione quadraginta horarum eucharisticam communionem hujusce expositionis tempore fidelibus distribuere, quae in alio prorsus altari servanda est ;* quaeritur utrum hujusmodi responsum servandum etiam sit pro ruralibus parochialibus ecclesiis, in quibus licet secundarium adsit altare, nimis incommodum et indecens esset, ob ecclesiarum ipsarum angustiam inibi sacram synaxim administrare » ; S. C. censuit : « Ad 5um : Non expedire et ad mentem. Mens est ut in hisce ecclesiis altari laterali apponatur parvum ciborium (tabernaculum) amovibile, et, si opus sit loco transennae vulgo *balaustra*, scamna circumponantur ».

1087. Praeterea sacerdos infra Missam nequit sacram

communionem ministrare fidelibus adeo longe distantibus ut vocem sacerdotis celebrantis audire nequeant et sacerdos altare e conspectu suo amittere deberet. In *Florentina, 19 Dec. 1829* (n. 4651), ad dubium : « 4° An tempore sacrosancti Missae sacrificii in administratione viatici, praesertim in xenodochiis, liceat ab altari recedere usque ad aegrotorum lectum, recitando interim psalmum *Miserere*, ut fieri solet extra Missam » ; S. R. C. reposuit : « Ad 4um : Negative quoad psalmum *Miserere* recitandum. Imo per animadvertendum quod si celebrans pro viatici administratione intra Missam, altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere ». Sane vetitum est alienas preces Missae precibus addere Missamque per extraneam intermediam actionem interrumpere (*n. 846 sequ.*). Hanc responsionem S. R. C. confirmavit in *Januen., 7 Dec. 1844* (n. 5902), addens quod si necessitas urget, fiat sacra communio, absoluta Missa. In *Ord. Min. S. Francisci Capuccinorum, 24 Martii 1860* (n. 5303), proposito dubio : « 1° Utrum liceat sacerdoti in sacello valetudinarii celebranti deferre post communionem particulas in patena et pergere ad cellulas infirmorum, ut eis communionem praebeat aut aliquando etiam viaticum ; vel potius reservare debeat particulas ut id praestet post Missam. Et quatenus affirmative ad hanc secundam partem ; tunc quid agendum de fragmentis si consummatae fuerint omnes particulae et alius ibi ea die non sit celebraturus » : S. C. reposuit : « Ad 1um : Quoad primam partem, negative juxta decretum dici *19 Dec. 1829* in *Florentina* ad dubium primum. Quoad secundam partem, affirmative et fragmenta reponantur in pyxide quae in tabernaculo asservetur ». Tandem in *Ordinis S. Joannis de Deo, 7 Febr. 1874* (n. 5574), circa modum deferendi infra Missam sacram communionem ad infirmos vigentem in valetudinariis Ordinis, sequentia dubia proposita fuere : « 1° An recitato ad altare *Confiteor*, *Misereatur*, *Ecce Agnus*, *Domine non sum dignus*, possit permitti quod sacerdos cum pyxide sine velo humerali deferat ad infirmos sacram communionem saltem a duobus candelas deferentibus comitatus et adhibita etiam umbella, si fieri potest,

praesertim si ab altari distent infirmi; 2° An modo supradicto deferri possit sacra communio non solum in toto valetudinario sive a parte antea sive a parte postea altaris, sed etiam in aliquibus cubiculis, ex quibus, etsi altare non videatur, tamen vox sacerdotis celebrantis auditur; 3° An permitti possit ut, loco sacerdotis SSmam Eucharistiam deferentis ad infirmos, alter vel etiam laicus orationes recitet ». S. C. reposuit: « Ad 1um et 2um: Nihil obstat: dummodo tamen in delatione SSmi Sacramenti umbella omnino adhibeatur. Ad 3um: Nihil obstat quominus adstantes recitent aliquas preces, dum distribuitur sacra Eucharistia ».

1088. In ecclesia et in publico oratorio sacra communio, servatis servandis, distribui potest absque speciali Ordinarii licentia. In permissione pro Missae celebratione in oratorio semi-publico principali alicujus communitatis licentia distribuendi sacram communionem exprimi solet, e. g., in indulto Filiabus Charitatis a Gregorio XVI concesso (*n. 964, 982*) legitur: « Licebit autem Charitatis Filiabus ac puellis in commemorato sacello animae sordes per sacram confessionem abluere et Eucharistiae Sacramentum excipere ac paschali quoque tempore ecclesiasticum praeceptum obire ». At, nisi exceptio expresse apponatur, putamus hanc licentiam implicitam esse (1); quod fortasse etiam de oratoriolis secundariis verum est. Pariter absque dubio sacra communio distribui potest in oratorio privato episcopi aut Cardinalis. Tandem in oratorio privato privatae domus sacra communio etiam principalibus indultariis distribui nequit sine Ordinarii licentia, ita ut indultum apostolicum Missam celebrandi in hoc oratorio non secumferat per se licentiam ibidem adstantibus praebendi sacram communionem. Benedictus XIV, in *Inst. Ecc. XXXIV, n. 11*, refert illorum opinionem qui censent speciali ad id licentia opus non esse; sed aliorum sententiam, praxi in Urbe receptae conformem, amplectitur, qui putant licentiam Ordinarii esse necessariam. Hanc sententiam postea confirmavit in citatis litteris *Certiores effecti* et in citata const. *Magno*, § 23 (*n. 1081*). Solum ministro inservienti ac respondenti videtur sacra

(1) Lehmkuhl, *II, n. 135*.

communio, etiam sine speciali Ordinarii licentia, dari posse in oratorio privato privatae domus, cum ministrum in Missa non communicare sit antiquae disciplinae relaxatio (1).

1089. Ceterum interdictum locale sive generale sive particulare prohibet in loco interdicto sacram communionem simplicem et ordinariam. Excipe personas quae privilegio gaudent; insuper valde probabiliter qui ex *cap. 24, De sent. excomm., in 6° (n. 239)* possunt in loco interdicto Missae assistere, possunt etiam in eadem Missa communicare, quia Ecclesia optat fideles Missae assistentes communicare in Missa *(n. 1084)*, et ideo, permittens Missae assistentiam, verosimile est et communionem permittere. Hinc fideles in loco interdicto possunt et debent implere praeceptum communionis paschalis, cum in die Paschatis possint vi cit. *cap. 24* Missae assistere (2). At interdictum locale non vetat viaticum, et ideo ex ecclesia interdicta viaticum deferri utique potest, licet, si interdictum est particulare, melius sit, ut ab ecclesia non interdicta deferatur (3).

1090. Sacra communio fidelibus distribui potest qualibet die. Huic regulae generali, si agitur de infirmorum communione per viaticum, nulla est exceptio; si de sanorum communione agitur, sunt duae exceptiones: Nempe absolute prohibetur fidelibus sacram communionem distribui in feria VI in Parasceve, ut docet Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrificio, lib. III, cap. XVIII, n. 14.* « Certum est nonnisi infirmis ea die tribuendam Eucharistiam, etiamsi in illum diem caderet festivitas Annuntiationis B. V. Celebre... est decretum C. C. de quotidiana communione..., quod emanavit die *12 Febr. 1629*, quo mandatur Ordinariis *ut curent ut circa communionem in feria VI in Parasceve missalis rubricae et Ecclesiae Romanae usus servetur.* Quod quidem abunde probat prohibitam eo die communionem, tum quia rubrica missalis jubet in Missa feriae V in coena Domini asservari aliquot particulas pro infirmis *si opus fuerit*, ex quo intelligitur non asservari pro sanis, tum

(1) Lehmkuhl, *II, n. 185.*
(2) Suarez, *De censuris, disp. XXXIII, n. 35 sequ.*
(3) Suarez, *l. c., n. 21.*

quia juxta romanam consuetudinem feria VI non tribuitur Eucharistia ». Similis prohibitio, sed minus gravis, est pro sabbato sancto ; de quo idem auctor, *l. c.* Nimirum juxta antiquam disciplinam in sabbato sancto fidelibus sacra communio non distribuebatur, cum hic dies esset aliturgicus (*n. 88*) et fideles tantum in Missa communicare solerent. Haec disciplina etiam hodie servanda est ; sed ex S. R. C. decretis ratio haberi potest contrariae consuetudinis. Nam in *Mutinen.*, *22 Sept. 1837* (*n. 4815*), proposito dubio : « 2° Cum orationes tam praecedentes quam subsequentes communionem Missae sabbati sancti loquantur in numero plurali, hinc quaeritur utrum liceat in eadem Missa post communionem celebrantis Eucharistiam ministrare fidelibus et praesertim cum particulis in eadem Missa consecratis » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Negative, nisi adsit consuetudo ». Eodem sensu intelligenda est responsio ejusdem S. C. in *Tiphernen.*, *22 Mart. 1806* (*n. 4499*) ; licet enim ad dubium : « An liceat in sabbato sancto inter Missarum solemnia sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et num per eamdem sumptionem sacrae communionis praeceptum paschale adimpleatur » ; S. C. reposuerit : « Affirmative ad utrumque » ; tamen in casu de quo agebatur, antiqua consuetudo existebat (1).

1091. Tandem circa horam ministrandae communionis, noctu distribui non potest, nisi necessitas urgeat. Revera Rituale Romanum, *De communione infirmorum*, docet : « Noctu... hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat ». Haec necessitas certe verificatur, si periculum mortis imminet et infirmus viatico refectus non est. At putamus excusantem necessitatem posse verificari etiam citra mortis periculum ; e. g., si fidelis, qui praecedentibus diebus communicare non potuit, summo mane aggredi debet iter valde asperum, periculosum et longum, quo durante, sacra communione refici nequit ; aut chirur-

(1) D'Annibale, *III*, § *406*, *not. 3*, affirmat sacram communionem in sabbato sancto post Missam distribui posse, citans responsionem S. R. C. diei *7 Sept. 1850* : haec responsio in Collectione Gardelliniana non reperitur.

gicam operationem subire debet, quae sacram communionem longo tempore impediet; aut jejunium naturale servare nequit usque ad auroram et caret apostolico indulto recipiendi communionem, non servato jejunio (1). Ex his sequitur sacram communionem in Missa quae celebratur in nocte Nativitatis, distribui non posse sine apostolico indulto, uti S. R. C. pluries declaravit, e. g., in *Natalis Domini, 7 Dec. 1641* (n. 1360); in *Savonen., 28 April. 1703, ad 3um* (n. 3648), etc. Hoc indulto gaudent dioeceses Parisiensis aliaeque Galliarum dioeceses passim; et plures Congregationes Religiosae. Imo auctores passim docent sub vesperas sacram communionem licite non distribui, nisi accedat aliqua *specialis causa* (2). Et ex responsione S. R. C. in *Tuden., 7 Sept. 1817* (n. 4526), sequi videtur regula generalis, nempe extra necessitatis casum tempus distribuendae communionis, sicut celebrandae Missae, esse ab aurora ad meridiem (*n. 98 sequ.*). Nam ad dubium: « 36° An in die magni concursus ad indulgentiam plenariam vel jubilaeum possit ministrari sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem »; S. C. censuit: « Ad 36um: Affirmative in casu de quo agitur a tempore ad tempus quo in illa ecclesia Missae celebrantur vel ad formam Rubricae, vel ad formam indulti eidem ecclesiae concessi ».

1092. Quaeri potest utrum indultum celebrandi Missam ante auroram aut post meridiem secumferat, necne, indultum distribuendi fidelibus Missae adstantibus sacram communionem. Si agitur de indulto personali, sacerdoti scilicet concesso, responsio negativa certa est; nam relaxata lege pro Missae celebratione in favorem sacerdotis, nulla ratione sequitur relaxatam quoque fuisse legem pro sacra communione in favorem fidelium. At hoc in casu putamus Ordinarium posse fidelibus sacram communionem, servatis servandis, in Missa permittere; sicuti permittere potest in Missa quae ex indulto apostolico celebratur in oratorio pri-

(1) Lehmkuhl, *II, n. 161.*

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 252*, D'Annibale, *l. c., not. 6*; Costantini, *III, n. 703.*

vato privatae domus (*n. 1088*). Si autem agitur de indulto locali (*n. 112*), responsionem affirmativam amplectimur; cui favere videtur S. R. C. decretum in cit. *Tuden.*

De communione paschali in propria parochia facienda infra sermo erit.

§ 3. — *Ritus servandus in sanctae communionis distributione.*

1093. Minister sacrae communionis eorum quae infra de subjecto dicemus, rationem habere debet; modo videamus quae ipsum ministrum directe respiciunt.

1094. In primis latinus sacerdos etiam latino ritu celebrans in ecclesia graeca, nequit sacram communionem praebere in fermentato; item sacerdos orientalis, etiam orientali ritu celebrans in ecclesia latina, nequit eamdem ministrare in azymo. Id tradit expresse Benedictus XIV, const. *Etsi pastoralis, 26 Maii 1752*, § *VI*, *n. 11* : « Unusquisque sacerdos nonnisi in suo sive graeco sive latino ritu Eucharistiam fidelibus porrigere debeat ». Vide etiam ejusdem Pontificis const. *Allatae sunt*, *25 Martii 1755*, § *23*. Archiepiscopus Parisiensis S. C. de Prop. Fide sequentia dubia proposuit, quae referuntur ad ecclesiam S. Juliani ritus graeco-melchitae in civitate Parisiensi existentem : « 1° Cum nonnulli sacerdotes ritus latini celebrant in dicta ecclesia S. Juliani et particulae cum pane azymo consecratae asservari possint in tabernaculo, quaero utrum sacerdos ritus Melchitae possit communionem praebere fidelibus ritus latini cum his hostiis praeconsecratis sive intra sive ante et post suam Missam. 2° Haud saepe fit ut sacerdos Melchita aliquam ecclesiam in civitate adeat ut Missam celebret; quaero igitur an celebrans ad altare SSmi Sacramenti possit ministrare communionem cum hostiis praeconsecratis et in ciborio asservatis sive intra, sive ante, sive post suam Missam ». S. C. die *13 Aug. 1891* reposuit : « Sive ex constitutionibus apostolicis sive ex decretis hujus S. C. constat respondendum esse negative ad utrumque dubium, nisi adsit specialis facultas S. Sedis » (1).

(1) Eadem S. C. idem repetit apud Collectaneam, *n. 703, 704.*

1095. His positis, in Ecclesia Occidentali sacra communio intra Missam ministranda est juxta ritum praescriptum in *Missali Romano*, *Ritus celebrandi Missam*, *X*, *6*, et in *Rituali Romano* (1); ante, post, extra Missam juxta ritum praescriptum in *Rituali Romano*; quod prius agit de communione sanorum in ecclesia, deinde de communione infirmorum in propriis domibus seu cubiculis; et nomine infirmorum comprehenduntur omnes qui ad ecclesiam venire nequeunt, etsi forte infirmi non sint, e. g., carcere detenti. Inutile est hos ritus transcribere; nonnullos tantum hic declaramus qui respiciunt vel quamcumque communionem; vel communionem in ecclesia; vel communionem extra ecclesiam.

1096. 1° In quacumque sacra communione distribuenda debet adesse minister qui recitat *Confiteor* et sacerdoti respondet. Non est necesse ut sit clericus, pronti expresse apparet ex *Rituali Romano*, sed debet esse mas. Quid si mas deficit? Si agitur de monialium communione extra Missam, receptum est ut monialis ministri munus adimpleat in genere, potiusquam feminam respondentem adhibere, expedit quod ipse sacerdos dicat et respondeat. Ceterum praetermittere *Confiteor* est veniale (2).

1097. Contra receptam Ecclesiae praxim est ut eidem personae communicanti plures praebeantur particulae consecratae. S.C.C. in decreto de quotidiana communione quod Innocentius XI expresse probavit die *12 Febr. 1679* (*n. 1138*), praecepit: « Episcopi, parochi seu confessarii insuper admoneant nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas neque grandiores, sed consuetas ». Hic abusus alicubi inolevit praesertim in communione monialium; confessarius enim seu capellanus monialibus quas ferventiores reputabat, duas particulas, illis vero quas tepidiores habebat, unam particulam praebebat. Jamvero in primis, si ex auditis confessionibus discernit ferventiores a tepidioribus et aliunde discernere nequit, confessarius in ipsum sacramentale sigillum offendit. Praeterea in errore theolo-

(1) Ritus communionis in Missa solemni juxta antiquam liturgiam romanam vide apud Duchesne, *Origines*, etc., *chap. VI*, 9°.

(2) Cuss. *II*, *n.* 205. — Alphonsus *VI*, *n.* 241. — D'Annibale, *III*, *§* 407.

gico versatur, putans ferventiores plus in duabus particulis recipere, quam tepidiores in una, cum reipsa ab omnibus unus et integer Christus verumque Sacramentum sumatur, ut bene traditur in *can. Ubi pars, dist. 2, De consecrat.*, in Decreto. Hinc S. C. S. Officii per epistolam diei *17 Maii 1636* ad Cardinalem Buoncompagni, archiepiscopum Neapolitanum missam, praecipit hos sacerdotes esse ab archiepiscopo monendos et acriter reprehendendos, et insuper esse suspendendos ab administrandis sacramentis Poenitentiae ac Eucharistiae ad nutum S. C. (1). Exceptionem, si tamen exceptio dici potest, vide *n. 970*. Solus sacerdos celebrans potest plures sumere hostias consecratas, nempe majorem quam consecravit, particulas quae in tabernaculo non sunt servandae, hostiam pro expositione quae consummari debet.

1098. Cum fideles in communione non recipiant duas particulae partes, sicut sacerdos in Missae celebratione duas partes magnae hostiae in medio fractae sumit, sed recipiant integram particulam vel in casu necessitatis unam particulae partem, sequitur particulam pro fidelium communione debere esse minorem magna hostia, qua utitur sacerdos pro celebratione Missae: et inde *particulae* nomen. In casu necessitatis, si nempe particulae consecratae non habeantur pro numero fidelium communicantium, particula dividi potest in duas, tres aut etiam quatuor partes juxta ejusdem particulae magnitudinem, sed cavendum ne particula nimis parva evadat et vix sensibilis in ore communicantis. Hanc consuetudinem dividendi consecratas particulas, si adest necessitas, expresse probavit S.R.C. in *Veronen., 16 Mart. 1833, ad 1um* (n. 4706). Quod si particulae consecratae desint, etiam ex majori hostia sacerdoti reservata detrahi potest una aliave pars distribuenda fidelibus qui diu expectare non possent.

1099. Sacerdos, sacram communionem distributurus,

(1) Hanc epistolam lege apud Albitium, *De inconstantia in fide, cap. XXX, n. 85*. Costantini, *III, n. 704*; D'Annibale, *III, § 408, not. 9*; S. Alphonsus, *VI, n. 245*; Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XX, n. 1*.

debet prius lavare manus, ut docet *Rituale Romanum*; de qua lotione repete quae diximus *n. 843*. Et Eucharistiam ministrare debet indice et pollice dexterae manus, uti ex eodem *Rituali* colligitur. Solum doctores quaerere solent num sacerdos laborans infirmitate in pollice et indice, Eucharistiam aliis digitis distribuere possit; et, cum tota sacerdotis manus sit consecrata, responsio affirmativa non caret probabilitate pro casu necessitatis, idest si secus moribundus viatico aut fidelium multitudo communione careret (1); imo plures censent non improbabiliter tempore pestis sacram communionem porrigi posse aliquo decenti instrumento, e. g., cochleari (2); eorumque sententiam non improbat S. C. S. Officii. Nam ad dubium: « Utrum SSmae Eucharistiae Sacramentum administrari possit hac infectis non immediate manuum porrectione, sed oblonga aliqua virga in cujus extremitate adsit lunecula aurata ex argento, quae post infusam in os infirmi particulam igne purificetur »; S. C. die *11 Julii 1754* reposuit: « Potranno cotesti missionarii regolarsi nelle maniere ed usi altre volte pratticati nelle occasioni di peste in cotesti paesi tanto frequente, purchè si faccia colla dovuta decenza e si cerchi di scanzare ogni inconveniente che potesse in qualsivoglia modo esporre alla irriverenza un' azione si sacrosanta » (3). Licet vero *Rituale Romanum* de aliis tribus manus dexterae digitis nil statuat, tamen dicendum hos digitos non extensos, sed clausos esse debere, quia secus periculum est ne his digitis sacerdos genas communicantis involuntarie tangat.

De osculo manus seu annuli ministri vide *n. 1183*.

1100. Antequam sacerdos particulam consecratam praebeat dicit: *Ecce Agnus Dei, Domine, non sum dignus*. In

(1) Ballerini ad Gury, *II, n. 296*; S. Alphonsus, *VI, n. 244*; Lehmkuhl, *II, n. 138*; Costantini, *III, n. 704*; D'Annibale, *III, § 407, not. 9*.

(2) S. Alphonsus, *l. c.*

(3) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 746. Latine*: Missionarii sese gerere poterunt juxta praxim receptam in aliis occasionibus pestis adeo in his regionibus frequentis, dummodo debita decentia id fiat et evitetur omne id quod irreverentiam aliquam erga actionem adeo sanctam secumfert.

Ord. Min. Capuccin. provinciae Helvetiae, 23 Maii 1835 (n. 4748), ad dubium : « 5° An consuetudo dicendi in communione fidelium : *Ecce Agnus Dei*, et : *Domine, non sum dignus* vulgari idiomate, sit sustinenda, vel potius eliminanda, utpote contraria *Rituali* et *Missali Romano* » ; S. R. C. reposuit : « Ad 5um : Consuetudinem esse eliminandam ».

1101. In antiquitate sacerdos praebebat communionem, dicens : *Corpus Christi*, et accipiens respondebat : *Amen* ; qua voce suam fidem in realem Christi D. praesentiam sub illis speciebus sacramentalibus profitebatur. Hodie formula administrandae communionis simplicis et ordinariae juxta *Rituale Romanum* est : *Corpus D. N. J. C. custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen* ». Solum in communione ordinandorum, adhibenda est formula *Pontificalis Romani*, in qua loco : *Animam tuam*, dicitur : *Te* ; ut declaravit S. R. C. in *Tiascalen., 25 Sept. 1868* (n. 5413) ; imo in communicandis novis presbyteris omittuntur tum formula, ut eadem S. C. censuit in *Syren., 31 Aug. 1872, ad 2um* (n. 5515), tum alia verba : *Ecce Agnus Dei. Domine, non sum dignus*, uti eadem S. C. rescripsit in *Lerien., 11 Febr. 1702, ad 4um* (n. 3644). Formulam autem *Pontificalis* adhibendam esse etiam in communicandis promotis ad minores ordines, decrevit eadem S. C. in *Marsorum, 12 Nov. 1831, ad 16um* (n. 4669) ; imo et in communicandis promotis ad primam tonsuram (1). Si tandem agitur de sacra communione per modum viatici, aliam formulam assignat *Rituale Romanum* : *Accipe, frater* (vel *soror*) *viaticum Corporis D. N. J. C. qui te custodiat ab hoste maligno et perducat in vitam aeternam. Amen*. Haec specialis formula constituit differentiam essentialem inter communionem simplicem et ordinariam et communionem per modum viatici : de dispensatione legis jejunii naturalis et de obligatione communicandi in periculo mortis, loquemur *n. 1128* et *n. 1147*

(1) Etiam quando communicat Cardinalis in forma solemni, omittitur *confessio, absolutio, Ecce Agnus Dei, Domine, non sum dignus*. Catalanus, *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. XXIX*, § 6.

sequ. Et sacra communio hac formula, idest per modum viatici, ministrari possit et debeat, requiritur et sufficit periculum mortis (1), sive ex morbo, sive ex sententiae capitalis proxima exequutione (*n. 1148*). Id satis colligitur ex ipso *Rituali Romano* quod de *periculo* mortis loquitur. Posito autem mortis periculo, si mors adhuc longe distat, et viaticum appropinquante morte, praeberi potest, non statim potest ministrari; nam *Rituale* ait: « Pro viatico autem ministrabit, cum probabile est quod eam amplius sumere non *poterit*. Potest quidem viaticum *brevi morituris* dari non jejunis.... ». Igitur sacra communio per modum viatici ministrari potest in periculo mortis, quando mors propinquat, licet forte mortis articulus nondum verificetur; e. g., quando mors sequutura est infra unam, duas, tresve hebdomadas, aut quando mors adhuc distat, sed postea, morte appropinquante, viaticum praeberi nequit. Huc spectat responsio S. C. de Prop. Fide diei *20 Febr. 1801*. Nam posito dubio: « Talora i missionarii visitando i loro distretti, s'incontrano in qualche malato etico o d'altro morbo che a certa esperienza durerà molti mesi; ma dentro l'anno perisce; si cerca se in tale caso il missionario possa somministrargli il viatico e l'estrema unzione per la ragione che quando veramente sarebbe nel grado suo di riceverla, allora il missionario non si potrà trovare presente nel luogo per la grande distanza e per altre circostanze impeditive »; S. C. reposuit: « Affirmative » (2). Perdurante autem periculo, nil impedit quominus sacra communio per modum viatici saepius praebeatur (3), etiam

(1) Doctores distinguere solent inter *articulum* et *periculum* mortis. Articulus est quando mors, moraliter certa et fere inevitabilis, proxime instat. Periculum, quando mors probabilis est, licet nec adeo certa nec adeo proxima sit.

(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 721. Latine*. Aliquando missionarius christianos sibi commissos visitantibus occurrit aegrotus hectica febri vel simili morbo laborans, qui juxta experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur. Quaeritur: num in tali casu missionarius ipsi administrare possit viaticum et extremam unctionem, eo quod, quando verior aderit casus ea recipiendi, non poterit haberi praesens missionarius ob magnam distantiam et alias circumstantias.

(3) Benedictus XIV, *De syn.*, *lib. VII*, *cap. XII*, *n. 5*, qui admittit

quotidie (1) ; neque quod aegrotus, dum sanus erat, sacram communionem raro sumpsit, ratio est cur etiam nunc, modo satis dispositus sit, raro ad eam admittatur (2).

1102. In rubricis Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, *n. 16*, haec leguntur : « Si hostia consecrata vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur et locus ubi cecidit, mundetur et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur et lotio ipsa in sacrarium effundatur ». Haec autem abrasio non obligat sub gravi et ex juxta causa omitti potest aut etiam debet, e. g., si hostia cecidit in barbam viri aut in pectus mulieris. In primo casu sacerdos ipse hostiam reverenter sumat et ponat in ciborio ; in altero casu si hostia cecidit in parte externa vestis muliebris, sacerdos ipsam reverenter accipiat et ponat in ciborio ; si in parte interna, decet ut mulier in sacristia sacras species ipsa inquirat atque sacerdoti porrigat atque manus suas quae sacras species tetigerunt, lavet ac aqua versetur in sacrarium.

1103. Diaconus, in casu necessitatis Eucharistiam distribuens (*n. 1079*), debet servare omnes ritus praescriptos. Quaesitum fuit : « 1° Diaconus qui ex mandato sui Vicarii Apostolici defert sanctum viaticum infirmis, potestne facere aspersionem aquae benedictae, dicere : *Misereatur*, *Indulgentiam*, signare infirmum vel semetipsum, dicere *Dominus vobiscum* cum oratione et benedicere cum SSmo Sacramento infirmum et assistentes ? Secus quid faciendum ? » S. R.C. in *Tunquini Occidentalis 14 Aug. 1858* (n. 5279), reposuit : « Ad 1ᵐᵘᵐ : Deficiente presbytero, et Vicarii Apostolici concurrente licentia, affirmative in omnibus ». Exinde de-

episcopos poenas decernere posse in parochos qui aegrotis devote postulantibus iterum et tertio viaticum deferre detrectent falsis praetextibus ; S. Alphonsus, *VI*, *n. 285*, cum communi.

(1) Palao aliique apud S. Alphonsum, *l. c.*, et *Hom. Apost. tract. V*, *n. 47*, qui eorum sententiam non improbat ; D'Annibale, *III*, § *411*, et palam est.

(2) Lehmkuhl, *II*, *n. 161* ; Ballerini ad Gury, *II*, *n. 335*.

ducimus posse quoque diaconum qui detulit viaticum ad infirmum, in ecclesia benedicere populum cum pyxide; dum, e contrario, non potest dare benedictionem cum ostensorio (*n. 1011*). Dubitari potest num valeat populum simpliciter benedicere absque SSmo Sacramento post communionem fidelibus in ecclesia traditam.

1104. 2° In ecclesia infra Missam sacra communio distribuenda est post communionem sacerdotis, conformiter antiquae liturgiae (*n. 921*). In *Societatis Jesu*, *11 Maii 1878* (n. 5728), ad dubium: « 9° Valetne sustineri usus aliquarum ecclesiarum, in quibus ratione concursus ingentis populi, cum non sufficiat multitudini pro sacra communione quantitas hostiarum, jam celebrata nova Missa, statim a consecratione reassumitur distributio communionis »; S. R. C. reposuit: « Ad 9um: Abusum esse interdicendum ».

1105. Si communio ministratur extra Missam, *Rituale Romanum*, *Ordo ministrandi sacram communionem*, tradit sacerdotem assumere debere superpelliceum cum stola coloris officio illius diei convenientis ac bursam cum corporali, supra quod pyxis extra tabernaculum ponenda est. In *Venetiarum*, *11 Aug. 1877* (n. 5706), ad dubium: « An stola coloris officii vel Missae adhibenda sit 1° in feria V majoris hebdommadae; 2° in vigiliis et feriis quatuor temporum vel feria II Rogationum (vel in feriis quadragesimae ubi octavae concessae sunt), quae infra octavam non privilegiatam occurrunt, si juxta rubricas Breviarii et Missalis Romani officium de octava et Missa de vigilia vel feria celebratur »; reposuit: « Ad utrumque: Servetur *Ritualis Romani* rubrica; et ubi vigeat consuetudo administrandi SSmam Eucharistiam cum stolis albi coloris fidelibus paschale praeceptum adimplentibus, toleranda ». Et in *Aretina*, *18 Jun. 1888* (n. 5943), ad dubium: « 11° Ubi vigeat immemorabilis consuetudo ministrandi SSmum Eucharistiae Sacramentum extra Missam cum stola semper albi coloris, tolerarine potest hujusmodi consuetudo »; S. C. reposuit: « Ad 11um: Servetur *Rituale Romanum* ». Locum autem superpellicei tenere posse albam

renibus cingulo alligatam, facile patet ex dictis *n. 688*. Licet vero *Rituale Romanum* nil dicat de bursae colore, tamen S. R. C. in *Viglevanen.*, *11 Jun. 1880, ad 1um* (n. 5809), declaravit convenire ut bursa sit ejusdem coloris ac stola a sacerdote deferenda. Eadem S. C. in *Congreg. Cler. Reg.*, *27 Febr. 1857* (n. 5068), censuit haec omnia valere de quacumque sacra communione, esse praeceptiva et ideo loco corporalis pallam adhiberi non posse ; et in *Ambianen.*, *31 Aug. 1867, ad 1um* (n. 5382), canonicum posse cottam superimponere rocchetto, depositis cappa et mozzetta. Solum si adest necessitas, tolerari potest ut sacerdos qui ad altare aliquod pro Missae celebratione accedit vel ab eo recedit, sacris vestibus sacrificii indutus et prae manibus calicem tenens, ascendat in transitu ad altare ubi est SSmum Sacramentum et ibi sacram communionem fidelibus distribuat, prouti eadem S. C. edixit in *Tridentina*, *12 Mart. 1836*, *ad 12um* (n. 4777). Tandem *Rituale Romanum* praescribit cereos in altari accensos, scilicet duos saltem, sed si tempus urgeret nec duo cerei accendi possent, unus sufficeret.

1106. Post ministratam communionem in ecclesia ante, post, extra Missam, sacerdos potest dicere : *O sacrum convivium*, *Panem de coelo*, ministro respondente : *Omne delectamentum*, ita ut eae orationes non sint obligatoriae ; sed sequentes versiculi : *Domine, exaudi*, etc., et oratio : *Deus qui nobis*, etc., sunt de praecepto, ut ex ipso *Rituali* evidenter apparet. Hinc in *Tertii Ordinis S. Francisci*, *21 Sept. 1812* (n. 4947), ad dubium : « 3° An in communione fidelium ministranda post versum : *Panem de coelo*, etc., dici omnino debeant ante orationem alii versus : *Domine, exaudi*, et : *Dominus vobiscum* » ; S. R. C. reposuit : « Ad 3um : Affirmative, ut praescribitur in *Rituali Romano* ». In eodem sensu reposuit etiam in *Strigonien.*, *30 Aug. 1892*, *ad 11um*. Ipsum *Rituale* adnotat : « Tempore paschali additur : *Alleluia* » ; scilicet si dicitur : *O Sacrum convivium*, *Panem de coelo*, *Omne delectamentum*, tum antiphonae tum versiculis addendum est *Alleluia* tempore paschali (et infra octavam Corporis Christi. *Allegat*.

IV, § *31*), prout reposuit etiam S. R. C. in *Cuneen.*, *2 Jun. 1883*, *ad 11um* (n. 5874); excepto casu quo sacra communio ministratur ante vel post Missam de requie, uti censuit eadem S. C. in *Senen.*, *26 Nov. 1878* (n. 5747).

Praeterea in *Romana*, *23 Dec. 1862* (n. 5324), eadem S. C. decrevit « a sacerdote redeunte ad altare post fidelium communionem genuflectendum antequam cooperiat sacram pyxidem; et iterum genuflectendum antequam, pyxide in tabernaculo reposita, ipsius tabernaculi ostiolum claudat ».

1107. In fine datur benedictio. Haec benedictio dari non debet cum sacra pyxide, sicuti quando administrata est sacra communio extra ecclesiam (*n. 1114*). In *Ord. Min. Capuccin.*, *23 Maii 1835* (n. 4748), ad dubium: « 1° An consuetudo benedicendi populum cum sacra pyxide, quoties Eucharistia distribuitur, sit servanda, vel potius an benedicendus sit populus manu dextera tantum, uti habetur in *Rituali Romano*, et in una *Urbinaten.*, *diei 16 Jan. 1793* »; S. R. C. reposuit: « Ad 1um: Negative ad primam partem; affirmative ad secundam juxta *Rituale Romanum* et decretum *Urbinaten.* diei *16 Jan. 1793* ». In citato decreto *Urbinatensi* (n. 4449), agebatur de benedicendis cum sacra pyxide monialibus, expleta communione. Igitur benedictionem sacerdos dabit manu dextera ad *Ritualis* praescriptum; quae « benedictio semper danda est, unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam defunctorum, sub formula: *Benedictio Dei*, etc. »; ut decrevit eadem S. C. in cit. *Strigonien.* Antequam vero sacerdos manu dextera populum benedicat, oscularine debet altare, ut praecipit *Pontificale Romanum* de visitatione, an ab hoc altaris osculo debet abstinere, uti *Rituale Romanum* innuere videtur? S. R. C. in *Veronen.*, *16 Martii 1833*, *ad 6um* (n. 4707), reposuit: « Servetur dispositio *Ritualis Romani* nihil praescribentis ».

1108. Demum si agitur de communione distribuenda monialibus, quae, clausura detentae, ad altare non accedunt, nonnulla notanda sunt. In *Lucien.*, *3 Jun. 1892*, proposito dubio: « 1° An pro distribuenda sanctissima communione monialibus quae habent chorum retro post

altare, debeat aut possit sacerdos, post recitatum a ministro vel ab ipsis monialibus : *Confiteor*, deponere ciborium ad fenestellam chori, et ibi, ad moniales conversus, dicere : *Misereatur*, et, *Ecce Agnus Dei* ; vel potius debeat haec omnia dicere ad altare versus populum de more, et dein per medium altaris descendere (quamvis fenestella sit in parte epistolae) ad moniales sancto Christi corpore reficiendas ? Et an idem valeat, etiamsi chorus non sit retro post altare, sed in aliqua parte laterali presbyterii » ; S. R. C. censuit : « Ad 14um : Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam ; ad tertiam provisum in prima ». Porro circa relati decreti sensum archiepiscopus Firmanus in *Firmana, 23 Junii 1893*, petiit : « An dispositio decreti *Lincien.*, intelligenda veniat absolute, an tantum sub quibusdam limitibus ». S. R. C. reposuit : « Negative ad primum, affirmative ad alterum et ad mentem. Mens autem est ut decretum in *Lincien., ad dubium 14um*, intelligi debeat de communione ministranda tantum *extra celebrationem Missae a sacerdote stola et superpelliceo indutu, et solis monialibus, quando chorus vel retro post altare situs est, vel ab altari nimis distat* ; Iis tantum in casibus iisque rerum et locorum adjunctis sive praecedentes sive sequentes preces in *Rituali Romano* praescriptae ritusque reliqui ad fenestellam monialium locum habeant ; in aliis vero quibuscumque casibus servetur *Rituale Romanum* et omnes praescripti ritus et orationes semper ab altari persolvantur ». Igitur juxta hanc declarationem in illis casibus et adjunctis sacerdos, superpelliceo et stola indutus, extrahit e tabernaculo ciborium, accedit ad fenestellam, ciborium in eadem ponit et discooperit. Recitantur preces ante communionem et sacra communio monialibus ministratur more ordinario ; recitantur preces post communionem, sacerdos cooperit ciborium, dextera moniales benedicit, redit ad altare et ciborium in tabernaculo reponit (1).

(1) S. C. EE. et RR. die 15 Sept. 1847 statuit « quod duae adsint claves hujus parvae fenestrae, una interior et alia exterior, et quod clavis ramae interioris semper retineatur ab abbatissa seu priorissa et clavis januae exterioris a confessario ; et quod parva dicta fenestra

1109. 3° Extra ecclesiam SSmum Sacramentum deferri debet « decenti habitu, manifeste ac honorifice ante pectus cum omni reverentia et timore, semper lumine praecedente », ut ait *Rituale Romanum*, ex *cap.10, De celebratione Missarum*. Praeter superpelliceum, stolam, baldachinum, bursam cum corporali et cereos, *Rituale* addit sumendum esse velum humerale albi coloris et, si haberi potest, pluviale albi pariter coloris. Unde deducimus pluviale non esse absolute necessarium; et stolam debere esse semper albi coloris. In *Gandaven.*, *16 Dec. 1826* (n. 4623), ad dubium: « 2° In parochiis ruralibus ubi longum faciendum est iter, plerumque portatur SSmum Sacramentum ad aegrotos eisque administratur cum stola super vestem communem absque cotta sive superpelliceo; quaeritur propterea an praxis illa ubi invaluit et Ordinarii locorum non contradicunt, retineri possit »; S. R. C. reposuit: « Ad 2um: Negative, et, eliminata consuetudine, servetur *Rituali Romano* praescriptum ». Multo magis grave foret sacram communionem deferre sine stola et sine superpelliceo. Eadem S. C. in *Toletana*, *30 Aug. 1872 ad 2um* (n. 5517), reprobavit consuetudinem non adhibendi baldachinum seu umbellam.

1110. Sacramentum condi debet in pyxide, ante pectus deferenda. In *Tarnovien.*, *26 Mart. 1859* (n. 5285), expositum fuit: « 6° Ob distantiam et consuetudinem invaluit in his regionibus ut sacrum viaticum non in pyxide ad infirmos deferatur, sed in vase patenae simili, quod operculo munitur et cui pro sancto oleo aliud vasculum adnexum est. Hoc autem vas linteo obvolutum reponi solet in bursa stolae consuta, in qua praeterea mos est *Rituale*, bombacium, candelas et crucem asportandi. Quaeritur ergo qualis color conveniat huic bursae, ubi defertur sacrum viaticum ad infirmos cum sancto oleo »; S. R. C. reposuit: « Ad 6um: Praedictum usum tolerari omnino non posse et curandum

nunquam aperiatur, nisi occasione sumptionis Eucharistiae, vel dandi habitum seu velum alicui novitiae, aut consecrationem alicui monialis aut confirmationem alicui personae in clausura degenti ». Vide Collectaneam S. C. de Prop. Fide, n. 270.

ab episcopo ut serventur praescriptiones *Ritualis Romani* ». At si mors instat, posse una cum viatico et oleum infirmorum afferri, tradit ipsum *Rituale*, *De sacramento extremae unctionis*, § *Si autem acciderit* ; et vide responsionem S. R. C. in *Sancti Claudii*, *14 Aug. 1858* (n. 5269). Insuper eadem S. C. in *Bergomen.*, *21 Mart. 1699* (n. 3504), declaravit : « Decere deferri pyxidem coopertam etiam extremitatibus veli oblongi humeralis » ; et in *Ulixbonen. orientalis*, *21 Jun. 1738* (n. 4074), decrevit consuetudinem, quae in loco vigebat, thurificandi SSmum Sacramentum inclusum in pyxide cum deferebatur pro viatico ad infirmos, esse servandam et cum ipso benedicendum esse populum ; de qua re infra.

1111. Insuper sacerdos incedat *nudo capite*, ut *Rituale*, *l. c.*, expresse tradit ; et contrariam consuetudinem S. R. C. reprobavit in cit. *Toletana*. Quid vero si exinde sacerdos propter solis calorem aut aeris intemperiem salutis detrimentum rationabiliter timet? In *Romana*, *13 Aug. 1695* et *21 Jun. 1696* (n. 3368, 3380), ad dubium : « An parochis ministraturis SSmum Eucharistiae sacramentum infirmis liceat de die vel saltem de nocte uti parvo pileolo in delatione ejusdem per civitatem sub praetextu alicujus infirmitatis » ; reposuit : « Non licere nec posse » ; et hoc decretum rursus confirmavit in *Aesina*, *23 Jan. 1700*, *ad 1um* (n. 3544). Sed in recentioribus decretis S. C. mitiorem se exhibuit. Nam in *Lauden.*, *23 Jan. 1740* (*n. 4100*) ; in *Bisinianen.*, *23 Maii 1846* (n. 5036) ; in *Molinen.*, *12 Sept. 1857*, *ad 23um* (n. 5252) ; in *Oriolen.* seu *Alonien.*, *22 April. 1871* (n. 5481), commisit episcopo ut pro suo arbitrio et prudentia permitteret parochis in hujusmodi circumstantiis capite pileolo cooperto viaticum ad infirmos deferre, comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente. Hoc autem pileolum potest esse laneum et tantae magnitudinis, si necessitas id exigat, ut aures quoque cooperiat. Quod si, urgente necessitate, tempus non est episcopum adeundi ab eoque licentiam petendi, parochus poterit, viaticum deferens, caput, ut supra, cooperire, quia leges Ecclesiae cum tanto incommodo non obligant.

1112. Evenire potest ut extrinseca haec pompa quam *Rituale Romanum* praescribit, servari nequeat.

In primis id evenire potest si periculum irreverentiae aut sacrilegii est ex parte infidelium, haereticorum aut malorum catholicorum. Hoc in casu sacra communio occulte deferri poterit, modumque indicat Benedictus XIV in const. *Inter omnigenas*, edita pro Servia et finitimis regionibus, *2 Febr. 1741*, § 25, his verbis : « Ubi Turcarum vis praevalet et iniquitas, sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus ; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat ; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur ». Quod si agitur de communione per modum viatici, periculum mortis urget et clericus vel fidelis associans haberi nequit, sacerdos etiam solus procedere potest. Ut autem hoc modo occulte in praedictis circumstantiis sacra communio deferri valeat, necessaria est Sedis Apostolicae licentia. Vicarii Apostolici in locis missionum et plures episcopi indultum habent eam concedendi, etiam per modum habitus, missionariis et parochis ; quod si periculum mortis ita urgeat ut tempus desit recurrendi ad Sedem Apostolicam aut ad Vicarium Apostolicum vel episcopum, licentia praesumpta satis erit. Posita autem debita licentia, sacra communio occulte, ut supra, deferri potest non solum ad infirmos morti proximos per modum viatici, sed etiam ad alios qui infirmitate aliove impedimento detenti ad ecclesiam pergere nequeunt, si graves causae judicio missionarii aut parochi pro sacra communione ministranda adsint ; ut patet tum ex S. R. C. responsione *ad 3um* mox afferenda, tum ex responsione S. C. S. Officii ad Vicarium Apostolicum Coreae, *5 Julii 1854*, in Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 731.* In *Vicariatus apostolici in Dania, 4 Febr. 1871* (n. 5469), proposita fuere sequentia dubia : « 1° Inter facultates speciales quae oratori communicatae fuere, nona ita se habet : *Deferendi SSmum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine illudque sine eodem retinendi pro iisdem infirmis in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit pericu-*

lum sacrilegii. Circa vero hanc facultatem quaerit : 1° Num vi hujus facultatis etiam liceat ministrare infirmis sanctam communionem occulte sine vestibus sacris et lumine ; 2° Num vi hujus facultatis liceat etiam ministrare extremam unctionem eodem modo ; 3° Num vi hujus facultatis liceat deferre et ministrare sanctam communionem iis qui longo tempore in carceribus acatholicis detinentur dicto modo, si secus eadem carere debent ; 4° Num in hisce casibus saltem sufficeret, si sacerdos in ipso cubiculo infirmi aut carcerati veste talari et stola se induat ; 5° Num vi hujus facultatis liceat missionario, commoranti in locis ab ecclesia vel oratoriis valde distantibus, servare aliquas sacras hostias in loco decenti pro infirmis forte occurrentibus, quamvis actu nulli ibi infirmi reperiantur ». S. R. C. reposuit : « Ad 1um : Ad primam quaestionem affirmative, si pariter ab haereticis et infidelibus sit periculum sacrilegii. Ad secundam affirmative, si idem adsit periculum. Ad tertiam affirmative, si immineat idem periculum et adsint causae prudenti judicio missionarii graves pro sacra Eucharistia administranda. Ad quartam id omittendum non esse, quotiescumque fieri potest. Ad quintam affirmative, prouti liquet ex ipso indulti tenore » (1). Quod si omnibus inspectis personarum locorumque circumstantiis, neque per hanc occultam delationem periculum irreverentiae vitetur, a sacra communione ministranda abstinendum erit ; in quo tamen conscientia episcopi aut vicarii apostolici, parochi aut missionarii oneratur.

Praeterea id evenire potest ex materiali locorum difficultate per quae sacerdos cum viatico transire debet. In *Templen., 12 Jan. 1878* (n. 5717), ad dubium : « 13° An liceat deferre viaticum absque ulla pompa ac privata propemodum ratione, quoties ministrandum sit infirmis ab ecclesia parochiali valde procul commorantibus et necesse sit transire per loca invia, dissita et inaccessa » ; S. R. C. reposuit : « Ad 13um : Affirmative ac serventur praescriptiones *Ritua-*

(1) Vide etiam instructionem S.C. de Prop. Fide ad Vicarium Apostolicum Sutchuensem, *9 Dec. 1882*, in Collectanea ejusdem S. C., *n.* 725.

lis Romani et detur decretum in una *Bisinianen. diei 23 Maii 1846* ».

Tandem id evenire potest, quia mors infirmi urget et vestes sacrae, baldachinum, etc., praesto non sunt. In hoc extremo necessitatis casu doctores admittunt viaticum deferri posse etiam sine ulla veste sacra, remoto scandalo et irreverentia, quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo (1).

1113. Propter reverentiam tanto Sacramento debitam, sacerdos graviter incedere debet. Hinc in genere non debet currere, licet possit festinare; sed S. Alphonsus, *VI, n. 242*, cum aliis probabiliter putat sacerdotem posse etiam currere, dummodo absit scandalum; quod pendet ex circumstantiis, et facile aderit in civitate aut oppido, si Sacramentum cum praescripta exteriori pompa defertur. Ipsum *Rituale*, *l. c.*, admittit sacerdotem uti posse equo in casu necessitatis: equo scilicet mansueto, ita ut periculum lapsus non sit. Nisi agatur de repentino necessitatis casu, parochus licentiam ab episcopo petat. In *Lauden., 23 Jan. 1740* n. 4100), S. R. C. censuit episcopum pro suo arbitrio et prudentia hanc licentiam concedere posse in expositis facti circumstantiis, quibus parochus ratione distantiae et asperitate viarum nonnisi cum magna difficultate viaticum ad infirmos deferre poterat. A fortiori uti poterit curru aut via ferrea. At numquam potest pyxidem dare portandam laico, licet sit fatigatus; sed potius bursam collo suspensam deferat, in qua pyxis includatur, uti *Rituale Romanum*, *l. c.*, tradit.

1114. Ad praescriptum *Ritualis* sacerdos bis facit, nil dicens, signum crucis cum pyxide, post ministratam communionem, si altera particula superfuerit; nempe super infirmum, antequam ad ecclesiam revertatur, et super populum, postquam in ecclesiam redierit, antequam Sacramentum in tabernaculo reponat. In *Massae et Populoniae, 7 Apr. 1832* (n. 4685), ad dubium: « An servandum sit *Rituale Romanum* in administrando infirmis viatico, seu

(1) Gury, *II, n. 306*; S. Alphonsus, *VI, n. 241*; D'Annibale, *III, § 407*, Lehmkuhl, *II, n. 139*.

potius consuetudo, benedicendi nimirum cum SSmo retrocedentem populum extra portas civitatis, regionis, sive domus infirmi, quando fertur viaticum agrariis » ; S.R.C. reposuit : « Ex speciali gratia servari posse consuetudinem ». Eadem S. C. simile dedit responsum in *Molinen.*, *12 Sept. 1857, ad 22um* (n. 5251). Ex quo apparet id per se non licere ; est enim permissiva responsio quae regulam in contrarium firmat.

1115. Si in feria VI majoris hebdomadae sacrum viaticum ad infirmos defertur, dubitatum fuit in *Lucana*, *15 Maii 1745* (n. 4170), num sacerdos posset in fine psalmorum addere *Gloria Patri*, et in fine sacrae caeremoniae benedicere populo cum pyxide. S.R.C. reposuit : « Non est reprobandus parochus qui defert sanctissimum Viaticum infirmo feria VI in Parasceve, dummodo private et submissa imo submississima voce recitet psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat : *Gloria Patri*, etc., quia in tali circumstantia actio talis nihil habet esse (?) cum functionibus Ecclesiae hujus diei, et considerandum est quod defert cum stola atque pluviali albi coloris, quando in feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus ; ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, non est reprobandus si populum absque benedictione dimittat feria VI in Parasceve, quia in publica ecclesia non debet recondi ». Ceterum in *Gerunden.*, *11 Febr. 1702*, *ad 7um* (n. 3613), eadem S. C. declaravit, nulla habita ratione temporis paschalis, in communione infirmorum recitandas esse preces a *Rituali* praescriptas : *Asperges* et *Deus qui nobis*.

Articulus II.

De subjecto sacrae communionis.

§ 1. — *Quinam sacram communionem recipere possint.*

1116. In primis statuendum est principium generale, omnes eucharistico pane refici posse, qui non prohibentur. Sane ex sacris litteris evidenter apparet hunc divinum cibum fuisse in genere pro omnibus institutum et omnes ad

eumdem sumendum invitare. At nonnulli removentur, scilicet incapaces et indispositi jure sive divino sive ecclesiastico; proinde in dubio incapacitatis aut indispositionis nemo per se prohibetur.

1117. Jure divino incapaces sacrae communionis sunt:

1° Angeli, animae separatae a corpore, aut corpori unitae post universale judicium; nam sacramenta sunt pro hominibus viatoribus, maxime sacramentum Eucharistiae quod per veram manducationem et potationem suscipitur. Quod si quis per miraculum a mortuis suscitaretur et inter viatores rursus constitueretur, ut accidit, e. g., in Lazaro, rursus sacrae communionis recipiendae capax esset, si capax ante mortem fuerat.

1118. 2° Inter homines viatores non-baptizati baptismo aquae. Sane aquae baptismus est janua Sacramentorum ideoque et Sacramenti Eucharistiae; insuper cum hoc Sacramentum visibiliter significet nutritionem spiritualem, supponit jam visibiliter genitum illum, cui confertur; quod fit per aquae baptismum. Haec probant et catechumenos incapaces esse: et revera Ecclesia numquam eos, utcumque sanctos, ad Eucharistiam admisit, sed post symboli et homiliae recitationem in antiqua liturgia ab ecclesia pellebat (*n. 900*). Innocentius III in *cap. 3, De presbytero non baptizato*, videtur affirmare non-baptizatos baptismo aquae qui tamen per fidem et charitatem perfectam cum baptismi voto gratiam sanctificantem jam receperunt, posse ad Eucharistiam admitti; et hoc sensu verba Pontificis intelligit Glossa, *l. c., v. a non-baptizatis*: « Scilicet baptismo fluminis, sed baptismo flaminis baptizatis; cum illi quoad gratiam baptizati intelligantur et accipere possint sacramentum Eucharistiae ». Sed dicendum Innocentium III, *l. c.*, hanc sententiam historice tantum et disputando referre, quin eam probet; et Glossam ob allatas rationes esse deserendam (1). Igitur non-baptizati in sacris litteris ad ci-

(1) Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXII, sect. III, n. 5*: « Sententia singularis et aliena a principiis receptis ab omnibus theologis »: De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XIII, n. 4*: « Theologi communiter tamquam certum ».

bum eucharisticum sumendum invitantur veluti mediate, nempe recepto prius baptismate ; si ante baptismum ipsum sumunt, etiam in statu gratiae et bona fide, recipiunt quidem Corpus D. N. J. C., sed nullum exinde supernaturalem obtinent effectum.

1119. Omnes alii, idest homines viatores baptizati, sunt jure divino per se capaces sacrae communionis. At cum ex una parte hoc Sacramentum non sit absolute necessarium ad salutem, ut infra explicabimus, et ex alia ratio haberi debeat reverentiae erga Sacramentum aliarumque circumstantiarum, Ecclesia cui Deus commisit administrationem Sacramentorum, propter irreverentiae periculum aliasque rationabiles causas potuit prohibere et de facto prohibuit aliquibus, utcumque jure divino capacibus, praeberi sacram communionem ; qui proinde sunt incapaces jure ecclesiastico. Tales sunt :

1120. 1° Omnes usu rationis carentes. Ad hanc personarum classem pertinent prae primis infantes aliique qui infantibus acquiparantur.

1121. Ad infantes quod attinet, Conc. Trid., *sess. XXI, cap. IV*, haec habet : « Denique eadem S. Synodus docet parvulos *usu rationis* carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem ; siquidem per baptismi lavacrum regenerati et Christo incorporati adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit ; ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est ». Et deinde in *can. IV* : « Si quis dixerit parvulis antequam *ad annos discretionis* pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, A. S. ».

1122. His verbis Tridentinum, definiens sacramentalem communionem parvulis usu rationis carentibus, seu antequam ad annos discretionis pervenerint, non esse necessariam, docet antiquitus eis datam fuisse Eucharistiam et hanc disciplinam pro illius temporis adjunctis non damnat. Reipsa

in pluribus locis Ecclesiae tum Occidentalis tum Orientalis infantes post receptum baptismum aut etiam sequentibus diebus per octavam communicabant sub utraque specie; lactentibus vero dabatur sub sola specie vini in minima quantitate, digito sacerdotis in sanguine intincto, quem infans sugebat. Imo in nonnullis locis, si multae particulae consecratae supererant, accersebantur *innocentes*, idest pueri infra septennium, qui eas consumerent. Testimonia quae haec omnia probant, vide apud De Lugo, *l. c.*, *n. 11*. Nostris diebus in Orientali Ecclesia, saltem in aliquibus locis, adhuc viget mos praebendi Eucharistiam sub specie vini, modo praedicto, infantibus post baptismum; et cum a S. C. S. Officii postularetur ut hunc morem interdiceret apud Coptos in Egypto, S. C. reposuit die *16 Junii 1761* nil esse innovandum (1); item infantibus qui in periculo mortis versantur (2). In Ecclesia autem Occidentali, propter irreverentiae periculum, prohibitum fuit dare parvulis ante rationis usum Eucharistiam. Quoad lactentes, haec prohibitio est veluti corollarium legis prohibentis communionem sub specie vini (*n. 1175*); quoad reliquos videtur prohibitio ex consuetudine inducta (3). Ipsa clare supponitur a Conc. Trid., *l. c.*; nam dum dicit *non esse damnandam antiquitatem, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit et sanctissimos Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuisse*, aperte indicat hunc morem rejectum deinceps fuisse et non amplius vigere in Latina Ecclesia. Et expresse continetur in *Rituali Romano*, *De sanctissimo Eucharistiae sacramento*, in fine Rubricae: « Ita etiam iis qui propter aetatis imbecillitatem nondum hujus sacramenti cognitionem et gustum habent, administrari non debet ». Igitur pueri et puellae, non habentes usum rationis, sunt sacrae communionis capaces jure divino (4), sed in Ecclesia Occidentali incapaces jure ecclesiastico; proinde si infanti

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 713*.
(2) De Lugo, *l. c.*
(3) De Lugo, *l. c.*, *n. 32*.
(4) De Lugo, *l. c.*, *n. 10 sequ.*; Suarez, in *3 p. D. Thomae, Disp. LXII, sect. IV*, cum communi theologorum.

in Ecclesia Latina sacra communio praeberetur, minister gravi sacrilegii peccato non vacaret, licet infans gratiae augmentum reciperet; item si hostiam consecratam, casu inventam, manducaret.

1123. Ex his apparet esse quoque, saltem in Ecclesia Latina, jure ecclesiastico incapaces sacrae communionis :

a) Mentecapti a nativitate, insanientes circa omnia. Hinc *Rituale Romanum*, *l. c.* : « Amentibus seu phreneticis communicare non licet ». Mentecapti autem a nativitate, insanientes circa unam aliamve rem tantum, in his quae ad eorum dementiam non spectant, juxta nonnullos aequiparantur amentibus, juxta alios ratione utentibus. Proinde si dementia respicit praecise Eucharistiam, sunt certe incapaces sacrae communionis ; secus, stante controversia, incapaces per se non sunt (*n. 1116*). De facto istiusmodi amentes a capellanis in hospitalibus admittuntur, positis ponendis, ad communionem etiam ex devotione, saltem aliquoties ; sed nonnulli capellani aliquos excludunt.

b) *Fatui* seu *stupidi* vel *idiotae* a nativitate, si adeo lumine intellectus carent, ut hujus sacramenti cognitionem et gustum non habeant.

c) *Surdi muti-caeci* simul a nativitate, licet instituti. *Surdi muti* simul a nativitate, si instituti sunt, capaces evadere possunt ; secus juxta nonnullos accensentur idiotis, juxta alios ratione utentibus ; sed cum nemo fere dubitet eos ignorare quae ad fidem pertinent (1), non videntur ad sacram communionem admitti posse. At *surdi tantum*, vel *muti tantum*, vel *caeci tantum* usum rationis satis evolutum habent, licet forte tardius, ideoque capaces sunt, sed capacitatem tardius obtinent.

1124. Quid vero si quis post adeptum usum rationis in amentiam (aut idiotismum) inciderit ? *Rituale Romanum*, *l. c.*, de iis praecise agens, statuit : « Amentibus praeterea et phreneticis communicare non licet ; licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla et devotionem ostendant,

(1) D'Annibale, *I*, § *30*. Hic auctor *III*, § *260*, permittit, si omne irreverentiae periculum abest, eis morituris dari Eucharistiam, quasi (ut olim) infantibus. Sed hodie communio infantium in Ecclesia Latina obsolevit.

dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit ». Ut haec parumper declaremus, amens circa unam aliamve rem tantum, extra Eucharistiae materiam, non est repellendus, ut supra diximus. Amens circa omnia aut in materia Eucharistiae, in lucido intervallo admitti potest et debet, juxta Rubricae verba. Extra lucidum intervallum, si ante amentiam intentionem recipiendi Eucharistiam nec implicite habuit, vel habuit sed revocavit, omnes admittunt sacram communionem ipso divino jure praebendam non esse, quia illa intentio est in adultis necessaria (*n. 1133*). Si hanc intentionem saltem implicite habuit et non revocavit, ita ut haec intentio habitualiter nunc existat cum probabili statu gratiae, e. g., si amens ante amentiam pie et religiose vixerat, si sacramentalem confessionem peregerat, aut saltem confessarium petierat, etc., attento divino jure, sacra communio per se praeberi posset, cessante omni irreverentiae periculo ; quaestio est num Ecclesia id prohibuerit, sicut prohibuit pro infantibus. Jamvero certe Ecclesia id prohibuit extra mortis periculum, ut patet ex verbis relatis *Rituali* et omnes admittunt. Proinde Ecclesia amentem in casu declaravit sacrae communionis incapacem jure ecclesiastico extra mortis periculum, ita ut si sacra communio praeberetur, minister graviter peccaret, licet amens gratiae augmentum per se reciperet (1). In mortis periculo auctores passim cum D. Thoma, *3 p., q. 80, a. 9,* docent, posse et debere amenti in casu sacram communionem praeberi (2), dummodo, ut supra dictum est, nullum adsit irreverentiae periculum et amens ante amentiam pie religioseque vixerit aut confessionem sacramentalem peregerit, etc. E contrario regula *Rituali* videtur absoluta, non distinguens inter communionem simplicem et viaticum.

(1) De Lugo, *De sacram. in genere, disp. IX, n. 125 sequ.*, explicat amentem in casu fructum Sacramenti non obtinere, si hostiam concreatam casu inveniam, manducaret, nisi forte praecedenter habuisset intentionem etiam hoc modo recipiendi Sacramentum.

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 302* ; Suarez, *Disp. LXIX, n. 5 sequ.*; De Lugo, *Disp. XIII, n. 24 sequ.*; *Catechismus Conc. Trid., p. II, cap. IV, n. 60* ; Navarrus, *Man., cap. XXVI, n. 27*.

Praxis capellanorum in hospitalibus eadem ubique non est : nonnulli auctorum sententiam sequuntur et in illis circumstantiis viaticum ministrant ; plerique verbis *Ritualis* stricte adhaerent et nunquam viaticum praebent : tacente auctoritate ecclesiastica, nos nec illos nec istos damnare audemus. Dices contra alteram praxim : Eucharistiae Sacramentum potest esse infirmo necessarium, si nempe incidisset in amentiam existens in peccato mortali, de quo solus attritus fuerit. Respondemus haud certam esse opinionem quae tenet Eucharistiam in casu per accidens conferre gratiam primam (*n. 1188*); sed hanc opinionem certam esse de extrema unctione ; hinc collatio extremae unctionis Sacramentum Eucharistiae reddit non necessarium. Quod si extrema unctio dari non potuit, e. g., quia unus est diaconus, probabilitas illius opinionis esset nova ratio ad viaticum praebendum. Ceterum in concreto hypothesis raro verificabitur ; nam hospitalium capellani affirmant periculum irreverentiae saepe adesse, quia merito timetur ne, e. g., amens particulam expuat, aut dentibus terat, aut digito tangat, etc. ; et praeterea saepe ipsi sunt in morali impossibilitate inquirendi de vita et actis amentis ante amentiam.

Haec applicentur *energumenis*, *epilepticis*, *phreneticis*, *delirantibus*, etc. ; nam in re nostra parum interest quod quis usu rationis careat ex amentia aut furore habituali, vel alia de causa. *Rituale Romanum*, *De communione infirmorum*, haec habet, quae verba superius relata confirmant : « Diligenter curandum est ne iis tribuatur (viaticum) a quibus ob phrenesim sive ob assiduam tussim aliumve similem morbum aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest ». Igitur ii omnes dum sunt sui compotes, capaces per se sunt undequaque. Dum non sunt sui compotes, admitti nequeunt ad sacram communionem ex devotione. Nec ad sanctum viaticum, si aliquod est irreverentiae periculum aut de praecedenti intentione recipiendi Eucharistiam non satis constat. Tandem si nullum est irreverentiae periculum et infirmus ante deperditum usum rationis pie religioseque vivebat, aut peccata sua confessus est, vel saltem confessarium petiit, etc., etiam Romae non-

nulli parochi viaticum praebent, alii negant, ut supra; et neutram nos reprobamus praxim (1).

1125. 2° Fideles qui eodem die sacra communione jam refecti sunt. Sicuti enim jure ecclesiastico prohibetur sacerdotem plures in die celebrare Missas, praeterquam in casu necessitatis cum episcopi licentia (*n. 375 sequ.*), ita omnes prohibentur pluries in die sacram communionem recipere. In genere igitur vetantur sub gravi sacrilegii peccato plures eodem die communiones sive sacrificales, sive non-sacrificales, sive partim sacrificales et partim non-sacrificales. Canon explicitus deest: sed haec prohibitio certissima est ex praxi Ecclesiae, et doctores eam deducere solent ex *cap. 3* et *12. De celebratione Missarum*, quae de pluribus Missis eodem die non celebrandis agunt (2). Hinc, e. g., sacerdos qui die Nativitatis nullam celebrat Missam, nequit tres communiones extra-sacrificales facere; sacerdos qui unam vel duas celebravit Missas, nequit insuper duas vel unam communionem extra-sacrificalem facere; tandem sacerdos qui communionem extra-sacrificalem fecit, nequit ullam celebrare Missam. Ratio est quia die Nativitatis Ecclesia, trium Missarum celebrationem permittens, permittit tres communiones sacrificales, sed non permittit plures communiones extra-sacrificales, aut partim sacrificales et partim extra-sacrificales. Hinc etiam cum diaconus et subdiaconus in Missa solemni Romani Pontificis, aut in Missa conventuali in Basilica Vaticana communicare una cum celebrante soleant, nequeunt hoc ministerio fungi, si antea jam communicaverant, aut, caractere presbyterali pollentes, Missam celebraverant; item, hoc ministerio functi, nequeunt deinde propriam celebrare Missam (3).

(1) In *Statutis Ecclesiae antiquae, cap. 76*, quod refertur in *can. 8, c. 26, q. 6*, in Decreto, legitur: « Is qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum sacerdos invitatus venit, obmutuerit vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt et accipiat poenitentiam: et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem et infundatur ori ejus Eucharistia. » Solebat tunc temporis per communionem sub specie vini periculum [illegible] faucibus evitabatur.

(2) Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXIX, sect. IV, n. 3.*

(3) De Lugo, *De Euchar., disp. XX, n. 45*; Gardellini in comm. responsionis S. R. C. in *Carpen.*, de qua *n. 796.*

His unica est exceptio ; nempe possumus et debemus *rursus* eadem die communicare, si jus divinum, quod ecclesiasticae prohibitioni semper praevalet, alteram communionem exigit. Id certe verificatur, si altera communio est necessaria ut SSmum Sacramentum profanationi, etiam materiali tantum, subtrahatur, e. g., ne comburatur, ne in manus haereticorum veniat, etc. Doctores disputant utrum verificetur, necne, etiam in casu, quo, post receptam communionem, eadem die mortis periculum superveniat ; de qua re vide *n. 1152*.

1126. Hinc usque de incapacibus sacrae communionis : ceteri omnes sunt capaces jure sive divino sive ecclesiastico et ideo ad sacram communionem licite accedunt, dummodo requisitas habeant dispositiones. Modo de iis dispositionibus agendum est, quae analogae sunt dispositionibus ad Missam celebrandam (*n. 414 sequ.*) et se habent sive ex parte corporis, sive ex parte animae.

1127. 1° Ex parte corporis :

a) Requiritur naturale jejunium a media nocte ; de quo fuse *n. 425 sequ.* Haec autem lex pro sacra communione non urget in sequentibus casibus.

1128. In Concilio Constantiensi, *sess. XIII*, prohibetur ne hoc Sacramentum recipiatur « a non jejunis, nisi *in casu infirmitatis* aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso ». Haec dispensatio a lege jejunii naturalis valet in infirmitate *periculosa* n. *1101*, quando sacra communio in forma viatici infirmo praeberi potest. Perperam nonnulli hanc dispensationem restrinxerunt ad unicam tantum vicem ; in quo etiam nonnullae synodi dioecesanae anteactis temporibus erraverunt (1). Quoties igitur infirmo viaticum ministratur, toties lex jejunii naturalis non urget.

Ceterum etiam in his circumstantiis, si, absque suo aliorumque incommodo, infirmus potest jejunus viaticum recipere, melius est ut jejunus recipiat : sed non est scrupulose agendum, cum tandem lex jejunii dispensata sit (2)

(1) Scavini, *III, n. 180*.

(2) S. Alphonsus, *VI, n. 285, dub. 3*, in fine ; Ballerini ad Gury, *II, n. 934*.

Quod si infirmo sacra communio in forma viatici dari nequit, lex jejunii naturalis non dispensatur ; ideoque sacra communio praeberi nequit infirmo non jejuno, etsi infirmitas sit diuturna et infirmus nequeat jejunium naturale custodire, nisi habeatur apostolicum indultum. Id colligimus ex *Rituali Romano*, *l. c.* : « Potest quidem viaticum brevi moriturus dari non jejunis...; ceteris autem infirmis danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum » ; ubi his infirmis non jejunis dari Eucharistiam expresse prohibet absque ulla distinctione inter infirmitatem diuturnam et non diuturnam ; et revera in his casibus dispensatio peti solet (1). Si vero agitur de implendo praecepto communionis paschalis, vide *n. sequ.*

1129. Praeterea lex prohibens sacram communionem non jejunis aliquando est in oppositione cum jure divino sacram communionem praecipienti ; quo in casu jus divinum praevalere, evidens est. Hinc certe non jejunus potest hostias consecratas sumere, ut sacramentum profanationi eripiat (*n. 1125*). Item capite damnatus qui ipso supplicii die post sumptum cibum tandem convertatur aut de Eucharistia sumenda cogitet, quia praeceptum divinum de viatico sumendo urget ; sed, si potest jejunus viaticum recipere, tenetur. Nonnulli putant etiam fideles qui ex una parte jejunium naturale ad sacram communionem recipiendam servare nequeunt, et ex alia carent apostolico indulto communicandi, non servato jejunio, posse tempore Paschatis ad implendum praeceptum communicare, etsi non jejunos, cum praeceptum de communione annua tempore Paschatis sit determinatio ac extensio juris divini ac ideo praecepto mere ecclesiastico praestantius. Id confirmant ex ipso *Rituali Romano*, *l. c.*, vetante Eucharistiam dari post cibum et potum infirmis *ob devotionem* illam poscentibus ; atqui tempore Paschatis infirmi illam poscunt *ob praeceptum* (2). In casu practico melius est ut indultum

(1) Gury, *II*, *n. 334* ; Lehmkuhl, *l. c.* Plures graves theologi contrarium sentiunt, quibus ob allatas rationes non subscribimus. De hac re agit Benedictus XIV, *De syn.*, *lib. VI*, *cap. VIII*, et in epistola ad S. Officii Assessorem data die *24 Mart. 1756*.

(2) D'Annibale, *III*, § *412* ; Gury, *II*, *n. 334*.

petatur; quod si commode nequit, hac gravium auctorum doctrina quis uti in praxi poterit et debebit.

1130. Tandem alium casum quo non jejunus sacram communionem recipit indicat ipsum *Rituale Romanum*, *De baptismo adultorum*. Nam in os catechumeni immittitur sal benedictum, quo naturale solvi jejunium non est dubium. Atqui finito baptismate, ipsum *Rituale* ait: « Deinde si hora congruens fuerit, celebratur Missa cui neophyti intersunt et SSmam Eucharistiam devote suscipiunt » (1).

1131. *b*) Quid juris in casu pollutionis nocturnae, vide *n. 124*. S.C.C. in instructione diei *12 Febr. 1679* de frequenti communione (*n. 1138*) haec habet: « In conjugatis autem hoc amplius animadvertant (confessarii), cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi, eos serio admoneant tanto magis ob SSmae Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum puriorique mente ad coelestium epularum communionem esse conveniendum ». Nimirum si actus conjugalis licitus fuit, nulla per se obligatio est abstinendi a sacra communione, sed tantum consilium, et ne consilium quidem, si aliqua peculiaris communicandi causa occurrat, e. g., magna festivitas, periculum notae, specialis devotio, indulgentia lucranda, etc., aut altera pars ita frequenter petat ut sacra communio rara admodum esset. At fieri potest ut ex actu conjugali tanta evenerit perturbatio mentis, ut a sacra communione abstinendum videatur, saltem usque dum perduret mentis evagatio, nisi homo conetur eam repellere, faciens quantum in se est ut devote accedat, vel nisi aliqua justa causa necessitatis aut devotionis id expostulet. Si autem actus conjugalis fuit illicitus graviter vel leviter, etiam subsequens sacra communio erit illicita; sed de hac re mox. Ex his apparet differentia inter presbyterum conjugatum in Ecclesia Graeca (cit. *n. 124*) et conjugem. Ceterum a fortiori mulier poterit tempore menstrui communicare (2).

1132. *c*) Quod attinet ad habitum communicantium, clerici habeant superpelliceum, et insuper, si sunt sacerdotes,

(1) Vide Collectaneam S. C. de Prop. Fide, *n. 616*.
(2) S. Alphonsus, *VI*, *n.* 275, cum communiori et probabiliori.

stolam e collo pendentem, ut tradit *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. XII, cap. XXIII*, § *VI*, et *Rituale Romanum, Ordo administrandi sacram communionem.* At superpelliceum per albam, et stolam per pluviale aut casulam canonicos supplere posse, non est dubium, et declaravit S. R. C. in *Molinen.*, *12 Sept. 1857*, *ad 26um* (n. 5251). Eadem S. C. in *Antibaren.* et *Scodren.*, *4 Julii 1879* (5788), edixit stolam sacerdotis communicantis (et idem dicatur de diacono) debere esse coloris ejusdem ac stolam sacerdotis ministrantis; et diaconos etiam privatim communicantes debere super superpelliceum deferre stolam transversam; et in *Bracharen.*, *10 Sept. 1796* (n. 4469), ad dubium: « 5° An canonicus sacerdos in feria V coenae Domini communione generali super almutiam stolam e collo pendentem habere debeat, vel solum super cottam »; reposuit: « Ad 5um: Servandum esse locorum consuetudinem ». Hanc autem legem obligare sub levi, docet S. Alphonsus, *VI*, *n. 276*, cum communi. Cardinalis autem, si more laicorum communicat in Missa solemni, caudam cappae trahit, ut Bauldryus tradit apud Catalanum, *l. c.*

Ceterum quae diximus *n. 944 sequ.* de corporis ornatu in ecclesia pro Missae assistentia, a fortiori repetenda sunt pro sacra communione. Nimirum qui ensis gestandi jus habent, possunt illum et momento sacrae communionis retinere, ex consuetudine quam tacite Benedictus XIV, *Inst. Ecc.*, *XCIX*, *n. 5*, probare videtur. Subdit S. Alphonsus, *l. c.*, *n. 275*: « Milites vero S. Joannis Hierosolymitani omnino decet cum gladio accedere, quia hoc signo ipsi profitentur zelum pro tuenda fide ». At nullo unquam in casu tolerandum, ut quis habens hastam aut ignitabulum, ad sacram mensam accedat. Praeterea vir nudum habeat caput in nostris moribus, et mulier velatum (*n. 945*); quod alterum inculcat S. C. de Prop. Fide in litteris ad Vicarios Apostolicos Sinenses datis die *18 Oct. 1883*, apud Collectaneam ejusdem S. C., *n. 762*. Proinde vir pileolum non gerat; quod tamen veniale peccatum non excedit et omni culpa vacat si rationabilis causa sit et absit scandalum. Id et de mulieribus, velatum caput non habentibus, repetendum est;

sed mulieres maxime a sacra communione vanos ornatus et luxum removeant (cit. *n. 945*). Tandem reverentia erga SSmum Sacramentum exigit ut ad sacram communionem accedamus sine macula notabili in corpore, quae sit visibilis et delebilis, cum vestibus calceisque non sordidis et dilaceratis, sed mundis et integris, si habemus ; sed sacerdos neminem exinde a sacra mensa repellere debet aut potest.

1133. Ex parte animae :

a) In adultis post adeptum rationis usum requiritur jure divino intentio recipiendi Sacramentum saltem habitualis, nempe semel habita et numquam revocata. Inde est, e. g., quod si homo adultus hostiam consecratam manducat, putans non esse consecratam, nullum exinde percipit fructum. Sufficit autem etiam intentio implicita, idest contenta in alia intentione generali; e. g., pia et religiosa vita aut confessio sacramentalis immediate ante amentiam aut delirium satis per se est ut viaticum praebeatur, quia certe continet intentionem recipiendi viaticum (1). Quoniam vero intentio est actus voluntatis, actum intellectus supponens, hinc sequitur ad sacram communionem cum fructu recipiendam requiri in adultis *cognitionem* et *gustum* hujus Sacramenti, ut loquuntur Rubricae relatae *n. 1122*, et *Catechismus Conc. Trid., De Euchar. Sacram., n. 63*, gemina prorsus habet. *Cognitio* : proinde posito dubio : « Utrum administrandum sit viaticum illis neophytis qui, in articulo mortis a christianis baptizati, ignari sunt » ; S. C. S. Officii, die *10 Apr. 1861*, reposuit : « Hisce neophytis non esse administrandum viaticum, nisi saltem discernant cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in sacra hostia praesentiam Christi D. » (2). Ceterum major hujus mysterii cognitio utilis erit ad uberiores percipiendos fructus. *Gustus*, idest desiderium; secus enim sicut cibus corporalis non prodest, sed potius nocet, ita et hic spiritualis cibus. « Accedat nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes accensi, omnes ferventes et excitati » ; clamat S. Joannes Chrysos-

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 302*, cum pluribus aliis.
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 734*.

tomus, *Hom. 60 ad populum Antiochenum*. Exinde deduces neminem a superioribus fori externi, e. g., in seminariis, communitatibus religiosis, etc., esse cogendum ad communionem recipiendam tali die; nam praescindendo etiam a possibili statu peccati, haec coacta communio potius nociva, quam utilis esset. Proinde etiam diebus communionis generalis quisque sese disponat ad divinam mensam; sed tandem liber esto, nec superior aliquem cogat.

1134. *b)* Insuper requiritur status gratiae, secus dirum sacrilegium committi, evidens est. Exponentes Conc. Trid., *sess. XIII, cap. VII*, diximus *n. 440 sequ.*, neminem, conscium peccati mortalis, posse ad Missae celebrationem vel sacram communionem accedere, quamtumvis sibi contritus videatur, sine praevia sacramentali confessione, nisi necessitas urgeat et desit confessarii copia: quo in casu fideles Ecclesiae praecepto confitendi *quamprimum* non adstringuntur. Utrum vero qui peccatum veniale commisit, accedens ad sacram communionem, quin illius remissionem prius procuret, committat, necne, peccatum veniale, doctores inter se non conveniunt; de qua re vide De Lugo, *disp. XIV, n. 22 sequ.*; S. Alphonsum, *VI, n. 270.*

1135. *c)* Praeterea necesse est ut communicans non sit illaqueatus aliqua censura. Excommunicationem removere a sacra communione, indubium est ex *cap. 49, De sent. excommunicationis*. Ex hoc canone apparet et minorem excommunicationem Sacramentorum perceptionem vetare; sed minor excommunicatio post const. *Apostolicae Sedis* obsolevit. Hinc sacram communionem, etiam per modum viatici in articulo mortis, absolutio praecedere debet: de qua non est hic dicendi locus. Interdictum personale sive generale sive particulare, sicuti non prohibet poenitentiam, ita nec viaticum in periculo mortis, ex *cap. 11, De poenitentiis et remissionibus*; insuper interdictus personaliter potest probabilius communicare quoties potest Missae assistere *(n. 239)* (1); sed extra hos casus communio simplex et ordinaria ex devotione eidem interdicitur,

(1) Suarez, *De censuris, disp. XXXIII, n. 35 sequ.*

nisi privilegio gaudeat. Quod si fidelis in scamno communicantium recordatur se esse excommunicatum aut interdictum ita ut recedere nequeat sine magno scandalo et admiratione, potest sacram communionem recipere, quia prohibitio Ecclesiae in his circumstantiis non urget (*n. 139*).

1136. Quaeritur utrum censuratus aut peccator, ad sacram communionem recipiendam accedens, repelli debeat, necne. Hanc quaestionem fuse pertractat Benedictus XIV, *De syn., lib. VII, cap. XI, n. 4 sequ.*, ubi quosdam veluti canones a praestantioribus theologis probatos atque receptos tradit. Scilicet in primis si peccator occultus est et publice Eucharistiam petit, poterit quidem sacerdos, si occulte id facere valeat, illum monere ut a sacra mensa se abstineat; poterit etiam, Eucharistiam publice ministraturus, omnibus in communi edicere ne quis peccati labe inquinatus nec antea Ecclesiae reconciliatus accedat; verum si nihilominus peccator hujusmodi ad Sacramentum percipiendum sese offerat, minime licebit illum repellere et sacri doni participationem ei denegare (1). Si peccator occultus occulte Eucharistiam petit, minister, peccatum dignoscens alio modo extra confessionem sacramentalem, debet eam denegare, ut tradit quoque *Rituale Romanum, l. c.*: « Occultos vero peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo ipsos praeterire nequeat »; peccatum dignoscens dumtaxat ex sacramentali confessione, debet eam praebere; tandem peccatum dignoscens tum alio modo tum ex sacramentali confessione, putamus debere eam denegare, dummodo peccatorem moneat, salvo semper notitiae auctore, cognitum sibi esse illius statum alia ratione quae nil commune habeat cum sacramento poenitentiae. Tandem si peccator publicus Eucharistiam petit sive publice sive occulte, repelli debet, ut omnes tradunt cum *Rituali Romano, l. c.*: « Arcendi autem sunt publice indigni, quales sunt excom-

(1) Multo minus licebit hostiam non consecratam, loco consecratae, praebere; de qua re Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XX, n. 4.* Vide *n. 440*. Christum D. in ultima coena suum corpus et sanguinem praebuisse et Judae, probat idem Benedictus XIV, *De festis D. N. J. C., lib. I, cap. VI, n. 42 sequ.*, cum S. Thoma, *3 p., q. 81, a. 2.*

municati, interdicti, manifesteque infames, ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi et alii ejus generis publici peccatores, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint ». Porro manifesti seu publici peccatores ad effectum de quo agitur, censentur illi « quorum peccata noscuntur aut per judicis sententiam, aut per propriam confessionem in judicio factam, aut evidentiam facti quae nulla possit tergiversatione celari »; ut docet Sylvius cum D. Thoma aliisque, apud Benedictum XIV, *l. c.*, et ex relatis *Ritualis* verbis confirmatur. Exinde autem vides quinam peccator occultus dicatur et sit.

1137. *d)* Ulterius pro frequenti communione non sufficit status gratiae, sed requiritur habitualis perfectio moralis eo major, quo communio frequentior erit. Quamquam enim sacra communio non est merces virtutis, sed est medium ad virtutem acquirendam et conservandam, tamen reverentia Sacramento debita et major ipsius communicantis spiritualis utilitas aliquando exigunt ut in usu SSmae Eucharistiae ratio habeatur moralium suscipientis conditionum. Vide quae de hac re habet S. Alphonsus, *Praxis confessarii*, *n. 149 sequ.*, et praecipua refert etiam Gury, *II*, *n. 339 sequ.* Igitur frequens et etiam quotidiana communio in se est semper salutaris et commendabilis (*n. 1174*), dummodo tamen cum debitis dispositionibus ad eam accedamus. Ad rem S. Thomas, *3 p.*, *q. 80*, *a. 10* : « Et ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile est quod quotidie sumat. Unde Augustinus, cum dixisset: *Accipe quotidie*, *ut quotidie tibi prosit*, subjungit: *Sic vive*, *ut quotidie merearis accipere*. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem vel animae, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere ». Vide etiam *can. 13*, *dist. 2*, *De consecrat.*, in Decreto.

1138. Notum est anteactis temporibus, praesertim post propagatos jansenisticae sectae errores, valde disputatum fuisse de frequenti aut etiam quotidiana communione, et nonnulli eam omnibus indiscriminatim suadebant; alii vero

eam universim damnabant. Ad hanc litem finiendam, jubente et approbante Innocentio XI, S. C. C. publicavit, die *12 Febr. 1679*, decretum seu instructionem (1) in qua haec traditur regula practica : « In hoc igitur pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut a quotidiana sacrae communionis sumptione unica praecepti formula aliqui deterreantur aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se aut parochos seu confessarios sibi decernendum putet ; illudque omnino provideat ut nemo a sacro convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur et nihilominus det operam ut unusquisque digne pro devotionis et praeparationis modo rarius aut crebrius dominici Corporis suavitatem degustent... Proderit etiam, praeter parochorum et confessariorum diligentiam, operà quoque concionatorum uti, et cum eis constitutum haberi ut cum fideles ad SSmi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant : generatimque ostendant eos qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini judicii formidine discant coelestem mensam in qua Christus est, revereri ; et si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere seque ad majorem praeparationem accingere ». Benedictus XIV, *De Syn., lib. VII, cap. XII, n. 9*, docet episcopos, hac de re agentes, huic instructioni semper adhaerere debere.

1139. Si ad doctrinam S. Alphonsi, *l. c.*, aliorumque probatissimorum auctorum attendamus, sequentes regulae practicae de frequenti communione tradi posse videntur (2). Communio *menstrua* nemini deneganda est et omnibus suadenda qui singulis vicibus absolutione digni sunt. Communio *hebdomadaria* permittenda est imo consulenda iis qui graves culpas habitualiter non committunt et insuper

(1) Integram hanc instructionem habes in Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 710*.

(2) Gury, *II, n. 344* ; Lehmkuhl, *II, n. 156* ; De Lugo, *disp. XVII*.

conatum aliquem verum adhibent contra peccata venialia : item iis qui non ita quidem extraordinarie tantum in mortale peccatum labuntur, sed tentationibus gravibus laborant atque in frequentiori communione remedium ac fortitudinem quaerunt, modo tamen voluntatem firmam dimicandi contra tentationes concipiant. Communio *frequens non-quotidiana*, scilicet pluries in hebdomada, permittenda est et consulenda iis qui, licet in veniales culpas aliquando labantur, mox tamen dolere et relapsum praecavere studiose curant. Tandem, crescente virtute, iis et communio *quotidiana* permitti potest, licet expediat, si causa subsit, interdum semel et aliquando etiam pluries in hebdomada communionem eisdem subtrahere.

1140. Ex his apparet solum illum qui intimas conscientiae latebras cognoscit, judicare posse num et quoties sacra communio sumi valeat aut debeat ; non autem superiores aut superiorissas fori externi. Ad corrigendos abusus qui hac in re irrepserant in Congregationibus et Ordinibus religiosis, Leo XIII, per decretum S.C. EE. et RR. dici *17 Dec. 1890*, praecipit permissionem vel prohibitionem accedendi ad sacram communionem dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare. Verba sunt haec :

« V. Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitionem ad synaxim accedendi, eadem Sanctitas Sua decernit hujusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem Communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit.

« VI. Monentur hinc omnes ut ad sacram synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis ; et quoties ob fervorem et spiritualem alicujus profectum confessarius expedire judicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae communionis de hoc certiorem reddere superio-

rem teneatur : quod si hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi communiones, eas confessario manifestare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit ».

Hoc decretum adeo obvium, judici fori interni exclusive reservans sacram communionem quae ex intimo cujuscumque conscientiae statu dependet, non est nisi praecedentium decretorum repetitio et confirmatio. Pleraque instituta religiosa illud in praxim, ut par est, deduxerunt ; sed in nonnullis usurpatae conscientiarum moderationi superiores ac superiorissae nondum renuntiaverunt.

1141. *c*) Tandem, praeter statum gratiae animique perfectionem, requiritur praeparatio. Sicut enim sacerdos ante Missae celebrationem (*n. 452*), ita fidelis ante communionem debet aliquantulum orationi vacare et actus fidei, humilitatis, amoris, doloris, propositi in suo corde excitare, ut ad panem Angelorum manducandum digne, quantum humana fragilitas sinit, et cum fructu accedat.

§ 2. — *Quinam sacram communionem recipere debeant.*

1142. In primis tamquam certum retinere debemus esse aliquam juris divini obligationem recipiendi sacramentum Eucharistiae. Revera Christus D., *Joannis, VI, 54*, ait : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, etc. ; quae verba licet aliquando sumantur de spirituali manducatione, hoc tamen non impedit quominus sumi debeant etiam de manducatione sacramentali ; ostenduntque sumptionem hujus Sacramenti esse necessariam ad vitam aeternam habendam ideoque obligatoriam. Ceterum obligationem non afficere utramque speciem, docet et explicat Conc. Trid., *sess. XXIII, cap. I* (*n. 1175*) (1). Insuper Christus D., *Luc., XXII, 19*, et *I^a Cor., XI, 25*, ait : *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis continetur praeceptum faciendi id quod factum fuit in ultima coena, idest consecrandi et dis-

(1) De Lugo, *De sacram. Eucharistiae, disp. XVI, n. 12 sequ.*

tribuendi ac recipiendi communionem. Accedit ratio theologica. Nam Eucharistia est spiritualis cibus et potus; ac proinde sicuti cibus et potus materialis est necessarius ad vitae materialis conservationem, ita Eucharistia est necessaria ad vitae spiritualis conservationem (1), quatenus, secundum communem divinae providentiae ordinem, praecipue per sanctam communionem homini adulto tribuuntur auxilia abundantiora ad resistendum tentationibus, et earumdem tentationum vis minuitur (*n. 1189*). Quae omnia clare traduntur a Christo D., *Joan., VI, 48 sequ.* Atqui si Eucharistia est necessaria ad vitae spiritualis conservationem sensu explicato, eo ipso est obligatoria. Tandem haec est sententia communis cum D. Thoma in *3 p., q. 80, art. 11* (2).

1143. Quod si ad naturam et institutionem Eucharistiae paulo attendamus, facile deprehendemus divini Cordis consilium in hac obligatione imponenda. Nam diximus (*n. 1066*) Christum D. Eucharistiam sub speciebus panis et vini instituisse ut per sanctam communionem nobiscum devinciretur unione qua intimior ne concipi quidem potest, et hanc unionem pro infinito quo nos prosequitur amore, ipse ardentissime peroptat. Ut homines intuitu vitae spiritualis et subsequentis salutis aeternae ad eamdem alliceret, sacrae communioni adnexam voluit vitae spiritualis conservationem in sensu exposito, ad instar regis qui gratiarum subditis dispensationem momento suae visitationis reservat. Cum vero amantissimus Redemptor praevideret plures homines ingratissimos futuros indifferentes, addidit quoque praeceptum formale de recipienda communione saltem aliquoties in vita et in periculo mortis, quando versamur in puncto a quo pendet aeternitas. Proinde obligatio communicandi jure divino facta, contra quam nonnulli, blasphemantes quae ignorant, obloquuntur, vere dici potest complementum amoris D. N. J.-C. erga homines.

(1) De Lugo, *l. c., n. 11*.

(2) Theologi in haec omnia consentientes deinde disputant utrum Eucharistia dici debeat ad salutem necessaria necessitate medii, an necessitate praecepti tantum; quae quidem quaestio est nominis potius quam rei, dum omnia quae diximus admittantur.

1144. Ex his apparet divinum communicandi praeceptum esse positivum apud *Luc., XXII, 19*, et *1ª Cor., XI, 25*, sed simul esse naturale-hypotheticum ; idest posita institutione Eucharistiae modo quem explicavimus, homines ipso jure divino-naturali tenentur ad sanctam communionem accedere, ut amori D. N. J.-C., hanc unionem tantopere desiderantis, respondeant et medium pro conservatione vitae spiritualis ab ordinaria divina providentia constitutum adhibeant.

1145. Si autem quaeratur quinam divino adstringantur praecepto, respondemus non adstringi certe incapaces sacrae communionis jure sive divino sive ecclesiastico. Proinde non baptizati, quales erant illi quos Christus D., *Joan., VI*, alloquebatur, dici solum possunt adstringi mediate, quatenus tenentur baptismum recipere et deinde ad sacram communionem accedere (*n. 1118*). Item nec tenentur dubie incapaces (*n. 1116*), cum praeceptum dubium non urgeat. Tandem tenentur certe capaces, qui, si non sunt dispositi, debent sese disponere. De aetate vero qua hoc praeceptum urgere incipit, vide *n. 1166 sequ.*

1146. Potius determinandum est quandonam hoc divinum praeceptum urgeat. Per accidens obligatur homo ex natura rei ad communionem, quando judicat esse medium necessarium ad resistendum alicui tentationi gravi quae alias superari non potest. At ex una parte id vix unquam fiet, et ex alia homo, communionem in casu praetermittens, non peccaret contra praeceptum de communione sumenda, sed contra virtutem, adversus quam patitur tentationes (1). Nos in praesenti inquirimus de obligatione formali et per se ; quae urget sive in periculo mortis, sive aliquoties in vita.

1147. 1° In primis dicendum cum communi sententia, contra paucos, praeceptum divinum urgere in periculo mortis (2). Sane in mortis periculo est cum antiquo ani-

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 295* ; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXIX, sect. 1* ; D'Annibale, *III*, § *398*.

(2) De Lugo, *De sacram. Eucharistiae, disp. XVI, n. 33 sequ.*, cum communi.

mae nostrae hoste ultima et vividior lucta; in qua, ut ejus tentationibus resistamus, quam maxime hoc pane vivifico indigemus. Hinc in *can. 13* Concilii Nicaeni: « De iis qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servetur ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et *maxime necessario viatico* minime privetur ». Indifferens autem est quod mortis periculum immineat ex causa intrinseca, e. g., ex morbo, an ex causa extrinseca, e. g., ex bello, sententiae capitalis executione, etc. Hinc ad sacram communionem recipiendam sive per modum viatici (*n. 1101*) sive simplicem et ordinariam sub gravi tenentur: infirmus in gravi morbo; morte damnatus; miles ante pugnam; mulier, partus difficiles habens, ante partum et in genere quaelibet mulier ante primum partum; viator ante iter aleis plenum, etc.

1148. Exinde sequitur esse reprobandam praxim alicubi receptam denegandi Eucharistiam capite damnatis ante extremum supplicium, etsi ceteroquin dispositi sint. Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. III, cap. XX, n. 6*, refert in nonnullis locis negari, in aliis praeberi, in aliis tandem cautum esse ut inter communionem et mortem tempus sufficiens intercedat ut sacrae species consumantur: deinde insinuat eam sequendam esse consuetudinem quae in unoquoque loco viget, licet christianae pietati magis conforme sit, ut sacra communio in casu praebeatur. Et *De syn., lib. VII, cap. XI, n. 3*, addit episcoporum partes esse hanc disciplinam in suis dioecesibus introducere, fretus auctoritate S. Pii V in epistola ad episcopum Rossanensem, suum in Hispaniis Nuntium. Et sane: nonne consuetudo negandi in casu Eucharistiam est aperte contraria divino praecepto de sacra communione sumenda in mortis periculo? Quid ergo deest ut omnino irrationabilis dicatur et sit? S. C. S. Officii die *9 Maii 1821*, de hac consuetudine nil voluit pronuntiare; sed S.C. de Prop. Fide, die *21 Julii 1841*, ad dubia: « 1° Quid de christianis vel sacerdotibus propter fidem non solum ad carceres perpetuos vel temporales damnatis, sed ad mortem laqueo vel gladio subeundam? Potestne illis deferri SSmum Sacramentum

pridie vel ipso die eorum executionis? Et tunc debet illis administrari tamquam viaticum moribundis vel tamquam communio ordinaria benevalentibus? 2° Quid de christianis ad carcerem vel etiam ad mortem damnatis non propter fidem, sed ob crimina vera vel illis injuste imputata (quod non raro). Potestne illis attritis et sacramentaliter absolutis deferri SSmae Eucharistiae Sacramentum, maxime si illud petant »; reposuit: « Ad 1um: Affirmative et per modum viatici. Ad 2um: Affirmative et ad mentem, quae est ut Vicarius Apostolicus quam maxime curet ut damnati ad mortem coelesti pane reficiantur ».

1149. Eodem modo solvi potest similis historica difficultas. Nam certum est in antiqua Ecclesiae disciplina iis qui graviora commiserant crimina, eucharisticam communionem per totum vitae curriculum et etiam in mortis articulo negatam fuisse, ut patet ex *can.* 2 concilii Sardicensis et pluribus canonibus concilii Illiberitani (1). Quomodo ergo ii canones conciliari possunt cum jure divino praecipiente sacram communionem in periculo mortis? Respondemus hos canones non fuisse generales totius Ecclesiae; hinc per se non repugnat fuisse juri divino contrarios, sicuti contraria est localis consuetudo denegandi Eucharistiam capite damnatis, etsi dispositis. Praeterea dici potest Christum D. hoc praeceptum tulisse sub directione Ecclesiae, cui sacramentorum administrationem commisit (*n. 1119*), sicque non est absolutum, sed conditionatum, si scilicet et quando bene visum fuerit Ecclesiae; quando autem ex Ecclesiae lege criminosus, in periculo mortis constitutus, et ab Ecclesia penitus exclusus, viatico privabatur, Deus aliis subsidiis praesto erat, ut posset in spirituali pugna consistere.

1150. Ex dictis apparet hoc divinum praeceptum *venire* seu incipere, incipiente periculo; *cedere*, idest desinere, finiente periculo. Proinde, durante periculo, quacumque communione impletur, etsi quis periculum ignoraverit, aut praeceptum illa communione implere noluerit, sed alia, aut communio per modum viatici praebenda fuisset et infirmus

(1) Card. Bona, *Rer. Liturg., lib. II, cap. XIX, n. 4.*

vel morte damnatus simplicem et ordinariam receperit. Et si quis hoc praeceptum non implevit et periculum evasit, peccavit quidem per se, sed jam ad sacram communionem recipiendam non amplius tenetur, cum praeceptum non amplius urgeat. Quod si in ipsomet mortis periculo hoc praeceptum impleri nequeat, e. g., durante pugna, maritimo itinere, partu, etc., praeceptum venit et implere debet paulo ante ipsum periculum, idest paulo ante pugnam, iter maritimum, partum, etc., nempe quando, moraliter loquendo, ipsum periculum proximum est, quis tunc moraliter loquendo hoc periculum jam incepisse constitur, et cum postea impleri nequeat, statim implendum est.

1151. Quaeritur num praeceptum divinum in mortis periculo urgeat, si paucis ante diebus fidelis sacram communionem recepit. Omnibus fere auctoribus, ipsi valde suadendum est ut denuo communicet. Nonnulli putant ad novam communionem eumdem etiam teneri praecepto divino, quia cum praecepto satisfieri non possit, antequam ejus urgeat obligatio, communione recepta ante periculum mortis impletum non est praeceptum divinum quod urget praecise in mortis periculo [1]. Alii negant praeceptum divinum in casu urgere, quia qui paucis diebus, e. g., tribus vel etiam octo, ante mortis periculum communicavit, moraliter loquendo communicavit in mortis periculo, ut evidentius apparet, et ideo praeceptum divinum implevit [2]. Stante hac controversia, praeceptum urgendum non est.

1152. Quid vero si eodem die post receptam sacram communionem periculum mortis supervenit? Ita, e. g., summo mane celebravit Missam aut communicavit Titius sanus, aut infirmus sed non ad mortem; postea eodem die ob receptum vulnus aut ob eumdem morbum ingravescentem in periculo mortis versatur et petit viaticum: possitne aut debet viaticum recipere? Sunt tres sententiae; alii enim putant debere ex divino praecepto: alii posse, sed non debere: alii non posse. Benedictus XIV, *De syn., lib. VIII, cap. XI, n. 1 seqq.*, citatis auctoribus, quamquam per-

1 S. Alphonsus, *VI, n. 285, dub. 2*, cum pluribus aliis.
2 De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XV, s. 39 seqq.*

tentiam habet probabilem et ideo concludit : « In tanta opinionum doctorum discrepantia integrum erit parocho eam sententiam amplecti, quae sibi magis arriserit ». Id quidem pro praxi ; nam in theoria cum S. Alphonso, *VI, n. 285, dub. 4*, distinguendum esse putamus. Si Titius, quando summo mane communicavit aut Missam celebravit, jam erat in mortis periculo, licet hoc periculum notum adhuc non esset, e. g., quia causa mortis praecxistens naturaliter evoluta postea apparuit (quod medici judicabunt), videtur nec debere nec posse, quia praeceptum divinum certe impletùm est et ideo urget jus ecclesiasticum prohibens eadem die communionem iterare. E contrario, si Titius, quando summo mane communionem recepit aut Missam celebravît, non erat in periculo mortis constitutus, e. g., quia deinde ob receptum vulnus in mortis periculo versatur, est quaestio quam supra indicavimus, utrum divinum praeceptum per matutinam communionem vel celebrationem impleverit, necne. Stante hac controversia, ipse divino praecepto non tenetur, sed potest illud implere, non obstante lege ecclesiastica vetante communionis iterationem eadem die, quia dubium obligationis divinae secumfert etiam dubium ecclesiasticae obligationis.

1153. De Lugo, *Disp. XVI, n. 44*, cum pluribus aliis antiquis theologis putat huic divino praecepto satisfieri etiam per sacrilegam communionem, ita ut infirmus qui sacram communionem in statu peccati mortalis recepit, deinde, eodem mortis periculo perdurante, non amplius teneatur communicare. Haec doctrina falsa est ; sicut enim jus ecclesiasticum de annua communione in Paschate *(n. 1163)*. ita jus divinum de communione in periculo mortis obligat ad communionem sanctam ; proinde sacrilega communione non impletur. Facta autem sacrilega communione, prudentiae confessarii relinquitur, utrum moribundum moneat de iterando viatico, an id dissimulet ; si enim difficile est ipsum adducere ad sacram communionem rursus recipiendam, consultum est, ad formale peccatum evitandum, de obligatione tacere (1). At si quis post receptam communionem

(1) Lehmkuhl, *II, n. 146*.

committit grave peccatum, non tenetur rursus praecepto divino, quia satis est hoc praeceptum semel implevisse (1). Ceterum non requiri intentionem praeceptum implendi per sacram communionem, supra diximus et palam est.

1154. Tandem hoc praeceptum cessat seu non urget, si alicujus irreverentiae periculum est. *Rituale Romanum, l. c.*, ait : « Id tamen diligenter curandum ne iis tribuatur a quibus ob phrenesim, sive ob assiduam tussim aliumve similem morbum aliqua indecentia cum injuria tanti Sacramenti timeri potest ». *Ob assiduam tussim.* quae nempe impediat particulam in stomachum descendere ; nam particula quae in stomachum descendit, per tussim sine vomitu ejici nequit et ideo tussis communionem non impedit. In dubio fieri potest experimentum cum hostia non consecrata; si haec in stomachum descendit et vomitum non provocat per tempus congruum (*n. 1194*), dari potest sacra communio, nec necesse est ut omne prorsus vel levius periculum absit. Ceterum « aegrotis morti proximis cujuscumque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, sacrum Eucharistiae viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit acceptio personarum ac pro nostra salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit » ; Alexander VII in const. *Sacrosancti, 18 Jan. 1658.*

Num vero et quatenus sacra communio in periculo mortis dari possit in forma viatici et non servato jejunio, vide *n. 1101* et *n. 1127 sequ.*

1155. 2° Extra periculum mortis praeceptum divinum, utpote affirmativum, non obligat nisi aliquoties in vita (*n. 514*). Ecclesia autem id melius determinavit ac extendit ; sed hac in re non semper fuit eadem ecclesiastica disciplina. Primis Ecclesiae temporibus fideles Missae assistentes, nominatim die dominico, communicabant (*n. 66*) ; sed non constat de vera morali obligatione. Frigescente fidelium devotione, statutum fuit ut quisque fidelis saltem ter in anno ad sacram communionem accederet, nempe in Paschate, in Natali Domini et in Pentecoste, ut habetur in *can.*

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 293* ; D'Annibale, *III*, § *398*.

13, dist. 2, De consecrat., in Decreto, qui est concilii Turonensis an. 813; idem jam praeceperat concilium Agathense an. 506, *can. 18*, qui refertur in Decreto, *l. c., can. 19*. Ad hanc disciplinam alludit Innocentius III in *cap. 8. De poenitentiis et remissionibus*, ibi: *Consuetis festivitatibus*. Tandem idem Innocentius III in concilio Lateranensi IV praecepit communionem annuam in Paschate et habetur in celebri *cap. 12, De poenitentiis et remissionibus*: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura... ». Hanc legem postea Conc. Trid., *sess. XIII, can. IX*, confirmavit, definiens: « Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae, A. S. ». Ex dictis apparet hanc legem esse partim divinam partim ecclesiasticam; contra quam proinde contraria consuetudo inolescere non potest.

1156. Ex his canonibus evidens est obligationem gravem esse: 1° Communicandi saltem semel in anno, scilicet ecclesiastico a Paschate ad Pascha (1); 2° Hoc praeceptum implendi in Paschate, idest non ipsamet die Resurrectionis Dominicae, sed tempore paschali, quod concluditur intra dominicam *Palmarum* inclusive et dominicam *in Albis* inclusive, ut declaravit Eugenius IV in Bulla *Fide digna, 8 Julii 1440*. S. C. C., die *19 Nov. 1816*, apud Ferraris,

(1) De Lugo, *disp. XVI, n. 69*, cum aliis putat hunc annum esse naturalem a prima die Januarii ad ultimam Decembris; sed communis sententia et praxis tenet hunc annum esse ecclesiasticum (S. Alphonsus *VI, n. 296*). Imo *a Paschate ad Pascha* intelligitur *ab initio temporis paschalis ad initium temporis paschalis anni futuri.*

Bibliotheca, etc., *v. Eucharistia*, *I*, *n. 10*, reposuit episcopum et parochum posse hoc tempus ultra citrave dilatare. Scilicet ex canone Lateranensi colligitur hoc tempus dilatare posse *proprium sacerdotem*, ibi : *Nisi de consilio*, etc. ; atqui proprius sacerdos in hac canonis parte intelligitur Ordinarius, parochus, ut patet ex citata responsione S. C. C. et etiam confessarius (1) ; proinde hoc tempus dilatare poterit Ordinarius, etiam generaliter pro tota dioecesi ; parochus pro sua parochia, sed in casibus particularibus tantum ; tandem etiam confessarius pro suis poenitentibus, ideoque rursus nonnisi in casibus particularibus.

1157. Prima obligatio communicandi saltem semel in anno est principalis ; altera, tempus paschale pro adimplemento hujus obligationis statuens, est secundaria, determinativa scilicet prioris, et urget, nisi legitimum adsit impedimentum aut grave periculum immineat : utraque obligatio gravis est, sed prima, utpote principalis, gravior. Ad rem Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 13* : « Tempus Paschatis sancta Mater Ecclesia constituit non quidem ut sumendae Eucharistiae praeceptum eo tempore concluderet, verum ut palam faceret quo tempore idem praeceptum fidelibus explendum foret ». Huc spectat etiam S. C. de Prop. Fide, *12 Sept. 1645* : « Sinenses obligari... ad sacram communionem semel in anno sumendam : quo vero ad executionem tempore statuto, hoc est in Paschate, id esse intelligendum nisi legitimum adsit impedimentum aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut infra duos vel tres menses, ante ve post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi omnino communicent (2) ».

1158. Ex his sequitur, si quis ad sacram communionem accessit ante dominicam *Palmarum*, nec praeceptum communicandi saltem semel in anno incipiente die *Palmarum*, nec praeceptum hanc obligationem servandi in Paschate, adimplevisse. Proinde rursus communicare tenetur in Paschate ut utramque adimpleat obligationem. Revera *Rituale*

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. XLV, n. 6.*
(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 707.*

Romanum, *De communione infirmorum*, tradit : « Aegrotis quoque parochialibus, etiamsi communionem extra praescriptos paschales dies sumpserint, in paschalibus diebus illam parochus deferet ac ministrabit ». Pariter qui tempore paschali, quacumque demum de causa, non communicavit seu non adimplevit obligationem determinativam praecepti principalis, adhuc tenetur praecepto principali communicandi infra annum usque ad initium futuri temporis paschalis. Hinc consulendus quidem est ut quam primum huic praecepto satisfaciat, sed tandem lex est de communione recipienda antequam annus finiat (1). Demum si quis incepto paschali tempore praevidet impedimentum deinceps communicandi, statim tenetur communionem recipere (2) ; gravior apud auctores (3) est difficultas si ante paschale tempus hoc impedimentum praevidet. Ni fallimur, res obvia est : nempe cum licentia proprii sacerdotis anticipetur paschale tempus et ita praeceptum impleatur, quod deinde, etiam cessante impedimento, non amplius urget, ut patet, cum jam impletum sit. Quod si hoc factum non fuit, praeceptum deinceps, impedimento cessante, impleri debet, ut constat ex dictis. Vide responsionem S. C. de Prop. Fide *n. praec.* relatam.

1159. Quamquam vero fideles totum paschale tempus habent ad praeceptum implendum, tamen clerici, ecclesiae addicti, debent sacram communionem recipere, more laicorum, feria V majoris hebdomadae, sicuti Apostoli eadem die in ultima coena communicaverunt (*n. 71*). Haec praxis est antiquissima, cum de ea mentionem habeant antiqua Sacramentaria et veteres Romani Ordines, e. g., Sacramentarium Gelasianum, Ordo S. Amandi, etc. ; et eam supponunt *Caeremoniale episcoporum*, *lib. II*, *cap. III*, et *Rituale Romanum*, *De feria V in Coena Domini*, *cap. II*, *n. 17*. Et quidem haec pia praxis non est tantum de consilio, sed est obligatoria pro omnibus clericis ecclesiae addic-

(1) De Lugo, *disp. XVI*, *n. 69*.
(2) S. Alphonsus, *VI*, *n. 298*, in fine, cum communi.
(3) De Lugo, *disp. XVI*, *n. 74* ; Suarez, *in 3 p. D. Thomae*, *disp. LXX*, *sect. II* ; S. Alphonsus, *VI*, *n. 298*.

tis. Id satis apparet ex verbis antiquorum Ordinum Romanorum et probatur aperte ex pluribus responsionibus S. R. C. Responsio antiquior habetur in *Civitaten., 27 Sept. 1608* (1). Nam proposito dubio: « An omnes dignitates, canonici, portionarii et alii sacerdotes ecclesiae cathedralis feria V in coena Domini debeant non celebrare, sed sacram communionem sumere de manu episcopi vel alterius celebrantis, prout ordinatur in libro *Caeremoniali Episcoporum* et prout in dicta ecclesia servabatur, licet postea per consuetudinem vel potius desuetudinem consueverint singuli presbyteri, dignitates, canonici, mansionarii per se ipsos dicta die Missas celebrare »; S. C. reposuit: « Servandam esse regulam praescriptam in libro *Caeremoniali* quae universalis Ecclesiae consuetudini conformis est, ut scilicet feria V in coena Domini in memoriam quod D. N. J.-C. manu sua propria omnes Apostolos communicavit, omnes presbyteri tam dignitates quam canonici et mansionarii communionem sumant de manu episcopi vel alterius celebrantis et prout etiam antiquitus in dicta ecclesia *Civitatensi* servabatur ». Cumque in *Conchen., 22 Dec. 1770* (n. 4353), a nonnullis capitularibus, obligationem denegantibus, rursus quaesitum fuisset num dignitates, canonici, portionarii ceterique beneficiati ecclesiae cathedralis Conchensis tenerentur, S. C. censuit dandum esse decretum in cit. *Civitaten.* Item in *Segontina, 19 Sept. 1631, ad 1um* (n. 1734), S. C. declaravit episcopum cogere *posse* canonicos et alios quoscumque de gremio ecclesiae. Imo in *Cortonen., 10 Sept. 1701* (n. 3597), edixit episcopum *debere* cogere; nam proposito dubio: « 16° An feria V in coena Domini canonici qui non celebrant, possint cogi ad susceptionem sacrae Eucharistiae de manu celebrantis »; S. C. reposuit: « Ad 16um: *Debent* ». Vide etiam, ne plura inutiliter afferamus, decretum generale relatum *n. 79*; decretum in *Mutinen., 22 Sept. 1837, ad 1um* (n. 4815); in *Amerina, n. sequ.* citanda, etc. Proinde clara est obligatio pro omnibus clericis addictis ecclesiae cathedrali; item obligantur clerici

(1) Hoc decretum in collectione Gardellíniana refertur in *Conchen.* infra citanda, sub n. 4353.

addicti ecclesiae collegiatae, ut docet Benedictus XIV, *l. c., n. 10*, et in genere omnes clerici addicti ecclesiae in qua celebratur Missa solemnis seu conventualis. Imo maxime decet ut omnes clerici, etiam his ecclesiis non addicti, qui hoc die Missam solemnem seu conventualem non celebrant, ad sacram communionem more laicorum recipiendam accedant. De ordine quo capitulares debent ad sacram communionem recipiendam accedere, vide S. R. C. in *Caesaraugustana, 8 Apr. 1690* (n. 3209), et in alia *Caesaraugustana, 21 Jan. 1696* (n. 3378), etc.; et in *Majoricen.*, *8 Aug. 1643, ad 2um* (n. 1469), eadem S. C. edixit episcopum celebrantem debere per se ipsum communionem distribuere.

1160. Antiquitus non solum clerici, sed omnes etiam fideles hoc solemnissimo die sacra communione reficiebantur. Id expresse tradit *Sacramentarium Gregorianum* et *Ordo Romanus S. Amandi*. Et ipsi fideles, sicut clerici ecclesiae addicti, praecepto adstringebantur ad sacram synaxim accedere, prout patet ex antiquo *can. 17, dist. 2, De conscer.*, in Decreto. Hodie, remanente obligatione pro clericis, juxta ea quae supra diximus, praeceptum pro reliquis fidelibus cessavit; sed profecto fideles jus habent ad sacram communionem hac die recipiendam et optime agerent hac die praeceptum communionis paschalis adimplentes, et S. C. de Prop. Fide in litteris ad Vicarium apostolicum Siamensem datis die *12 Sept. 1841* reprobavit consuetudinem non dandi hac die communionem paschalem (1). In *Amerina, 12 Aug. 1854* (n. 5203), S.R.C. declaravit: « Si magistratus feria V in coena Domini velit ad sacram synaxim accedere, admittatur post universum clerum, pro quo communio praescripta est; in processione autem SSmi Corporis Christi locum teneat post baldachinum, cujus hastas intra ecclesiam deferre debet ».

1161. Praeterea ex canone Lateranensis Concilii tenemur paschalem communionem recipere *a proprio sacerdote*; idest a proprio Ordinario vel parocho, etiam extra parochiam,

(1) Collectanea S.C. de Prop. Fide, n. 729.

qui in hac canonis parte veniunt nomine *proprii sacerdotis*. Cum vero id sit ferme impossibile, praesertim in magnis parochiis, verba Concilii Lateranensis ita intellecta fuere, ut nos debeamus tempore paschali sacram communionem recipere vel a proprio sacerdote, ut supra, vel saltem in propria parochia. Quoniam vero pro personis exemptis a jurisdictione superioris regularis (*n. 1073 sequ.*) proprius sacerdos est superior et propria parochia est ecclesia vel domus regularis, hinc istae personae, et non aliae, satisfaciunt praecepto, communionem recipientes a superiore vel in ecclesia seu domo regulari. Communionem receptam in ecclesia cathedrali iis qui ad parochiam cathedralis ecclesiae non pertinent, satis non esse ad implendum praeceptum, declaravit etiam Innocentius XI, *an. 1682*, apud Clericatum, *Decis. 48*. Sacerdos, ubivis celebrando, praeceptum implet ex consuetudine ; quod si tempore paschali, quacumque demum de causa, non celebrat, tenetur, sicuti ceteri fideles, in propria parochia communicare. Fideles qui extra propriam parochiam toto paschali tempore commorantur ad eamque sine magno incommodo accedere nequeunt, possunt communicare in qualibet ecclesia aut capella. Demum proprius sacerdos potest permittere ut suae oves paschalem communionem sumant in aliena ecclesia ; imo non solum expressa et tacita, sed etiam praesumpta licentia satis est. At episcopus posset concessionem hujus licentiae sibi reservare ; e. g., S. Carolus Borromaeus in undecima synodo dioecesana constituit, ut licentia a parochis concessa satis non esset, nisi scripto ab Ordinario probata fuisset (1). Haec omnia sacri canones constituerunt, ut pastor oves suas dignoscere valeret et in earum spiritualem vitam invigilare.

1162. Si verbis canonis Lateranensis insistamus, sequi videretur etiam confessionem peccatorum faciendam esse *proprio sacerdoti* saltem semel in anno : nam Innocen-

(1) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. LV, n. 6*, parochos serio monet ne hanc facultatem ita facile elargiantur ; sed hodie, frigescente fidelium pietate, non immerito Ordinarii et parochi haud difficiles in hac licentia concedenda se praebent.

tius III, *l. c.*, eodem contextu loquitur de confessione et communione. Ne vero in errorem incidamus, in primis notandum est confessionem tempore Paschatis praeceptam non esse, nisi forte indirecte, in quantum est necessaria ad sanctam communionem rite sumendam ; nam Innocentius III, *l. c.*, praecipit tantum confessionem annualem faciendam proprio sacerdoti. Diu multumque olim disputatum fuit, ait Benedictus XIV, *De syn., lib. XI, cap. XIV, n. 2*, quinam esset hic proprius sacerdos, cui confiteri saltem semel in anno quisque debet. Quidquid est de antiqua disciplina, hodie omnes possunt cuicumque sacerdoti ab episcopo approbato confiteri, satisfacientes praecepto annualis confessionis : de qua re vide Giraldi, *Expositio*, etc., *p. I, sect. 902*. Alexander VII damnavit sub *n. 13* hanc propositionem : *Satisfacit praecepto annuae confessionis qui confitetur regulari, episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.*

1163. Porro hanc legem non adimplemus, nisi per communionem rite factam, seu non sacrilegam ; et contraria plurium veterum theologorum sententia deserenda est. Sane Innocentius XI sub *n. 55* reprobavit hanc propositionem : *Praecepto communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Revera Innocentius III non praecepit qualemcumque communionem, sed sanctam seu non sacrilegam ; quod tum ipsa rei natura suadet, tum indicat manifeste illud *reverenter* canonis Lateranensis ; proinde qui sacrilege communicat, praeceptum minime implet. Ceterum non esse necessariam intentionem implendi praeceptum, et praeceptum impleri, non obstante intentione non implendi praeceptum, palam est.

1164. Ad praecavenda haec sacrilegia, multis in locis statutum est ut fideles tempore Paschatis prius in sacramento poenitentiae suam conscientiam emundarent et parochus ab illis qui ad sacram mensam accederent, exigeret fidem peractae confessionis ab approbato confessario subscriptam. S. Carolus Borromaeus, apud Benedictum XIV, *Inst. Ecc. XLV, n. 15*, statuit ab omnibus hanc fidem exhibendam esse ; Benedictus XIV, *l. c.*, ab illis tantum « qui

eam indolem moresque praeseferunt, ut suspicionem merito injiciant, dum asserunt se ad sacramentum poenitentiae accessisse ». Proinde confessarius hanc fidem omnibus poenitentibus eam postulantibus dare debet ; in eaque mentionem facere non absolutionis, sed tantum confessionis peractae, ut recte monet idem Benedictus XIV, *l. c., n. 10*. Haec ex particularibus laudabilibus legibus et consuetudinibus ; nam jure communi, uti diximus, praecipitur annua confessio, sed non confessio ante paschalem communionem. Proinde jure communi parochus sacram communionem recusare potest tantum illi, quem peccatum grave commisisse certo dignoscit et quidem juxta ea quae diximus *n. 1136*.

1165. Ex verbis Concilii Lateranensis et Conc. Trid., clare patet ad hanc paschalem communionem teneri : *omnes utriusque sexus fideles postquam ad annos discretionis pervenerint*. Proinde nemo excluditur, nec infirmus aut carcere detentus. Ii quidem, si ad ecclesiam accedere nequeunt, debent tempore paschali communionem petere ; et parochus aut capellanus debent eamdem ad illos deferre tempore paschali ; secus, ut quisque videt, non illi rei erunt violatae legis, sed parochus vel capellanus, aut qui parochum vel capellanum impediunt. Excommunicatus humiliter petat et obtineat absolutionem, ut possit praeceptum implere (1).

1166. Quaeritur quodnam sit tempus *discretionis*, quo hoc praeceptum urgere incipit : aliis verbis quodnam sit tempus faciendae primae confessionis et primae communionis. Benedictus XIV, *De syn., lib. VII, cap. XII, n. 2*, ita refert varias doctorum opiniones : « Plerique doctores non improbabiliter docent omnes pueros statim ac sunt doli capaces, sicuti adstringuntur sacramentalis confessionis praecepto, ita obligari ad communicandum in Paschate... Allegata enim decretalis Innocentii III utrumque praeceptum conjungit et absque ullo inter unum et alterum discrimine, utrumque onus imponit omnibus utriusque sexus

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 20*.

fidelibus, postquam ad annos discretionis pervenerint... At alii.... perfectiorem usum rationis expectandum censent ut pueri ad annuam communionem constringantur; non omnis quippe discretio quae sufficiens habetur ad se expiandum sacramentali confessione, satis est ad rite percipiendam Eucharistiam, cujus excellentia majorem exigit in suscipiente judicii maturitatem, ut debita religione ac reverentia ad eam accedat. Quo vero aetatis anno eam maturitatem advenisse sit praesumendum, non potest certa regula definiri, cum alii tardius alii citius perfectum rationis usum rerumque spiritualium intelligentiam assequantur; id autem intra decimum et decimum quartum aetatis annum communiter evenire, notat citatus Suarez ».

1167. Ut in hac quaestione mentem nostram pandamus, in primis ultro admittimus in canone Lateranensi et in canone Tridentino *annos discretionis* significare usum rationis. Sane, aliis omissis, Conc. Trid., *sess. XXI, cap. IV* et *can. IV* (*n. 1121*), promiscue et pro synonimis sumit parvulos *usu rationis carentes* et parvulos *antequam ad annos discretionis pervenerint*. Cum vero usus rationis septennio completo adveniat, sequitur parvulos praecepto confessionis et communionis obligari, ut plurimum, expleto septennio. At ex alia parte parvuli, usum rationis habentes, admitti nec debent nec possunt ad confessionem, nisi sciant quae ad hoc Sacramentum spectant; ad communionem, nisi habeant hujus Sacramenti *cognitionem* et *gustum* (*n. 1133*). Ergo canones Lateranensis et Tridentinus hoc sensu sunt intelligendi: ante usum rationis (idest, ut plurimum, ante septennium completum) nemo tenetur; post usum rationis (idest, ut plurimum, post septennium completum) omnes tenentur, *dummodo, quoad confessionem, sciant quae ad hoc Sacramentum referuntur; et, quoad communionem, hujus Sacramenti cognitionem et gustum habeant*. Hanc autem conditionem plerumque non statim verificari ab usu rationis seu a septennio completo, facile patet; et qua aetate verificetur, nequit regula generali determinari, cum id pendeat tum a vi intelligentiae et judicii maturitate parvulorum, tum a cura quae in ipsis erudiendis impenditur: sed con-

ditio pro communione paulo tardius verificatur, cum hoc Sacramentum excellentius sit et sensus magis effugiat. Ergo, etsi praeceptum per se urgeat a septennio completo, seu ab usu rationis, tamen ob deficientiam conditionis parvuli statim admitti plerumque nec possunt nec debent; qua aetate admitti possint et debeant, pendet a verificatione conditionis et ideo in genere paulo tardius ad communionem, quam ad confessionem, judicio parentum, confessarii, parochi (1). Parvuli et praesertim parentes ac parochus studeant ut conditio quantocius verificetur; et tunc primum Sacramentum confessionis ac postea Sacramentum Eucharistiae eisdem pueris ministrabitur. Ad rem S.C. de Prop. Fide, *12 Jan. 1869*: « Haec S. C. quammaxime optat ut missionarii et ceteri animarum curatores in India pueros ac puellas, cum usum rationis fuerint assequuti, vim et dignitatem SSmae Eucharistiae diligentissime edoceant eo ut convenienti tempore divini epuli participes fieri digne mereantur » (2). Ceterum nemo negat aliquod tempus pro majori parvulorum bono expectari posse ut conditio plenius verificetur, id est perfectior cognitio majorem excitet gustum, et ita sacra communio abundantiori fructu percipiatur; sed simul notandum in pueris saepe innocentiam compensare ignorantiam (3) seu melius minorem scientiam.

Parvuli autem qui ad Eucharistiam suscipiendam pri-

(1) *Catechismus Conc. Trid., De Euchar. Sacram., n. 63*: « Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constituere poterit quam pater et sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos enim pertinet explorare et a pueris percunctari an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habeant ». Plura autem concilia sive dioecesana sive provincialia hoc negotium reservant parocho, aut parocho et confessario, aut parentibus et parocho, aut parentibus, parocho ac confessario. Putamus igitur in communitatibus religiosis judicium spectare ad superiores aut superiorissas quae parentum locum tenent, et praesertim ad confessarium; pro reliquis parochiae parvulis spectare ad parentes et praesertim ad parochum (aut sacerdotem qui parochi locum tenet) et confessarium, si agitur de prima communione in forma privata; exclusive ad parochum (aut ad sacerdotem qui parochi locum tenet), si agitur de caeremonia solemni et publica primae communionis alicubi recepta; de qua mox.

(2) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n. 737*.

(3) Ballerini-Gury, *II, n. 320*, cum Paludano.

mum censentur capaces, speciali cura quadragesimali tempore instituendi sunt, ut possint in Paschate communi Ecclesiae praecepto satisfacere ; et si tempore paschali apti sunt, nequit prima eorumdem communio retardari, licet proprius sacerdos valeat pro ipsis paschale tempus protrahere.

1168. Aetas primae confessionis nullibi est determinata et pueri quantocius admittuntur et admitti debent jure divino-ecclesiastico post usum rationis, e. g., si apprehendunt quid sit mendacium, si erubescunt de quibusdam turpibus actionibus, etc., et post sufficientem instructionem. Nec aetas primae communionis in pluribus dioecesibus determinata est ; proinde parochus et confessarius pro sua prudentia parvulos admittunt octavo anno, vel nono, vel decimo, vel undecimo, etc., juxta praeparationem. Sed in pluribus dioecesibus aetas primae communionis determinatur. Ita in Galliis et in Belgio, ut plurimum assignatur aetas duodecimi anni et prima communio parvulorum in parochia magna cum solemnitate peragitur. Praecessit, tamquam remota praeparatio, biennalis, ad minus, catechistica instructio ; ut praeparationem proximam, pueri et puellae spiritualia peragunt per aliquot dies exercitia (*la retraite*) ; et praestituta die pueri nigris, puellae albis vestibus ad sacram communionem in parochiali ecclesia accedunt ita ut magna sit spiritualis festivitas totius parochiae et praesertim familiarum quae puerum aut puellam primo communicantem habent. Jamvero plures affirmare haud dubitaverunt hujusmodi determinationes aetatis primae communionis contrarias esse juri communi ; sed ab hac nota facile vindicari possunt, dummodo tamen rite intelligantur. Nempe episcopus, omnibus perpensis, judicat parvulos in dioecesi, ut plurimum, ad sacram communionem aptos esse in illa aetate, et ideo illam indicat aetatem, statuens parvulos ad primam communionem in forma publica et solemni in dioecesi recepta non esse admittendos, nisi aetatem praescriptam omnesque alias conditiones expleverint. Quid si parochus aut confessarius deprehendunt aliquem parvulum in ea aetate nondum aptum esse? Pro-

fecto nequeunt eumdem ad primam communionem admittere. Quid e contrario si deprehendunt ante illam aetatem aptum esse, quod (si annus duodecimus assignatur) de pueris et puellis quae in familiis, collegiis, scholis vere catholicis instructionem et educationem recipiunt, saepe profecto verificabitur? Debent admittere, non quidem ad primam communionem in forma publica et solemni, lege dioecesana id vetante, sed ad primam communionem in forma privata, urgente jure communi (1), illas cautelas praescribentes quae impedient quominus haec privata communio caeremoniae parochiali grave nocumentum afferat. Hinc si parvulus in periculo mortis sacram communionem serio petit et desiderat, fortasse a piis parentibus aut parocho dispositus, nulla determinationis ratio habenda est et praebendum viaticum, quia jam patet necessariam habere cognitionem et gustum hujus Sacramenti, et urget divinum jus (*n. 1147*) (2).

1169. Haec confirmantur ex responsione S. C. C. in *Annecien., 21 Julii 1888*. Nam episcopus litteris pastoralibus diei *27 Dec. 1884* haec, inter alia, tulerat decreta : 1° Nullus puer masculus aut foemina admittetur ad primam peragendam communionem nisi : *a*) expleverit duodecimum annum ; *b*) exacte secutus fuerit catechismum per duos ultimos annos..... ; 2° Ab exordio anni 1885 prima puerorum communio locum habere nequibit in qualibet parochia dioecesis hujus ante diem vigesimam mensis Maii. Cum vero haec decreta nonnullis inter parochos duriora visa essent, propositum fuit S. C. C. sequens dubium : « An decreta episcopi Annecyensis sint confirmanda vel infirmanda in casu ? ». S. C. reposuit : « Attentis locorum ac temporis circumstantiis, affirmative ad primam partem juxta modum ». Modus autem hic fuit : « Ne episcopus parochos prohibeat ab admit-

(1) Parochus, judicans ex foro externo, poterit aut etiam debebit consulere Ordinarium, qui consentire debet : sed confessarius, judicans ex foro interno, nec debet nec potest, ut censuit etiam S. Poenitentiaria die *8 Junii 1843*.

(2) Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXX, sect. I, in fine* : De Lugo, *disp. XIII, n. 87* ; Benedictus XIV, *De syn., lib. VIII, cap. XII, n. 1 sequ.*

tendis ad primam communionem iis pueris de quibus certo constat eos ad discretionis aetatem juxta conciliorum Lateranensis IV et Tridentini decreta pervenisse ». Sanctissimus vero in audientia dici *23 Julii* jussit declarare verba *Ad primam communionem*, esse intelligenda ad exclusionem primae communionis in forma solemni. Ex his igitur apparet parvulos qui ante indicatam aetatem apti inveniuntur, posse et debere admitti ad primam communionem in forma privata, non autem ad primam communionem in forma publica et solemni in dioecesi recepta ; pro qua decreto episcopali standum est. Hanc fuisse mentem S. C. respondentis et Pontificis responsionem approbantis patet per se et Praefectus ejusdem S. C. expresse etiam declaravit (1).

1170. Ceterum hanc formam publicam et solemnem primae communionis omnium parochiae parvulorum, in Galliis receptam, maxime laudamus et probamus ; sed nonnullas liceat subdere restrictiones. In primis, ut ex dictis apparet, parvuli qui capacitatem moralem ante praescriptam aetatem obtinuere (quod saepe evenire nemo inficias ibit), *debent* admitti ad primam communionem in forma privata ; et parochus, confessarius, superiores collegiorum, etc., eos tuta conscientia ab eadem removere nequeunt sub praetextu quod aetas lege episcopali praescripta nondum advenerit. Insuper reprobanda et abolenda omnino est consuetudo in pluribus parochiis adhuc vigens, qua pueri et puellae ante primam communionem admittuntur quidem ad Sacramentum confessionis, sed sacramentalis absolutio eis non datur nisi in vigilia primae communionis ; haec praxis, absurda in se, est contraria juri divino-ecclesiastico de annua confessione post discretionis annos. Praeterea pueri puellaeque quae sacram communionem primo receperunt, optime quidem sequenti anno rursus eadem solemnitate una cum aliis ad eamdem admittuntur, sed interim in anni decursu a coelesti pane retrahi non debent, sed potius ad illum saepe sumendum allici et hortatione impelli, et tempore paschali tenentur omnino. Ulterius curandum ut prima communio

(1) *Canoniste Contemporain, an. 1889, pag. 154.*

locum habeat tempore paschali aut circa paschale tempus. Tandem de praxi qua confirmatio non confertur nisi post primam communionem, sermo erit in *Tractatu canonico de confirmatione*.

1171. Prima communio ex legibus provincialibus et dioecesanis in Galliis fieri debet in propria parochia, et non in aliena, nisi de parochi licentia ; idemque, saltem ex consuetudine, ubique fere locorum receptum est. Illae particulares leges et haec consuetudo rationabiles omnino sunt, ideoque sustineri profecto debent. Imo si prima communione praeceptum communionis annuae saltem in Paschate impletur, conformes sunt canoni Lateranensi (*n. 1161*). S. C. de Prop. Fide, in litteris ad Archiepiscopum Smyrnensem datis die *6 Junii 1839*, hoc privativum parochorum jus recognoscit ; nam docet nec presbyteros Missionis debere parvulos ad primam communionem admittere sine parochi licentia, nec parochos debere in hac concedenda licentia difficiles esse pro ipsorum parvulorum spirituali utilitate (1).

1172. Concilium Lateranense et Conc. Trid. addunt quoque sanctionem. Tridentinum decernit excommunicationem latae sententiae in illos *qui negaverint* omnes et singulos Christi fideles hoc praecepto teneri ; quae censura, utpote directe a Conc. Trid. lata, permanet etiam post const. *Apostolicae Sedis*, quae eamdem non habet. Ratione hujus Tridentini canonis, qui habitualiter praeceptum paschale non adimplet, merito habetur suspectus de haeresi, ut docet Fagnanus in cit. *cap. Omnis utriusque*, *n. 44*. Lateranense in illos qui hoc praeceptum *non observaverint* statuit interdictum ab ingressu ecclesiae et privationem ecclesiasticae sepulturae. Prima poena attento jure communi, est ferendae sententiae, ut verbum *arceatur* indicat et doctores communiter affirmant ; sed altera est latae sententiae, ut verbum *careat* significat et tradit expresse. *Rituale Romanum*, *De exequiis* : « Iis de quibus publice constat quod semel in anno non susceperunt Sacramenta confes-

(1) Collectanea S. C. de Prop. Fide, *n.* 727.

sionis et communionis in Pascha et absque ullo signo contritionis obierunt ». In praxi ut sepulturae ecclesiasticae negatio infligi queat, necesse est ut utrumque, nempe et praeceptum culpabiliter non implevisse et poenitentiae signa non dedisse, ita publicum sit ut nulla possit tergiversatione negari : in dubio parochus consulat, si potest, Ordinarium et in benigniorem partem inclinet. Si infirmus, in periculo mortis constitutus, positive et publice Sacramenta recusavit, sepultura ecclesiastica deneganda est ; si aliqua praebuit poenitentiae signa, e. g., sacerdotem desideravisse testantur personae fide dignae, est danda ; si mortuus est sine ullis poenitentiae aut impoenitentiae signis, e. g., quia ex accidenti occubuit, et peccatum tum quoad factum tum quoad rationem peccati est certissimum majori parti urbis, pagi, oppidi, ita ut sepultura ecclesiastica scandalo foret, deneganda est. Vide responsionem S. C. EE. et RR. in *Neapolitana*, *16 Jun. 1854*, et *1855*, apud *Analecta Juris Pontificii*, *an. 1861*, *pag. 354 sequ.* (1). Praeter hujusmodi poenas juris communis, episcopus rigorose loquendo in contumaces posset etiam ad excommunicationem devenire, prout non semel S. C. C. declaravit apud Fagnanum, *l. c. n. 16* ; et tandem, si in censura per annum insorduerint, contra eos, tanquam de haeresi suspectos, procedere, ex Conc. Trid., *sess. XXIV*, *cap. III*, *de Ref.* (2).

1173. *Rituale Romanum*, *De communione paschali*, indicat etiam modum quo parochus observantiam hujus praecepti urgere debet. Nempe per quadragesimam populum admonet de praecepto communionis paschalis. Praeterea diligenter eos describit qui huic praecepto satisfaciunt, et eos qui jussa detrectant. Pervicaces saepius objurgat ut praeceptum adimpleant, quos tandem post octavam Paschae aut post tempus ab episcopo definitum, ad episcopum defert, eos quoque indicans qui confessarii jussu Eucharistiam in Paschate non susceperunt. Episcopus contumaces ab ingressu ecclesiae interdictos et sepultura ecclesiastica privatos declarat, eorumque nomina publice exhibet ut

(1) Gury, *II*, *n. 1012*, D'Annibale, *I*, § *114*.
(2) Benedictus XIV, *Inst. Ecc. LV*, *n. ult.*

hac ignominia puniantur. Haec autem omnia hodie non ubique observantur nec observari possunt, praesertim in populosis urbibus, ob magnum numerum eorum qui paschale praeceptum negligunt.

1174. Praeter obligationem communicandi in periculo mortis, et semel in anno tempore Paschatis, fideles non tenentur saepius communicare ita ut non communicantes de peccato per se redargui nequeant. Neque expedit ut ad frequentiorem communionem seu praecepto seu poenis cogantur, ut docuit S.C. de Prop. Fide, die *20 Febr. 1801*, pro imperio Sinensi (1). At decet omnino ut cum debitis dispositionibus frequenter ad hunc panem Angelorum accedant : hinc in canone Lateranensi et Tridentino verba *ad minus, saltem*. Sane si Christus D. sacram communionem ardentissime desiderat, patet nil homines gratius Christo D. facere posse quam frequenter huic amori respondere, seu cum debitis dispositionibus frequenter hoc divino pane refici : quo insuper ipsi roborantur ad praelianda praelia Domini in hujus vitae militia. Ad rem Conc. Trid., *sess. XIII, cap. VIII* : « Paterno affectu admonet... hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiae Dei nostri ut omnes et singuli qui christiano nomine censentur in hoc unitatis signo, in hoc concordiae symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent memoresque tantae majestatis et tam eximii amoris D. N. J.-C. qui dilectam animam suam in nostrae salutis pretium et carnem suam nobis dedit manducandam, haec sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint et is vere eis sit animae vita et perpetua sanitas mentis ; cujus vigore confortati ex hujus miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi ». Vide etiam ejusdem Concilii verba, *sess. XXII, cap. VI*, relata *n. 1081*.

(1) Collectanea S. C de Prop. Fide, *n. 720*.

§ 3. — *Ritus servandus in sacrae communionis susceptione.*

1175. In primis Conc. Trid., *sess. XXI*, per totam, docet, probat ac definit laicos et clericos non celebrantes Missam nullo divino praecepto obligari ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum, et communionem sub altera tantum specie sufficere ad salutem, cum sub altera tantum specie totus atque integer Christus verumque Sacramentum sumatur. Proinde quod sacra communio fidelibus distribuatur sub utraque, an sub alterutra tantum specie, est materia disciplinaris quae auctoritati Ecclesiae subest. Jamvero notum est, et Conc. Trid., *l. c.*, *cap. II*, commemorat, ab initio Christianae Religionis etiam fideles et clericos non celebrantes in Missa communicavisse sub utraque specie (*n. 740*); sed nihilominus usus unius tantum speciei panis incognitus non fuit, ut docet etiam Benedictus XIV, *De sacros. Missae sacrif., lib. II, cap. XXII, n. 22*, non solum in privata communione parvulorum, infirmorum, fidelium in propriis domibus, sed etiam in communione publica inter Missarum solemnia. Deinceps Ecclesia gravibus ac justis de causis, prouti Conc. Trid., *l. c.*, docet et definit, constituit ut in Occidente sub unica tantum specie panis laici ac clerici non celebrantes communionem reciperent; has causas enumerat *Catechismus Concilii Tridentini, p. II, cap. IV*, § *66*. Haec disciplina tempore S. Thomae erat adhuc particularis, ut patet ex *3 p., q. 8, a. 12, ad 2um*, et tandem evasit generalis. Neque dicatur hoc modo fideles uberiori illa fraudari gratia quam bibendo sanguinem consequerentur; nam, hoc etiam admisso (*n. 1191*), nemo ignorat leges de Eucharistiae ministrandae ritu non modo ad augmentum gratiae in suscipiente, sed etiam ad ejusdem Sacramenti dignitatem et venerationem respicere debere, secus reprobandae proprie forent Ecclesiae leges vetantes sacrae communionis aut Missae iterationem eadem die. In Ecclesia Occidentali hodie soli ministri in Missa solemni Romani Pontificis sub utraque specie communicant

(*n. 738*). Igitur extra hunc casum hodie numquam licet in Occidentali Ecclesia sacram communionem sub specie vini praebere, etiam necessitate urgente, e. g., si moribundus viaticum sub specie panis recipere non posset (1).

1176. At Romanum Pontificem posse ab hac disciplinari prohibitione dispensare, seu fidelibus usum calicis in Occidente permittere, non est dubium. Conc. Trid., *l. c.*, duos alios articulos propositos non excussit, videlicet an rationes quibus Ecclesia adducta fuit ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum panis specie, ita sint retinendae, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus, et an, si honestis christianae charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quaenam sint illae; deinde vero *sess. XXII*, in fine, decrevit integrum hoc negotium ad Romanum Pontificem esse deferendum. Jamvero Sedes Apostolica raro admodum ac difficile hanc dispensationem concedit; quoties autem eam elargitur, exigere solet ut ille qui indulto utitur, prius declaret ac profiteatur sese credere totum et integrum Jesum tam sub una quam sub altera specie contineri. Nonnulla istiusmodi indulta vide apud Benedictum XIV, *l. c., n. 31.*

1177. In Ecclesia autem Orientali non eadem viget disciplina. In primis notandum est solitum fuisse feria V in coena Domini grandiorem panem consecrari cujus quartam manducabat partem sacerdos, tres autem reliquae partes in particulas quas *meridas* seu *margaritas* vocabant, dividebantur, eaeque in sanguinem intinctae, statimque igni admotae exsiccabantur, ut per integrum annum conservarentur incorruptae, et, cum opus esset, moribundis exhiberentur communi vino emollitae; atque ita moribundi aliquo modo communicabant sub utraque specie. Hunc usum reprobat Benedictus XIV in const. *Etsi Pastoralis*, *26 Maii 1752*, § *VI*, *n. 3*, *5*. Praeterea per quadragesimam, exceptis sabbatis et dominicis, Eucharistia sub specie tantum

(1) S. Alphonsus, *VI*, *n. 203*; D'Annibale, *III*, § *407*, *not. 9*; Lehmkuhl, *II*, *n. 139*.

panis praebetur ; sed aliis temporibus praeter quadragesimam et in sabbatis et dominicis quadragesimae et in festo Annuntiationis B. M. V., Sacramentum sub utraque specie ministratur tum viris tum foeminis ; nempe unicuique sacra porrigitur particula sanguine intincta in cochleari posita, cujus exile et longum manubrium est (1). Benedictus XIV in cit. const. *Etsi pastoralis*, *n. 16*, hanc disciplinam approbat pro illis tantum locis in quibus viget ; ubi vero haec disciplina recepta non est, vult ut episcopi quorum jurisdictioni Graeci subjiciuntur, curent ne in posterum admittatur. In *Ritus Graeci*, *31 Aug. 1839* (n. 4875), ad plura evitanda incommoda quae hic ritus communionem sub utraque specie in Ecclesia Graeca praebendi praesefert, alius ritus approbationi S. Sedis propositus est ; sed S. R. C. reposuit : « Nihil innovetur ».

1178. Praeterea unusquisque sacram communionem recipere debet in azymo aut in fermentato juxta proprium ritum. Benedictus XIV, in const. *Etsi pastoralis*, *26 Maii 1762*, § *VI*, *n. 12*, *13*, statuit : « Ne laici autem latini communionem a graecis presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino et interdicimus. Graecis tamen laicis permittimus, ut ubi parochiam graecam non habent, possint si velint, in ecclesia latina Eucharistiam sub specie azymi a latinis sacerdotibus sumere » (2). Leo XIII per decretum S. C. de Prop. Fide, *18 Aug. 1893*, peroptans Sacramentorum perceptionem fidelibus diversorum rituum in casu necessitatis faciliorem reddere, statuit : « Omnibus fidelibus cujuscumque ritus sive latini sive orientalis, degentibus in locis in quibus non sit ecclesia aut sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur sacram communionem non modo in articulo mortis et pro paschali praecepto adimplendo, sed etiam quovis tempore devotionis gratia, juxta ritum ecclesiae existentis in praedictis locis, dummodo catholica sit, recipiendi ». Tandem

(1) Benedictus XIV, *l. c.*, *n. 25* : Card. Bona, *Rer. Liturg.*, *lib. II*, *cap. XVIII*, *n. 3*.

(2) Vide litteras S. C. de Prop. Fide ad Delegatum Apostolicum Aegypti datas die *30 Apr. 1862*, apud Collectaneam ejusdem S. C., *n. 735*.

idem Pontifex in const. *Orientalium, 30 Nov. 1894*, § II, eamdem concessionem extendit etiam ad casum quo ecclesia cum sacerdote proprii ritus adest, sed propter longinquitatem « non eam possint (fideles), nisi cum gravi incommodo adire : de quo Ordinarii esto judicium ». Imo *Commissio pontificia pro Ecclesiarum reunione*, die *14 Febr. 1896*, probante Leone XIII, declaravit : « I cattolici Orientali, quali che siano le specie che usano per la communione sacramentale, trovandosi privi di parroco del proprio rito in un luogo dell' Oriente ove sono sacerdoti di altri riti che consacrano in azimo od in fermentato, possono abitualmente, ossia *devotionis gratia*, communicarsi un giorno in azimo ed un giorno in fermentato come più lor piace » (1). Dispensationem in casu particulari ut Graecus Romae in azymo communicet, vide in *Urbis, 25 Aug. 1818* (n. 4546).

1179. Quoad locum recipiendae communionis in ecclesia, regula generalis constitui potest : qui possunt intra sanctuarium consistere (*n. 938*), possunt quoque ibidem ad altaris gradus sacram recipere communionem ; alii extra sanctuarium seu ad sanctuarii cancellos, viris quantum fieri potest a mulieribus separatis, prouti ipsum *Rituale Romanum* tradit. In *Tarnovien., 26 Maii 1859* (n. 5285), ad dubium : « 2° Utrum occasione indulgentiarum vel simili qua fideles magna cum frequentia ad sacram synaxim accedere solent, ne sese penes altaris cancellos turmatim obtrudant, possit iisdem sive per ecclesiam sive extra illam in genua provolutis eucharisticus panis distribui, an potius debeat tantummodo distribui penes cancellos linteo mundo contectos, sive ad gradus altaris » ; S. R. C. reposuit : « Ad 2um : Praestare in casu ut plura genuflexoria sive scamna linteo mundo contecta hinc inde a cancellis circulatim seu in quadrum intra ecclesiam ordinentur et in extremitatibus interjecti spatii duo saltem candelabra dispo-

(1) *Latine* : Catholici Orientales, sive in azymo sive in fermentato communicantes, non habentes parochum proprii ritus in loco Orientis ubi sunt sacerdotes aliorum rituum consecrantes in azymo vel in fermento, possunt habitualiter, idest devotionis gratia, communicare pro libito una die in azymo, et alia in fermentato.

nantur, quae perpetuo colluceant, dum fidelibus circumadgeniculatis sacra communio distribuitur ». Eamdem regulam etiam in antiqua Ecclesiae disciplina, ut plurimum, servatam fuisse, vide apud Card. Bona, *Rer. Lit., lib. II, cap. XVII, n. 8*; qui addit alicubi et laicos ad sancta sanctorum admissos fuisse pro communione; et in sanctuario celebrantem communicavisse in medio altaris; alios presbyteros ante altare in circuitu; diaconos retro altare, reliquos clericos in limine sanctuarii. Clericus autem, in poenam alicujus delicti depositus et ad *communionem laicam* redactus, sacram communionem inter laicos ad altaris cancellos recipiebat, veluti e statu clericali decisus et inter laicos relegatus; quandoque ob delictum levius privabatur communione sui ordinis, et inter clericos inferioris ordinis ad communionem accedebat (1).

1180. In Ecclesia Orientali vetus disciplina erat ut *staus* quisque et Missae assisteret (*n. 912*) et sacra dona perciperet; quod et hodie servatur. Probabiliter et in Ecclesia Latina antiquitus eadem erat disciplina (2); sed deinde receptum fuit, ut in ecclesia vel oratorio omnes flexis genibus communicarent, quod et *Rituale* adnotat, ita ut non communicent stantes, nisi sacerdos celebrans et diaconus in Missa solemni Romani Pontificis; ipse autem Romanus Pontifex, solemniter celebrans, communicat sedens. A lege autem quae praecipit sacram communionem in ecclesia vel oratorio recipere, flexis genibus, quamlibet rationabilem causam, remoto scandalo, excusare, non est dubium, nempe si quis ob aliquam infirmitatem genua flectere nequit.

1181. Card. Bona, *l. c.*, docet ordinem communionis in antiqua utriusque Ecclesiae disciplina hunc fuisse: « ut primo quidem celebrans seipsum communicaret, deinde episcopos, si qui aderant et presbyteros simul cum eo synaxim agentes; tum diaconos, subdiaconos et clericos; monachos, diaconissas et sacras virgines; novissime populum, adjuvantibus presbyteris, primum viros, postea mulieres. Idem in

(1) Card. Bona, *l. c.*, *cap. XIV, n. 3*, Devoti, *vol. I, tit VIII, § 20.*
(2) Catalanus, Comm. in *Caeremoniale episcoporum*, *lib. II, cap. XXIX, § 3.*

calicis distributione servabatur, nisi quod presbyteri per se illum sumebant. diaconi a presbyteris, reliqui a diaconis...». *Rituale Romanum* praecipit ut sacra communio primo praebeatur sacerdotibus aliisque de clero, si qui sunt; de reliquis nihil statuens. At *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. XXIX*, § *VI*, haec habet: « Ordo autem cuntium ad communionem erit idem qui servatur in distributione candelarum et palmarum ac incensi, ut suo loco dicitur ». Ante omnes communio administranda est inservienti in Missa lecta, ratione non dignitatis sed ministerii, uti censuit S. R. C. in *Gallurum, 13 Jul. 1658* (n. 1907); et in Missa solemni ante omnes praebenda est ministris ob rationem allatam; deinde clericis paratis ante omnes non paratos, cum ratione paramentorum praecedentiam habeant, uti censuit etiam S. R. C. in *Caesaraugustana, 8 Apr. 1690* (n. 3209).

1182. Ex certissimis historiae documentis constat antiquitus Eucharistiam non fuisse in os communicantium depositam, uti hodie fit; sed potius hunc modum in praebenda communione servatum fuisse. Communicans manus in forma crucis, sinistram sub dextera, extendebat; sacerdos Sacramentum in manu dextera deponebat; et communicans illud reverenter ori admovebat. Inter viros autem et mulieres haec erat in Ecclesia Occidentali differentia, quod viri nuda manu, mulieres subjecto linteolo quod dominicale dicebatur Sacramentum reciperent; in Ecclesia autem Orientali nulla erat differentia, omnibus in nuda manu Eucharistiam recipientibus (1). Eucharistiam autem sumpturis tabellae quaedam spongia perpolitae a ministris apponebantur; quibus successerunt linteamina munda sub mento communicantium ponenda juxta *Caeremoniale episcoporum, l. c.*, § *3*, *Rituale Romanum, l. c.*, et *Rubricas Missalis, Ritus*, etc., V. *n. 6*. Nimirum hodie quoties clerus in Missa solemni communicat ad altare genuflexus, duo acolythi jubentur ante communicantes extendere tobaleam sive mappam mundam et candem hinc inde a lateribus quasi jacentem sustinere ambabus manibus per quatuor angulos, donec peracta sit communio. Pro laicis vero qui non ad altare,

(1) Card. Bona, *l. c., n. 3*; Duchesne, *Origines, chap. VII*, § *16*.

sed ad cancellos communicant, super cancellos linteum extendendum est, quod quisque respective propriis manibus mento admovet, dum consecratam particulam a sacerdote suscipit. Quod si cancelli desint, aut linteum super cancellos, aut si unus vel alter ad altare communicare debeat, tunc minister, post *Confiteor*, communicandis praebebit linteolum quoddam, quod communicantes sibi invicem mutuare poterunt, vel minister a singulis accipit et singulis praebet. Loco hujus linteoli, non licet adhibere velum calicis aut manutergium, uti docet S. C. Visit. Apost. sub Urbano VIII, *apud Merati, p. II, tit. X, n. 29*; et apud Cavalieri, *tom. IV, pag. 47*, nec bursam calicis, purificatorium, etc., quae ad alium usum in Missa destinata sunt (*n. 675*). Multo minus tolerari potest nonnullorum abusus, qui dum communicant, accipiunt extremitatem superpellicei, casulae, manipuli, stolae sacerdotis ministrantis et suo mento supponunt; praesertim si foeminae communicent, pro quibus specialis militat deformitatis ratio (1). At tabella lignea vel papyracea, si linteolo mundo desuper tecta est, nil habet unde carpatur. Imo toleratur etiam usus tabellae ex metallo, prout censuit S. R. C. in *Romana, 16 Mart. 1876* (n. 5658), ubi proposito dubio : « 4° An in ministranda fidelibus sacra communione liceat, loco tobalearum linearum, uti tabellis ex metallo, vel ejusmodi usus tolerari possit in iis dioecesibus, in quibus fuit introductus » ; S. C. censuit : « Ad 4um : Non esse interloquendum ; nihilominus significetur per epistolam Rmo D. Episcopo Alexandriae non esse improbandum usum tobalearum linearum ». Tandem patena mento communicantium per sacerdotem superpelliceo indutum supponi potest in communione generali, quae aut per dignitatem peragitur, uti censuit S. R. C. in *Andrien., 3 Sept. 1661* (n. 2127), aut multo magis per episcopum (2); in Missa autem solemni diaconus est qui patenam supponit.

1183. Si sacra communio ministratur a presbytero, com-

(1) Cavalieri, *l. c.*; De Albertis, *De sacris utensilibus, cap. XVI*, § *I, n. 4 sequ.*

(2) De Albertis, *op. cit., cap. VII, n. 108 sequ.*

municans non debet illius manum deosculari. Hinc in *Matherana, 22 Nov. 1659* (n. 2008), ad dubium : « An archipresbytero ejusdem loci liceat in administrando populis SSmo Sacramento manum porrigere osculandam » ; S. R. C. reposuit : « Non licere et contrariam consuetudinem esse abusum omnino tollendum ». Idem dicas de praelatis inferioribus, de protonotariis aliisque usum insignium pontificalium habentibus (*n. 677 sequ.*). Quod si sacra communio porrigatur ab episcopo, *Caeremoniale episcoporum*, *l. c.*, § 5ª, statuit : « Si aliquis praelatus, non tamen episcopus consecratus, vellet communicare, debet ante communionem osculari manum episcopi celebrantis, et, sumpta communione, faciem : et idem omnes canonici parati observabunt. Reliqui omnes tam de clero quam de populo et etiam magistratus osculantur manum episcopi tantum ante communionem ». Extra Missam solemnem communicans solam manum osculatur. Feria V in coena Domini nec diaconus, nec subdiaconus assistentes neque canonici parati faciem episcopi celebrantis osculantur, ut idem *Caeremoniale* tradit, *lib. II, cap. XXIII, § 6*. Cardinalis communicans in Missa solemni non osculatur manum, sed solum faciem celebrantis, si hic est praelatus ; item Rex aut Imperator, juxta ea quae tradit Bauldryus apud Catalanum, *Comm. Caeremonialis episcoporum, lib. II, cap. XXIX, § 5 et 6*. Antiquitus communicantem ministro praebenti Eucharistiam respondisse : *Amen*, diximus *n. 1101*.

1184. Ritus recipiendi sacrum viaticum, si agitur de episcopo infirmo, describitur a *Caeremoniali episcoporum, lib. II, cap. XXXVIII* ; si agitur de aliis infirmis, a *Rituali Romano, De communione infirmorum*. Iis autem ritibus ex peculiari dispositione alios rationabiles addi posse, colligitur ex responsione S. R. C. in *Angelopolitana, 11 Sept. 1847, ad 10um* (5102). Hic tantum sufficiat animadvertere purificationem oris per communis vini potum, quam *Caeremoniale* et *Rituale* praescribunt tum in communione ordinaria, tum in communione per modum viatici, adhuc servari in communione per modum viatici ; sed ne infirmus ex vino aliquod patiatur damnum, fieri solere per potum solius

aquae, loco vini; nam sacerdos, ad praescriptum *Ritualis*, ministrato viatico, abluat digitos, et infirmo detur ablutio. At obsolevit in communione ordinaria, etiam Romae, vidente et tacente auctoritate ecclesiastica, praeterquam alicubi in Missa ordinationis.

1185. Tandem de gratiarum actione, post receptam sacram communionem, applicare debes quae diximus *n. 928, 929*; sed preces recitandae nullae sunt determinatae. *Rituale Romanum, De SSmo Eucharistiae Sacramento*, docet: « Moneantur praeterea communicantes ut, sumpto Sacramento, non statim ab ecclesia discedant aut colloquantur, ne statim vagis oculis circumspiciant, aut expuant, neque de libro statim orationes recitent, ne Sacramenti species de ore decidant; sed, qua par est devotione, aliquantisper in oratione permanent, gratias agentes Deo de tam singulari beneficio atque etiam de sanctissima passione dominica in cujus memoriam hoc mysterium celebratur et sumitur ». *Ne expuant, neque de libro statim orationes recitent*, scilicet antequam Sacramentum deglutierint; nam, sacris speciebus deglutitis, per expuitionem nullum est irreverentiae periculum, cum via per quam sputa in os confluunt, non sit oesophagus, seu via cibi et potus, sed via respirationis. At congruum est ut communicantes per aliquod temporis intervallum ab expuendo abstineant (1). Pariter ex decentia debet esse aliqua mora inter communionem et alios cibos; sed haec mora Ecclesiae legibus determinata non est, ita ut Sacerdos non prohibeatur aliquid sumere statim post Missam (2).

Articulus III.

De effectu sacrae communionis.

1186. Per sacram communionem Christus D. sub speciebus sacramentalibus nobis corporaliter unitur; modo videamus quinam ex hac unione producantur effectus.

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 283*; Gury, *II, n. 333*.
(2) S. Thomas, in *3 p., q. 80, a. 8, ad 6um*.

1187. Effectus sacrae communionis enumerat Conc. Trid., *sess. XIII, cap. II* : « Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius qui dixit : *Qui manducat me et ipse vivet propter me*, et tamquam antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis cujus ipse caput existit cuique nos tamquam membra arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata ». Hinc in *can.* I : « Si quis dixerit vel praecipuum fructum SSmae Eucharistiae esse peccatorum remissionem, vel ex ea non alios effectus provenire, A. S. » (1). Et Eugenius IV in instructione ad Armenos : « Hujus Sacramenti effectus quem in anima operatur digne sumentis est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur ; omnemque effectum quem materialis cibus et potus quoad vitam agunt corporalem sustentando, augendo, reparando et delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono et ad virtutem et gratiarum proficimus incrementum ».

1188. In primis igitur SSma Eucharistia, cum sit Sacramentum, non ponentibus obicem producit gratiam ex opere operato. At gratiam primam, saltem per se, non confert, seu non est Sacramentum mortuorum ; nam est instituta ut alimentum spirituale et ideo sicuti alimentum non est pro illis qui mortui sunt, ad vitam ipsis restituendam, ita Eucharistia non est pro illis qui, privati gratia, sunt spiritualiter mortui, ad eorumdem spiritualem resurrectionem.

(1) Hoc canone Concilium damnavit haereticos qui dixerunt Eucharistiam fuisse institutam vel unice vel praecipue ad remissionem peccatorum. De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. XII, n. 20.*

Id insuper clare patet ex *Joan.*, *VI*, *50 sequ.*, ex *1ª Cor.*, *XI*, *27 sequ.*, et ex relatis auctoritatibus. Diximus *saltem per se*; nam quaestio est inter doctores utrum Eucharistia gratiam primam per accidens producat, necne, illis qui in statu peccati mortalis reperiuntur et solum attriti sacram communionem recipiunt; et licet plerique affirment, alii tamen, inter quos De Lugo, *disp. XII*, *sect. I*, per totam, et Vasquez, *disp. CCV*, *cap. I sequ.*, negant. Proinde confert gratiam secundam seu augmentum gratiae sanctificantis et ideo est Sacramentum vivorum; cum hac tamen differentia inter Eucharistiam aliaque vivorum Sacramenta, quod alia Sacramenta augent gratiam ad finem particularem a charitate distinctum, nempe confirmatio et extrema unctio ut corroboremur ad agonem christianum, ordinatio et matrimonium ut officia status clericalis et matrimonialis rite adimpleamus, dum Eucharistia auget gratiam ad unionem charitatis cum Christo et cum corpore ejus propter se ipsam (1). Si autem quaeratur num Sacramentum Eucharistiae, cum sit omnium excellentissimum, gratiam augeat magis quam reliqua Sacramenta, respondemus id pie credi posse, sed incertum esse et soli Deo notum (2).

1189. Cum vero SSma Eucharistia augeat charitatem cum Christo et cum mystico ejusdem corpore, eo ipso indirecte et consequenter alios pretiosissimos producit effectus a Conc. Trid. et ab Eugenio IV verbis relatis indicatos. Nempe remittit peccata venialia; cum enim perficiat charitatem cum Deo, peccata venialia quae hujus unionis perfectioni obstant, delet ex opere operato, supposita dispositione quae sit sufficiens ad tollendum obicem, non tamen sufficiens ex sese ad ipsam remissionem venialium. Exinde autem apparet Eucharistiam non remittere poenas temporales debitas peccatis jam condonatis, cum eae poenae perfec-

(1) Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. LXIII, sect. I*; Franzelin, *De Sacram. Euchar., thesi XVII.*

(2) De Lugo, *disp. I, n. 11.* Christus D. in ultima coena, panem et vinum consecratum sumens (*n. 827*), gratiam non recepit, cujus plenitudinem a primo suae conceptionis instanti obtinuerat, sed spiritualem delectationem ac alacritatem obtinuit. S. Thomae, *3 p., q. 81, a. 1, ad 3um.*

tioni charitatis nullo modo obsint. Praeterea a peccatis mortalibus nos praeservat ; idque tum negative, concupiscentiam cohibendo et minuendo ac diabolum ejusque tentationes compescendo et propulsando, tum positive, auxilia supernaturalia conferendo et bonas inclinationes excitando in appetitu sensitivo. Hinc est pignus et arrha futurae gloriae, quia per conservationem et augmentum charitatis cum Deo et cum proximo inchoat in hac vita eam unionem quae perficietur in coelis quaeque ob affinitatem quamdam in sacra communione contractam cum corpore Christi, speciali titulo confertur et fortasse singulari splendore (1). Tandem animam delectat et spirituali dulcedine demulcet, juxta illud : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*, ita ut jam non solum prompto, sed etiam hilari animo Dei voluntatem, etiam dura praecipientem, exequamur (2).

In quonam vero consistat obex, impediens aut minuens gratiae aliorumque effectuum productionem, collige ex dictis *n. 1116 sequ.*

1190. Gratiam cum aliis effectibus producit Sacramentum Eucharistiae nobis non ponentibus obicem per sacram communionem applicatum ; sed cum Sacramentum constet speciebus sacramentalibus quae continent Christum D., et Christo D. qui sub illis continetur (*n. 47*), quaeri potest utrum gratia formaliter producatur a Christo D., an potius a speciebus sacramentalibus ex virtute supernaturali ipsis indita, sicuti in aliis Sacramentis. Praeferimus (cit. *n. 47*) sententiam Bellarmini, *De Euchar., cap. VI*, qui censet ipsum Christum D., momento suae visitationis, propriis veluti manibus, gratiam nobis elargiri, quin necesse sit efficaciam instrumentalem in ipsis speciebus admittere (3). Hanc alteram opinionem tuentur De Lugo, *De Sacram. Euchar., disp. I, n. 22 sequ.* ; Suarez, *in 3 p. D. Thomae, disp. XLII, sect. III.*

1191. Disputari etiam solet num communio sub utraque

(1) Franzelin, *l. c., thesi XIX* : Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXIV, sect. II* ; De Lugo, *disp. XII, n. 102 sequ.*

(2) S. Thomas, *3 p., q. 79, a. 1.*

(3) Franzelin, *De sacram. Euchar., thesi XVIII.*

specie uberiorem conferat gratiam quam communio sub unica tantum. Certum est ex Conc. Trid., *sess. XXI, cap. III, nulla gratia necessaria* ad salutem eos defraudari qui unam speciem solam accipiunt (*n. 1175*). Hoc autem posito, plerique putant eamdem gratiam in utroque casu conferri, quia in utroque casu idem numero recipitur Christus D. qui est causa gratiae (1). Alii censent uberiorem conferri gratiam communicanti sub utraque specie, quia Christus D. sub specie panis nutrit spiritualiter, sicut cibus nutrit corporaliter, et idem Christus D. sub specie vini nutrit spiritualiter, sicut potus nutrit corporaliter, juxta illud *Joan., VI, 56*: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* ; atque ita qui communicat sub utraque specie, ad instar illius qui cibum et potum corporalem sumit, magis nutritur spiritualiter, quam qui communicat sub unica tantum (2). Hoc autem non obstante, Ecclesiæ jure meritoque usum calicis fidelibus in Ecclesia Occidentali prohibuisse, patet ex dictis cit. *n. 1175*.

1192. Si autem quaeratur quandonam sacra communio gratiam producat (3), respondemus ex sacris litteris satis apparere gratiam conferri quando Christus D. sub speciebus sacramentalibus *manducatur*. Quaestio igitur huc redit, nempe quandonam aliquid *manducari* dicatur. Jamvero si proprie loqui velimus, aliquid non dicitur *manducari*, quando ingreditur os et manditur in ore ; qui enim cibum ore mansum expueret, non diceretur *manducavisse*, sicuti non diceretur *bibisse* qui potum ore degustatum statim ex integro ejiceret, ut patet etiam ex *Matthaei, XXVII, 34*. Potius *manducare* proprie est cibum ex ore in stomachum trajicere, ita ut manducatio initium habeat a ciborum dentibus confectione, sed essentialiter consistat in trajectione. Igitur dicendum SSmam Eucharistiam suos effectus non

(1) Billuart, *Disp. VI, art. II, § 2*, cum *communi*, sed melius dixisset cum *communiori*.

(2) Vasquez, *Disp. CCXV, cap. II* ; De Lugo, *Disp. XII, sect. III*, cum pluribus aliis. S. Alphonsus, *VI, n. 228*, cum Salmanticensibus utramque opinionem habet probabilem.

(3) De Lugo, *Disp. XII, n. 26 sequ.* ; Suarez, in *3 p. D. Thomae, disp. LXIII, sect. IV*.

producere, dum in ore est communicantis, sed dum ex ore trajicitur in stomachum ; utrum autem necesse sit partem aliquam specierum in stomachum esse receptam, an in ipso transitu ex ore ad stomachum effectus producantur, adhuc magis incertum est. Hinc, e. g., si infirmus, particula in lingua deposita, statim moritur, aut ex violenti tussi statim eam ejicit, aut species consecratas in ore consumit, ita ut in ore species corrumpantur, antequam deglutiantur, non habet effectus. E contrario si particulam stomachum ingressam, etiam ex parte tantum, ex vomitu ejicit, certe effectus obtinuit ; et probabiliter etiam si eamdem ejicit dum in via est (1).

1193. Quamdiu vero species sacramentales in nostro stomacho corruptae non sunt, dicendum est non conferri continuo abundantiores effectus, e. g., novos gratiae gradus, si dispositio tantum habitualis, idest status gratiae perseveret. At est pia sententia et, spectata hujus mysterii propria ratione, admodum probabilis, quod toto eo tempore vi Sacramenti et ex opere operato nova continuo augmenta gratiae conferantur, si novi actus dispositionis actualis, vel solum durationc et numero vel etiam perfectione aucti, accedant. Sane hoc Sacramentum institutum est per modum cibi ; proinde sicuti cibus toto tempore quo in stomacho manet, nutrit corpus, ita Eucharistia dum est in stomacho nutrit animam, augendo gratiam (2).

1194. Quaeritur quantum temporis Christus D. sub speciebus sacramentalibus in recipientis stomacho permaneat. Quaestio huc redit, nempe infra quale tempus species sacramentales in stomacho corrumpantur (*n. 15*). Jamvero rationem habendam esse majoris vel minoris caliditatis stomachi aliarumque circumstantiarum, evidens est. De Lugo, *De sacram. Euchar., disp. X, n. 54*, refert se consuluisse peritissimos in urbe Romae medicos, qui, re diu et accurate perpensa, reposuerunt regulariter et de mediocri stomacho loquendo, in fidelibus qui parvam hostiam su-

(1) S. Alphonsus, *VI, n. 226, 227* ; D'Annibale, *III*, § *399*.

(2) De Lugo, *Disp. XII, n. 46 sequ.* ; Suarez, *l. c., sect. VI* ; S. Alphonsus, *Hom. Apost., tract. XV, n. 6*, et *Theol. Mor., VI, n. 228*.

munt, species corrumpi post minutum, in sacerdote celebrante qui majorem hostiam accipit cum vini speciebus, post medium quadrantem. Subdit doctus auctor : « Quam doctrinam si quis ad quadrantem velit extendere, videtur jam extra omne prorsus dubium aut periculum se constituere ». Hanc doctrinam omnes fere auctores repetierunt (1) ; sed reipsa argumenta quibus unus ex medicis a Lugone consultis suam responsionem probabat, solida non erant. Nostris temporibus progressus scientiarum naturalium rem melius determinare permisit. In ephemeride *L'Université catholique*, *Dec. 1893*, refertur conclusio duorum medicorum qui ad accuratum examen hanc quaestionem revocaverant. Doctor L. Georges ita mentem suam reassumit : « 1° Dans un estomac sain il faudrait une demi-heure pour la digestion de la petite hostie, une heure pour celle de la grande. 2° Dans les estomacs ulcéreux qui sont en infime minorité, la digestion serait plus rapide et se ferait en dix et vingt minutes. 3° Enfin dans les estomacs atteints de cancer, de gastrite chronique ou aiguë, de dilatation, dans ceux de personnes atteintes d'une maladie fébrile quelconque, c'est-à-dire chez la moitié au moins de nos Français d'aujourd'hui, la digestion serait beaucoup plus longue ; des fragments d'hostie pourraient encore s'y retrouver après deux ou trois heures et passeraient souvent dans l'intestin grêle ». Concinit Doctor Core : « Il nous semble prudent de considérer comme plus long que celui qui est admis aujourd'hui le temps de séjour de la petite hostie ou de ses fragments (non attaqués par le suc digestif) dans l'estomac : peut-être pourrait-on l'estimer *au minimum* à une demi-heure, tout en admettant que, dans certaines circonstances individuelles et pathologiques, ce temps pourrait être d'une demi-heure et même au delà. Il serait prudent d'admettre au moins une heure pour la transformation des espèces dans la communion du prêtre ».

1195. Ex his sequitur sacerdotem qui Missam celebravit aut fidelem qui sacram communionem recepit, non posse

(1) S. Alphonsus, *VI*, *n. 225* ; Scavini, *III*, *n. 118*.

infra duas tresve horas a sumpto Sacramento se ad vomitum provocare aut stomachum lavare ; nam hoc indicat stomachum aliqua laborare infirmitate et ideo valde probabile est species sacramentales in stomacho nondum corruptas esse (*n. 431*). Quid vero si species non corruptae vomitu ejectae fuere ? Respondent Rubricae Missalis, *De defectibus in celebratione Missae occurrentibus*, X, *14* : « Si sacerdos evomat Eucharistiam, si species integrae appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat ; tunc enim species consecratae caute separentur et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur ».

1196. Ex dictis sequitur etiam corrigendam esse doctrinam apud graves auctores passim admissam. Scilicet omnes docent sacrilegium committere sacerdotem aut fidelem qui *paulo post* celebratam Missam aut receptam communionem in grave peccatum externum contra castitatem prolabitur (1) ; ita ut in casu, praeter peccatum grave contra castitatem, sacerdos aliusve voto castitatis adstrictus committat duplex sacrilegium, ratione scilicet legis aut voti castitatis, et ratione specialis irreverentiae erga Christum D. quem sub speciebus sacramentalibus mox recepit et forte adhuc in stomacho habet ; alii omnes unum sacrilegium committant. Et plures illud *paulo post* determinant per *horae dimidium* circiter post sumptam Eucharistiam (2). Atqui id verum erit de fideli qui communionem recepit, sano stomacho gaudens ; sed cum modo constet Christum D. sub speciebus sacramentalibus in stomacho sano sacerdotis qui Missam celebravit, per integram ad minus permanere horam, et in stomacho sacerdotis et fidelium qui infirma laborant valetudine, etiam per longius tempus, sequi videtur et tempus quo sacrilegium committitur esse prolongandum. Imo putamus, tempore permanentiae Christi D.

(1) De Lugo, *De poenit., disp. XVI, n. 524* ; S. Alphonsus, *Hom. Apost., tract. XI, n. 23*, et *Theol. Mor., III, n. 463* ; Lehmkuhl, *I, n. 382* ; D'Annibale, *II, n. 69* ; Scavini, *Theol. Mor., I, n. 836*.

(2) S. Alphonsus, *l. c.* ; Scavini, *l. c.*

in nobis, rationem specialis irreverentiae habere quodlibet peccatum grave externum, e. g., furtum, homicidium, etc.; nam sicuti deferens, e. g., Sacramentum ad infirmum, gravis irreverentiae reus foret, talia committens peccata, etiam praescindendo a scandalo, ob Sacramenti praesentiam et veluti contactum, ita per se et deferens Sacramentum in semetipso.

1197. Alia potius animadversione huic tractatui finem imponimus. Cum enim valde probabilis sit sententia, SSmum Sacramentum, quandiu in nobis est, pro dispositionis actibus effectus augere (*n. 1193*), conemur, toto tempore quo sacramentales species in nobis incorruptae manent, bonos actus elicere, ut abundantiores continuo gratias recipiamus a D. N. J. C., cui honor et gloria in saecula saeculorum: Amen.

ALLEGATUM I

EPISTOLA BENEDICTI XIV AD EPISCOPUM OSCENSEM DE PLURIUM MISSARUM EADEM DIE CELEBRATIONE.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem.

Declarasti Nobis, in sacra visitatione qua dioecesim tuam perlustrasti, deprehendisse nonnullos rectores ecclesiarum parochialium, quibus alia quoque ecclesia, a parochiali longe sejuncta, commendata est, quam ob exiguos proventus alii sacerdoti committere nequeunt, qui pro-rectoris munus sustineat: hinc fieri, ut rectores ipsi rem divinam in utraque ecclesia festis diebus conficere non dubitent, ut populus uterque parere possit Ecclesiae praecipienti fidelibus, ut festis diebus Missae Sacrificio intersint. Nobis etiam exposuisti, decrevisse in tua synodo id minime licere rectoribus ecclesiarum parochialium, quoties alius sacerdos praesto sit, qui Sacrum facere possit in una ex iis ecclesiis, quae rectoribus subjiciuntur; id autem attulisse tam gravem rectoribus ipsis molestiam, ut synodalis decreti executionem parumper differre censueris, donec sententiam in hac re Nostram, Nostramque voluntatem intelligeres. Quam ob rem prudentiam tuam in primis commendamus, totiusque Hispaniae gentis in hanc Sedem Apostolicam observantiam, ob quam, si forte aliquid incerti dubiique contigerit, ad Romanum Pontificem confugere, consiliumque ad explicandas difficultates deposcere consuevit. Deinde tuae synodi decretum aequitati ac disciplinae Ecclesiae maxime consentaneum esse respondemus; ita ut demandari executioni debeat, nec vanis omnino rectorum quaerimoniis imminui vel labefactari.

Quamvis nonnulli ex theologis moralibus (et quidem nimis indulgenter) plures rationes et causas excogitaverint, ob quas sacerdos eodem die Sacrificium Missae bis offerre posse videatur, quemadmodum facile videri potest *3 Summae* Sancti Antonini, *tit. 3, cap. 6, num. 5;* item *lib. 3 Summae* Sancti Raymundi, *tit. 24,*

et in Summa Hostiensis, *ad tit. De celebratione Missarum, num. 11 et sequ.*, et in Summa Sylvestrina, *in verb. Missa, primo § Septimo quaeritur*, et in Summa Armilla, *in verb. Missa, num. 15*, id tamen unanimi consensu permittitur sacerdoti, qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam : tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant ejusmodi rectori, cum festi dies incidunt, bis sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat. Et Suarez, *in 3 part. D. Thomae, tom. 3, quaest. 73, art. 2, disput. 80, sect. 3*, de hac hypothesi loquens, inquit in ea tantum hodie licere duas Missas eodem die celebrare : *Casus de pluribus parochiis est proprius ac fere solus in usu.* At vero si in altera ex his parochiis sacerdos aliquis deprehendatur qui rem divinam facere possit, tum illarum rectori nequaquam licet in utroque loco Sacrificium iterare, eo quod alterius sacerdotis opera populi necessitati satis consulatur. Ita probant unanimes Pasqualigus, *De Sacrificio Missae, tom. 1, quaest. 381, num. 2*; Verricellus, *De Apostolicis Missionibus, tit. 1, De Privilegiis Regularium, dub. 18, § 31, num. 201*; Giribaldus, *De Sacramentis, tract. 5, cap. 7, dub. 2, n. 15*; Rotarius, *in Theologia Morali Regularium, tom. 3, cap. 2, punct. 11, num. 5*; Tournelius, *in Praelectionibus Theologicis, de Sacramento Eucharistiae, part. 2*, juxta Parisiensem editionem, *pag. 346*; Schmalzgrueberius, *tit. De celebratione Missarum, num. 11*. Quod si scriptores isti vestras in manus nondum pervenerint, aliorum testimoniis rem plane cognoscetis, nempe Cardinalis Zabarellae, *in cap. Consuluisti, num. 3, De celebratione Missarum*, ubi haec habentur : *Si est alius, qui celebrare possit, non celebrabit sacerdos alia vice, dummodo ille alius sit paratus celebrare, et sit jejunus* ; Petri de Ancharano, *in Commentari is ad eundem textum, n. 1* : *Intelliye, si non sit alius ibi paratus ad celebrandum et ille sit jejunus* ; Cardinalis Toleti, *in Summa, lib. 2, cap. 3, num. 4*; Layman, *in Theologia Morali, lib. 5, tract. 5, cap. 4, n. 6* ; Salmanticensium, *Theolog. Moral., tom. 1, tract. 5, De Sacrificio Missae, c. 5, punct. 1, num. 12*, juxta quartam editionem, quae Matriti facta est anno 1717 ; Gavanti, *ad Rubricas Missalis, part. 3, tit. 12, num. 7*.

At supervacaneum est plures auctoritates praestantium virorum congerere, cum id satis superque constet ex septima synodo dioecesana, quam Sanctus Turribius anno 1562 celebravit, *cap. 3, tom. 4* Conciliorum Hispanorum, quae simul collegit vir eximius inter Hispanos Cardinalis de Aguirre, *pag. 687*. Porro haec sunt verba : *Juxta dispositionem Concilii Provincialis celebrati in hac*

Civitate anno 1567, quantum convenit et per locum juris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum Hispaniarumque parochis nostri districtus, ut diebus dominicis et festivis ex praecepto servandis, possint celebrare duas Missas in duabus ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius ecclesiae assistunt, non possint commode accedere ad audiendam Missam in altera.

Ex his apertissime deprehenditur concedi parocho, qui duas ecclesias, distantibus omnino locis positas, habeat, bis Sacrificium Missae instituere, ne diebus festis Ecclesiae praeceptum a populo violetur; ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerit, uti Nos inferius explicabimus. Ex verbis autem depromptis ex eodem capite tertio Limanae synodi, quae mox subjiciemus, certi limites eidem parocho statuuntur, ipsique praescribitur, ut uno tantum loco Sacrum conficiat, si in altero sacerdos occurrat, qui populo rem divinam operari possit: *Cum autem habuerint alium sacerdotem qui posset celebrare in altera dictarum ecclesiarum, non poterit parochus celebrare in utraque, sed unam Missam tantum in una, quandoquidem alter sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi.*

Non ignoramus, auctoritatem Limanae synodi suae dioecesi finibus solum concludi. At, cum Sanctus Turribius regendae Ecclesiae peritissimus et virtutum omnium gloria clarissimus semper habitus sit, ipsius legibus ac dioecesanis institutis eam saltem fidem atque auctoritatem vimque, ut aiunt, directivam adhibendam et adscribendam, nemo inficiabitur, quam Itali omnes aliique extra Italiam S. Caroli Borromaei synodis omni tempore praestiterunt: neque in dubium quis revocare poterit, Sanctum Turribium, virum adeo singularem (pro cujus canonizatione, cum Promotoris fidei munus adhuc in minoribus gereremus, plurimum laboris impendimus), conferre plurimum, ut, si propositae rei examen instituamus, illius sententia reliquis anteponatur; lactandumque idcirco Nobis jure merito videmur, qui Commentarium *de Sacrificio Missae* in lucem proferentes, Italico sermone a Nobis conscriptum cum Bononiensem Sedem administraremus, idem plane asserimus, quod pro illustranda praesenti quaestione superius attulimus, et opinionem nostram auctoritate confirmavimus ejusdem synodi Sancti Turribii, uti liquido constat ex Nostro Commentario, quod commemoravimus, *tom. 2, part. 4, sect. 2, num. 38 et sequ.*, et praecipue *num. 40;* quod quidem primo Bononiae typis evulgatum fuit, ac nuper latine redditum ac typis impressum Patavii, lucem publicam rursus aspexit.

Quod si Limanae synodo alia quoque concilia adjungi velint, illud in medium proferri poterit, quod sub Mauritio Archiepiscopo Rothomagensi anno 1231 coactum est, quemadmodum legitur in Collectione Regia maxima Conciliorum ab Harduino compilata, *tom. 7, pag. 186*: *Nullus audeat Missam bis in die celebrare aut cum duplici introitu, nisi in humana necessitate, etc., et hoc ubi non est nisi unus sacerdos*; alterum, quod Nemausi anno 1284 coactum fuit, cum Martinus IV Apostolicam hanc Sedem obtineret, uti patet ex Collectione Labbeana, *tom. 12, part. 1, pag. 1213*: *Si omnes parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, ex eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, et dicta prima Missa, postmodum parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in prima Missa, post receptionem Corporis et Sanguinis, profusionem accepevit, non debet secundam Missam in praedictis casibus celebrare.*

Ea potissimum verba diligenter observari debent: *Ubi non est nisi unus sacerdos*: nec non alia: *Nec sunt in ecclesia duo sacerdotes*: ex quibus clare perspicimus, non licere parocho, si alius sacerdos praesto sit, duo Sacra perficere diebus festis, sive Missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus, ut in supra citata synodo Limana, sive una tantum sit ecclesia in qua Missa celebratur et ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in synodo Nemausensi. Hi quippe duo casus eodem jure censendi sunt, uti praecipue advertit Theophilus Raynaudus, *tom. 14 Operum*, editionis Lugdunensis, *pag. 8*.

Quae huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur. Neque vero copiam ecclesiasticae eruditionis ostentabimus, ut cognitum id perspectumque faciamus, quod tamen facili negotio, si opus esset, consequeremur, cum duo praeclari scriptores postremis his temporibus congesserint casus omnes, quibus ante decretales Praedecessorum Innocentii III atque Honorii III, plures uno die Missae ab eodem sacerdote celebrabantur. Hi sunt Santebeuvius, *tom. 3, Resolutionum casuum conscientiae, cas. 83*, et Pontas, *in Dictionario casuum conscientiae, in verb. Missa, cas. 15*. De hoc ipso argumento luculenter disseruit is qui suis adnotationibus undecimam sancti Leonis Epistolam illustravit, juxta editionem quae ultimo facta est. De ipso Nos quoque verba fecimus *in Commentario de festis diebus Domini Nostri ac Beatae Virginis Mariae, part. 1, num. 667 et sequ.* Quamobrem, his praetermissis, illud affirmabimus, ex communi totius Ecclesiae disciplina permitti tantum sacerdoti hoc tempore, ut die Natali

Salvatoris Nostri ter Sacrum faciat, vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur fideles, uti ostendit canon: *Nocte Sancta, De consecratione, dist. 1*, vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta, quibus auctor Telesphorus illius canonis impugnatur), Parens ac Magistra Ecclesia eum ritum die Natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam sacerdos idem plura Sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant. Id Nos testimoniis praestantium virorum indicavimus in Commentario Nostro, quod superius nominavimus, *part. 1, num. 665 et sequ.*

Excepta die Dominicae Nativitatis, juxta hodiernam disciplinam non licet sacerdoti eodem die Sacrificium iterare. Argumenta minime desumimus ex decreto Alexandri Papae II, *can. Sufficit, De consecratione, dist. 1*, ubi Pontifex ita decrevit: *Sufficit sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere; et valde felix est, qui unam digne celebrare potest*; etenim Pontifex ita rem prosequitur: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse fuerit*; quibus verbis Alexander II non improbare videtur eum sacerdotem, qui saltem ob allatam causam bis uno die celebraret. Deinde sic Pontifex concludit: *Qui vero pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures facere Missas, non aestimo evadere damnationem.* Porro ex his facili conjectura prospicere quisque potest, Alexandrum II decreto solum cavere, ne sordidae utilitatis sive assentationis gratia Sacrificium iteretur. Vasquesius idem decretum sic explicat, *in 3 part. D. Thomae, tom. 3, quaest. 83, art. 2, cap. 5, num. 43*: *In praedicta epistola solum damnantur, qui pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures Missas celebrare: de iis vero qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.* Eamdem rem maxime declarant ea quae Thomassinus scripta reliquit, *De veteri et nova Ecclesiae disciplina, par. 3, lib. 1, cap. 72, num. 6*, ubi clare ostendit, libertatem pluries una die celebrandi, necessario coercendam fuisse, ut quorumdam sacerdotum avaritiae modus imponeretur.

Igitur omittentes Alexandri II decretum, alterius Praedecessoris Nostri, nimirum Innocentii III auctoritate ac decretali rem nostram comprobamus, *cap. Consuluisti, De celebratione Missarum*: *Respondemus*, inquit, *quod excepto die Nativitatis Dominicae, etc., sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.*

Equidem Alexander II, uti superius commemoravimus, et Innocentius III usi sunt hoc eodem verbo *sufficit* : at secundo tantum loco per id verbum praeceptum indicitur : nam si quis integram Innocentii decretalem percurrat, apertissime cognoscet, id petitum fuisse a Pontifice, *utrum presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare*. Porro illud *valeat* idem prorsus significat, ac *liceat*. Cum igitur responsum dederit Pontifex, *sufficere sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare*, illud *sufficit* sacerdotes adigit praecepto, ne plura Sacrificia una die faciant.

Ita Vasquesius interpretatur eo loco, quem paulo ante indicavimus, *num. 44* : *Nam quod quaesitum fuit, utrum valeat celebrare, idem est, ac si quaereretur, utrum liceat ei celebrare. Cum ergo respondit Pontifex*, sufficit, *etc., hoc verbum denotat praeceptum prohibens plusquam semel celebrare*. Neque mirari quis debet, si idem verbum *sufficit*, consilium uno loco, alio autem praeceptum praeseferat. Id ipsum quippe etiam contigit in verbo *non oportet* : quod juxta varias rerum circumstantias in jure canonico modo solum honestatis officium ac decentiam denotat, modo vero necessitatem atque praeceptum, uti pluribus exemplis demonstrat Baldellus, *Disput. Theolog., tom. 1, lib. 5, dub. 21, num. 1*. Verum ex Honorio III, qui post Innocentium III Pontifex renuntiatus fuit, in textu *Te referente*, sub eodem titulo, *De celebratione Missarum*, manifesto deprehenditur, illud verbum *sufficere*, de quo in decretali Innocentii III, cum praecepto conjungi. Rem totam sicuti gesta est, recensebimus, uti constat ex Gonzalez qui decretalem integram ejusdem Honorii describit.

Sypontinus Archiepiscopus (eam modo civitatem vulgo Manfredoniam appellant) feria quinta majoris hebdomadae Sancta Olea de more in ecclesia cathedrali rite consecrabat. Eadem die mane se conferebat ad montem Garganum, ut peregrinos exciperet qui magna frequentia in eum locum religionis causa influebant. Ejus loci clerus ac populus Archiepiscopum magno studio rogarunt, ut Sacrum iteraret : quod tamen ille facere recusavit, donec super hac re Pontificis Honorii III responsum sibi redderetur. Pontifex initium desumit a verbis ipsis Innocentii III, Praedecessoris sui, nempe : *Cum cuilibet sacerdoti, quacumque dignitate praefulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam et valde est felix qui celebrat digne unam*. Post haec praecipit Archiepiscopo, ut Syponti rem divinam peragat, ubi Sacrum Chrisma conficere debebat, et in ecclesia montis Gargani sacrificium offerre praetermittat : hisce utitur verbis, quibus illud *sufficit*, ab Innocentio III scriptum, cum praecepto omnino copulari declarat : *Fra-*

ternitati tuae mandamus, quatenus die Coenae Domini in ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare. Innocentius, qui excepto die Nativitatis Dominicae, prohibuit sacerdoti plures Missas una die celebrare, in cit. *cap. Consuluisti, De celebratione Missarum*, addidit: *Nisi causa necessitatis suadeat.* At Honorius qui *in cap. Te referente, eodem tit., De celebratione Missarum*, Archiepiscopo Sypontino rescripsit, ipsi fas non esse, post rem divinam peractam, dum Sacrum Chrisma conficiebat in ecclesia Sypontina, aliam Missam celebrare in ecclesia montis Gargani, declaravit, causam necessitatis ab Innocentio admissam nunquam adesse, cum alius invenitur sacerdos, qui secundam Missam celebrare potest. Secundam quippe Missam noluit ab Archiepiscopo in ecclesia montis Gargani celebrari, ex quo inverisimile ipsi visum est, quod alius non adesset sacerdos, qui Missam in eadem ecclesia celebrare posset. juxta monitum Cardinalis de Turrecremata, *in can. Sufficit, sub n. 4, De consecratione, dist. 1.* En ejus verba: *Quod autem in decretali* Te referente, *Episcopus videtur reprehendi, quod bis celebraverit die Coenae, est propter hoc, quia non erat necesse, quod Episcopus celebrasset nisi in illa ecclesia in qua de consuetudine debebat Chrisma conficere, quia hoc non potest nisi Episcopus, et aliam Missam celebrare poterat simplex sacerdos, quia verosimile est, Episcopum posse per vicarium celebrare et in illa ecclesia plures sacerdotes fuisse.* Quod etiam ante Cardinalem a Turrecremata jam fuerat adnotatum ab Hostiensi, *in cap. Te referente, n. 4.*; ab Antonio de Butrio, *super eodem textu, n. 3*, et ab Abbate *super eodem quoque textu in fine, tit., De celebratione Missarum.*

Praeterea casum proponunt Episcopi, qui praeesset duobus Episcopatibus inter se vicinis; ut in Archiepiscopo Sypontino contigisset, si Summi Pontifices Alexander III et Innocentius III sententiam non protulissent contra Garganicos contendentes Ecclesiam suam episcopalem esse, et unitam Ecclesiae Sypontinae, quemadmodum legitur apud Ughellium de Metropoli Sypontina tractantem, *Tom. 7 Italiae Sacrae*; quaeruntque, an sub obtentu Chrisma conficiendi in utraque ecclesia, quod sine celebratione Missae consecrari decenter nequit, posset ea die bis Sacrificium offerre: et unanimiter respondent id non licere: et sic rem componunt, quod uno anno in una ecclesia celebret Missam feria quinta in Coena Domini, et conficiat Chrisma; et alio anno id ipsum faciat in alia ecclesia, et ab una ad aliam Chrisma consecratum, uti moris est, transmittat: Reque sic composita, asserunt, nullam ex suis ecclesiis Chrismate caritu-

ram esse subditosque unius vel alterius episcopatus nullatenus excludi a commoditate audiendi Missam quinta feria in Coena Domini, in qua maximopere expedit ut audiant Missam : ea quippe celebrari poterit a sacerdote in ecclesia in qua eo anno Episcopus Chrisma non conficit, cum verisimile non sit, alium non reperiri sacerdotem, qui ea ipsa die Sacrum in ea facere possit ; veluti prosequuntur Hostiensis, Antonius a Butrio, et Abbas, *locis citatis*.

Haec sunt, quae ex jure canonico desumpsimus. Sed cum Glossa, *in cap. Consuluisti, in verb. necessitatis, De celebratione Missarum*, necessitati addat utilitatem et vel utilitatem vel necessitatem satis esse dicat, ut unus sacerdos eodem die bis Missam celebrare possit, bene deprehendimus, parochos de quibus agitur, posse tum utilitatem tum necessitatem praetexere, ut sibi putent fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit sacerdos, qui Sacrum facere valeat : utilitatem quippe in eo constituent, quod bis ipsi celebrando non subministrabunt sacerdoti celebraturo eleemosynam pro Missa quam celebrabit : necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt praedictam eleemosynam alteri sacerdoti Missam celebranti elargiri. At neutrum eis suffragari potest.

Et utilitas quidem non suffragatur : quidquid enim sit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt non de utilitate celebrantis,sed Missam audientis.Sic docet Cardinalis Zabarella, *in cap. Consuluisti, num. 3, De celebratione Missarum*. En ejus verba : *Considera quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis, non celebrantis*. Et concordant super eodem capitulo Antonius a Butrio, *n. 4.*; Abbas, *n. 2*,et ceteri, quos vocant Repetentes : et praeclare inter recentiores docuit Verricellus, *De Apostolicis Missionibus, tit. 1, De privilegiis Regularium, dub. 18, n. 201*. Utilitas autem proposita non populum, sed parochum respicit, et sic celebrantem et non audientem.

Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta, cum plura sint expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primo, an revera parochi tanta premantur egestate, ut alteri sacerdoti stipendium Missae nequeant suppeditare : si enim inopia adeo magna non sit, episcopali auctoritate, juxta *cap. IV* Concilii Tridentini, *sess. XXI, de Reformatione*, adigi poterunt, ut Sacerdoti Missam celebraturo eleemosynam elargiantur, uti sapienter admonet Engel, *ad tit. Decretalium, De celebratione Missarum, n. 3*. Secundo, si parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum, an po-

pulus etiam in eadem paupertate versetur : quemadmodum enim Episcopus adigere potest sacerdotem ut populo Sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo ut celebranti sacerdoti consuetum stipendium elargiatur. Id etiam ex Tridentino Concilio desumitur, *sess. XXIII, cap. XIV, de Reformatione*, ubi haec leguntur : *Curet autem Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis, et festis solemnibus, etc., Missas celebrent* : siquidem illud verbum *curet*, praeceptum inferre in hac gravissima causa non est dubitandum. Hoc pacto Concilii sententiam explicat Pasqualigus, qui scriptum ita reliquit, *De Sacrificio Missae, quaesit. 844, n. 11* : *Si in aliquo oppido sit unus tantum sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, et adsint alii simplices sacerdotes, poterit episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit, quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Missam ; ed ideo cum sacerdotes habeant ratione Ordinis munus suum addictum populo, poterit episcopus eos cogere, ut impendant officium suum populo, offerendo Sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere praeceptum audiendi Sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis sacerdotibus pro substentatione ; quia, cum ministrent populo, aequum est, quod accipiant aliquid pro substentatione.*

Porro difficile prorsus videtur, omnia haec simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc, Ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri large consuevisti, stipendium pro re divina facienda sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre ut Sacrificium iterent parochi, quibus non deest alius sacerdos qui diebus festis populo ministret.

Post haec, quae a Nobis prolata ad veritatem illustrandam dici possunt, ad ea sermonem transferimus, quae ab ipsis parochis proponi audimus. Vehementer ipsi conqueruntur, si facultas iterandi Sacrificii diebus festis ipsis adimatur, eo quod munere suo perfungi nequant, quod non solum constituitur in celebranda et applicanda Missa pro populo, cum festi dies peraguntur, sed etiam in explicandis Religionis mysteriis, tradendaque pueris Christiana disciplina, cum ad Sacrum audiendum in ecclesiam conveniunt.

Incredibilem ex hoc voluptatem sane percepimus. Etiam quum olim fel. record. Praedecessor Noster Innocentius Papa XIII, ad discutienda Hispani Cleri gravissima negotia ab insigni viro bonae memoriae Ludovico hujus S.R.E. Cardinali Belluga nuncupato proposita, peculiarem Congregationem praestantium aliquot ejusdem S. R. E. Cardinalium deputasset : Nobisque tunc

in minoribus constitutis ipsius Congregationis Secretarii munus demandasset : meminimus non parum temporis plurimumque laboris Nobis opus fuisse, ut falsam omnino probaremus opinionem ob quam parochi Hispani se immunes ac liberos dictitabant ab edocendis instruendisque Christiana doctrina pueris, eo quod hujusmodi exercitationes in aliis quoque ecclesiis haberentur : aut quia concionatorum opera studioque satis fideles instruerentur ; aut etiam ob vetustissimam consuetudinem quae parochos ipsos ab hoc onere vindicare videbatur. Quae omnia leguntur in constitutione quae incipit *Apostolici ministerii*, quam praefatus Innocentius Praedecessor promulgavit, in qua, § *9*, recensentur ac refelluntur ea omnia quae modo commemoravimus.

His autem per transennam adnotatis, jam responsum quaestioni faciamus, videlicet non esse iterandum die festo Sacrificium, si parocho alius sacerdos operam suam navare possit, etiamsi catechismus eodem die fideique mysteria populo explanari debeant. Haec enim fieri possunt ejusdem sacerdotis ministerio, qui ad Sacrum conficiendum inducitur : quemadmodum Nos ipsi statuimus in Bononiensi dioecesi, cum in ea sedem haberemus, haud ignorantes id consentaneum esse decretis, quae super hac re Pontifices Romani non semel ediderunt. Id Nos ostendimus *Instit. 3, tom. 3, Nostrarum Institutionum Ecclesiasticarum*, quae Bononiae impressae fuerunt. Accedit, quod parochus qui die festo fideles instituendos in utraque ecclesia libenter suscepisset, si iterandi Sacrificii facultas traderetur, id facilius consequi possit, si in altera solum ecclesia rem divinam faciat ac populum edoceat, deinde ad aliam se conferat ecclesiam ubi a Sacrificio abstineat et Christianae legis instituta dumtaxat populo declaret.

Tui praeterea parochi queruntur, quod ipsis hanc facultatem impertiri dubites, quam a tuis decessoribus semper impetrarunt. Certissimum illud est missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur ; reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur ; cujus sane judicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet. Ita testatur Verricellus, *De Apostolicis Missionibus, tit. 4, De privilegiis, quaest. 19, num. 202* : *Quaeres primo an ad celebrandas duas Missas in locis ubi adest talis necessitas, requiratur licentia episcopi? Respondetur affirmative, seclusis privilegiis missionariorum. Ita a Sacra Congregatione resolutum....* Certum quoque est, facultates ejusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi ;

vel si aliquando concedantur, non haberi tamquam alicujus sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis. Fagnanus id fatetur in *cap. In ordinanda, num. 37, De Simonia*: *Miratur Sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis; nam id nonnisi ex magna necessitate fieri debet et magna cautela, ut puta in locis ubi perpaucissimi sunt sacerdotes, vel adsunt impedimenta adversariorum fidei, vel quid simile, etc. Nec concedi potest haec licentia ab episcopo generaliter, quasi privilegium alicujus sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari, necessitatis causa ab episcopo examinanda.* Itaque cum ejusmodi causam necessitatis haud deprehenderis, nunquam parochos tuos probabimus, si ipsi de te conquerantur. Nos prudentiam Fraternitatis tuae magnopere commendamus, teque agnoscimus animum, mentemque tuam conformasse exemplo praedicti Sancti Caroli Borromaei, qui in *Prima Synodo Provinciali, c. 5*, abrogavit *licentias a suis Praedecessoribus concessas plures Missas celebrandi.*

Parochi postremo, ut causam suam tueantur, vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos utrum ratione, an temere id asserant, examinare praetermittimus. Solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem praescriptionis aut praesumptionis sibi comparaverit; et utrumque falsum et alienum judicamus. Non utique jus divinum, sed jus ecclesiasticum prohibet, eadem die ab eodem sacerdote Sacrificium iterari. At non omnia quae juris tantum ecclesiastici sunt, praescribi possunt. Si etenim juxta Civiles Leges *sanctae res* praescribi non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam Sacrum Tridentinum Concilium in Missarum celebratione sacerdotibus omnibus praecipit, uti colligitur ex Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae.*

In nonnullis regionibus mos inoleverat, quod parochi duarum parochiarum feria sexta majoris hebdomadae Officium faciebant primum in una ex parochiis, et deinde illud iterabant in altera. Jejunii praeceptum in sumptione Eucharistiae non est juris divini, sed ecclesiastici, teste Cardinali Bona, *Rerum Liturgicarum, lib. 1, cap. 2, num. 21*, ubi refert initio non omnibus in locis universos praedicta lege obstrictos fuisse: cumque, hoc minime obstante, animadversum fuisset, parochum celebrantem Officium in secunda parochia, non jejunum sumere Eucharistiam sub specie panis; sumpserat enim in Officio quod celebravit in prima parochia, particulam Hostiae consecratae die praecedenti, una cum vino non consecrato, et sic jejunium fregerat naturale: reprobata

fuit consuetudo, etsi, uti asserebatur, pietati et devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii parochi duarum parochiarum aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque parochia Officium feriae sextae majoris hebdomadae celebrare possent, praetermittendi videlicet haustum vini in primo Officio, quod in prima parochia celebrabant, sumentes tantummodo speciem panis, ut jejuni in secunda parochia Officium facerent, Missamque quae dicitur Praesanctificatorum, celebrarent. At haec quoque consuetudo fuit reprobata, utpote contraria ritui ecclesiastico, quem et Ordo Romanus, et Sacramentarium Sancti Gregorii praescribunt, et adhibet universalis Ecclesia. Franciscus Sylvius, magni nominis Theologus, *tom. 5 suorum Operum*, editionis Antuerpiensis, *Orat. 1*, quae est unica *de Officio Parasceves*, rem graphice exponit, nec parochorum consuetudini censet esse ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez, *in 3. part. D. Thomae, tom. 3, quaest. 73, art. 2, disput. 80, sect. 3*. Et nos ipsi haec omnia exposuimus in nostro Tractatu, *De Sacrificio Missae*, typis Patavinis edito, *sect. 2*, § *39*; et in alio tractatu, *De festis D.N.J.C.*, *p. 1*, typis quoque Patavinis edito, § *336* et *seqq.*, confutavimus errorem Graecorum schismaticorum, qui volunt in Missa Praesanctificatorum, per immersionem particulae in calicem ex Sacratissima Hostia detractae, transsubstantiationem fieri vini in Sanguinem Christi; et diximus sacerdotem in Officio feriae sextae majoris hebdomadae sumere Christi Corpus et Sanguinem, cum utrumque revera sit sub specie panis, praecedenti licet die consecrati.

Praescriptionem excipit praesumptio, de qua modo sermo habendus est. Equidem non ignoramus jurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis ab immemorabili afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum et etiam privilegium Apostolicum, quod utpote nullo certo documento probatum, praesumptum appellatur. Sed, ceteris praetermissis, ne haec epistola longior evadat, subdimus haec intelligi posse de illis privilegiis quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset; non vero de illis quae cum postulantur, negari omnino consueverunt; ne praesumptio plus habeat roboris et momenti, quam veritas.

Romanis Pontificibus mos est, ut ea negotia quae ipsi per se expedire nolint, ad Congregationes rejiciant examinanda, ut earum consilio rem expediant. Anno 1657, cum in civitate quam dicunt *de Assumptione* in provincia Paraguariensi, pars magna Nobilium domi se contineret, utpote decenti apparatu vestium carens, nec accederet ad ecclesiam ut Sacrum die festo audiret, episcopus

exoravit, ut sibi facultas daretur celebrandi Missam antelucanam Nobilium praedictorum gratia, et aliam ante meridiem ut reliquus populus Missae praecepto diebus festis satisfaceret. De hac re actum fuit in Congregatione Concilii *die 1 Septembris 1657*, nec petitio fuit exaudita, ea potissimum de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse sacerdotem qui Missam antelucanam celebraret pro Nobilibus; quemadmodum colligitur *ex lib. 21 Decretor., pag. 65*.

Praeterea vobis omnibus notum est, in regnis Aragoniae, Valentiae et in comitatu Catalauniae, die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, quemlibet sacerdotem saecularem bis Missam celebrare posse, et ter quemlibet sacerdotem regularem; quod singulare privilegium antiquae consuetudini et famae Apostolici privilegii concessi vel a Julio III vel a Paulo III, Summis Pontificibus, innititur. De dicto privilegio egimus in supra citato Nostro commentario, *De Sacrificio Missae, sect. 2, § 31*, et latius dum munere fungebamur Secretarii Congregationis Concilii, cum causa quaedam *Castellana* pertractaretur, quemadmodum videri potest in Thesauro Resolutionum praedictae Congregationis, *tom. 2, pag. 168*, et plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bonae memoriae Cardinali Lanfredino, dum ipsum Secretarii munus obiret, et de quadam causa *Oriolen.* ageret, de qua *tom. 5 ejusdem Thesaur., pag. 382 et seqq.* Viri qui dignitate et praestantia supra ceteros eminebant, Summis Pontificibus humillime supplicarunt, non ut quidem rem novam permitterent, sed ut tantum ad quasdam alias regiones memoratum privilegium extenderent, ob quod presbyteri tum saeculares tum regulares in die Commemorationis omnium Defunctorum rem divinam iterato faciebant: precesque suas singulari pietate et rationibus undequaque petitis cohonestarunt: negotioque a Summis Pontificibus remisso ad Congregationem Concilii, haec precibus hujusmodi morem haud gessit, sed petentes, uti fieri cum principibus viris consuevit, urbane dimisit, quemadmodum recensuimus in citato Nostro Tractatu, *De Sacrificio Missae, sect. 2, § 32*, editionis Patavinae.

Porro si denegatum fuit Episcopo petitum privilegium celebrandi bis in die festo, ut Nobiles satisfacerent praecepto audiendi Missam, eo quod alius aderat sacerdos qui Sacrum facere poterat: si principum virorum vota exaudita non fuerunt, qui tantum pro extensione privilegii precabantur, et talis privilegii, quod unicam tantum diem quolibet anno respiciebat; unusquisque facili negotio cognoscere poterit, quid a Sede Apostolica fac-

tum esset, si simplices parochi facultatem petiissent bis celebrandi, ubi alius non deesset sacerdos, qui parocho operam suam praestare posset, et bis celebrandi non unica die intra annum, sed tot diebus quot per anni cursum festi dies celebrandi fidelibus praecipiuntur.

Ut Fraternitati tuae postulatis responderemus, negotium unico verbo cognoscimus Nos absolvere potuisse, docendo nimirum, tuam constitutionem synodalem observandam esse. Henricus enim Boich, antiquus Juris Canonici Professor, *in Comment. ad cap. Te referente, num.* 2, *De celebratione Missarum*, docet a nemine binas Missas eadem die celebrari posse, si id sit vetitum in constitutione synodali. Sed haec scribenda ad te putavimus, ut tuum religionis eximium studium Nostris laudibus prosequeremur certamque normam ac rationem ante oculos propositam haberes, ad quam consilia tua tuamque mentem tutissime conformares. Quapropter tres dies in privata Nostra bibliotheca mane insumpsimus, quos vacuos ac liberos ab audiendis Ministris molestisque negotiis nacti sumus, ut has literas conficeremus. Postremo te summopere iterumque commendantes, qui hujus Sedis Apostolicae in dubiis rebus sententiam consiliumque exquisieris, Benedictionem Tibi Nostram, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, die XVI Martii MDCCXLVI, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

ALLEGATUM II

CONSTITUTIO BENEDICTI XIV DE MISSAE PRO POPULO ET MISSA CONVENTUALIS CELEBRATIONE.

Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis.

Benedictus Papa XIV.

Venerabiles fratres, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Cum semper oblatas Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates Vestras libenter amplectimur, ut sincerae Nostrae erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero majori animi alacritate idipsum praestamus, quum ad excitandum Fraternitatum Vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in clero regimini vestro commisso, praesentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostrae omnium Ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si divini cultus augmentum atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis dioecesibus custodiam, religiosae vigilantium Pastorum curae, identidem inculcando, commendemus.

1. Hujus porro epistolae ad Vos scribendae occasionem Nobis atque argumentum in primis praebet onus illud quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam parochialem pro populo ipsorum curae commisso; tum etiam applicatio Missae conventualis, quae pro benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis: tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici praedictarum ecclesiarum choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in hujus Almae Urbis Nostrae Congregationibus et potissimum in

Congregatione Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum decreta plerumque circa eam uniformia et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam pontificiam Praedecessorum Nostrorum approbationem et confirmationem meruerint, minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, encyclicam hanc epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicae Sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat, et Fraternitatibus Vestris quaedam veluti norma ac regula suppetat, juxta quam synodales aliasque vestras circa praemissa constitutiones, ordinationes, seu edicta, quorum publicationem vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero executionem, dum, juxta ea quae in praesentibus tenenda atque servanda praescribimus, omni qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostrae Curiae Tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse praecipimus, ac jubemus: quamobrem has ipsas litteras Nostras in singulorum Tribunalium Regestis asservari volumus, atque ad earum praescriptum tam ipsorum Tribunalium resolutiones, quam de vestris decretis quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, judicia exigi et conferri mandamus.

2. Et quidem quod nuper enunciavimus, sacrosanctum Missae sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curae commisso, id veluti ex divino praecepto descendens, a Sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur, *sess. XXIII, cap. I, de Reformat.*, per haec notabilia verba: *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas dignoscere, pro his sacrificium offerre.* Et quamvis minime defuerint qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a S. Synodo memoratam de medio tollere vel saltem extenuare contenderint; quum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, quumque praedicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative praeposita, constanter edixerit, eos quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum me-

dium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse ; quodque magis interest, quum haec intelligentia a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata, nihil jam amplius ulli vestrorum desiderandum superest, ut eam amplecti eidemque obsequi, necnon illius promptam executionem in vestris respective dioecesibus omni studio procurare debeatis.

3. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii praedictae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus aliosque non paucos partim in Anconitanae Cathedralis, partim in Metropolitanae Bononiensis, patriae nostrae dilectissimae, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non, inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

4. Quum enim Sacrum Tridentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant ac deputent, ut videre est in *sess. VI, cap. II* ; *sess. VII, cap. V* et *VII* ; *sess. XXI, cap. VI* ; *sess. XXV, cap. XVI* ; non raro autem eveniat, ut, aliqua ecclesia parochiali vacante, vicarius pariter ad implenda hujusmodi ecclesiae onera usque ad novi rectoris electionem ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente, *sess. XXIV, cap. XVIII, de Reform.* ; nonnulli ex hujusmodi vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant ; vel quod ipsi sunt ad nutum amovibiles ; vel ad breve tempus hujusmodi curae sint addicti ; ut nihil hic loquamur de parochis Regularibus qui a praedicta applicatione Missae pro populo nonnumquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii saeculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno de verbo omnes et singuli de quibus supra dictum est, atque alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur Missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.

5. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis imple-

mentum allegare solent, congruos sibi parochiae suae reditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus quod immemorabile affirmant,unquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones Nostram approbationem et confirmationem extendimus; et, quatenus opus sit, auctoritate Apostolica, iterum tenore praesentium decernimus et declaramus, quod licet parochi seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus seu parochiis obtinuerit ut Missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes Missae Sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro populo teneri.Et quidem Sacrosancta Tridentina Synodus,*sess. XXIII,cap. XIV*, praecipit Episcopis curare, ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solemnibus Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*; in pluribus autem synodalibus Episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere; eum vero qui uberioribus hujusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiae parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint, quoniam pingues minime habendi sunt reditus etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelae adversus hujusmodi decretum, tanquam plus aequo rigidum, excitatae, Nobis innotescant; idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore Nobisque proinde satis esse posse, dum ii qui animarum curam exercent, Sacrificium Missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus

festis de praecepto ; quum praedicti dominici aliique festi dies, ii sint, in quibus, juxta praeceptum Concilii Tridentini, *sess. V, cap. II* et *sess. XXIV, cap. IV*, quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem ; iidemque sint dies, de quibus eadem Sancta Synodus statuit, *ut moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*, et quibus parochi subditos suos in doctrina Christiana erudire debent, juxta id quod a praedicto Concilio in cit. *cap. IV*, Episcopis praecipitur, ut nempe *saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis ad quos spectabit, doceri* curent.

7. Et quia in nonnullis dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto, de Apostolica Nostra auctoritate et consensu, eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis Christifideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant ; in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae sacrificium ; Nos ut obortae jam dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus Missae interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare teneantur.

8. Quia vero propria nonnumquam experientia satis agnovimus, aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur ; eos vero qui, ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam sub vicarii seu oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipsis constituti et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant ; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti ; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missae recipere ; idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes ; quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis Missam pro populo celebrare et applicare, attamen,

quod pertinet ad praedictos parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus cum iis quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant ; dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent ; ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

9. Quod autem spectat ad vicarios sive oeconomos ecclesiarum vacantium, quum a Sacro Tridentino Concilio, *cit. sess. XXIV, cap. XVIII,* cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi *cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione* ; vestrum erit, Venerabiles Fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiae fructus exigunt, ut egenti vicario qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum praebeatur pro onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis in quibus ecclesiarum vacantium fructum ad commodum Camerae Nostrae Apostolicae exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum Collectoribus ; cum quibus Episcopi ecclesiasticae Nostrae Dictionis ceterorumque locorum in quibus, ut praefertur, ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

10. Ac demum, quoad illos qui tamquam vicarii sive perpetui sive ad tempus constituti animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicujus ecclesiae parochialis ipsorum ecclesiis, seu monasteriis, collegiis, aut locis piis olim insitae ; quamvis a recol. mem. Praedecessore Nostro S. Pio Papa V praefinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius constitutione, quae incipit : *Ad cæquendum*, data Kalendis Novembris Anni MDLXVII, distincte statuitur, nihilominus ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo vel non integre vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea quae ad normam praedictae constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a Vobis reputetur propter temporum circumstantias et signanter pro implendo

onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus festis de praecepto, utendum vobis erit potestate quam fecit Episcopis Synodus Tridentina, *sess. VII, cap. VII,* dum illorum arbitrio permisit, juxta temporum atque injunctorum onerum rationem, congruam praedictis vicariis fructuum portionem assignare ; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus Vestris, quatenus opus est, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur, quibuscumque appellationibus, privilegiis atque exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea quae salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

11. Haec igitur circa Missam parochialem statuenda et Fraternitatibus Vestris denuntianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea quae pertinent ad Missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis, tum horae canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam Missa conventualis celebretur: quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes Apostolica auctoritate Nostra confirmamus et approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes : ut scilicet Missa conventualis quae singulis diebus canitur a clero praedictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur ; eodem prorsus modo quo Missam parochialem ab iis qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto, applicari debere superius declaravimus.

12. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi sive dolo malo sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe dum Missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missae conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent et Missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam

qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquae interdum preces fiunt vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea quae a lege ecclesiastica multoties praescripta fuit; nimirum Missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando eamdemque pro illis in genere applicando.

14. Profecto non solum prioribus Ecclesiae saeculis, verum etiam temporibus haud longe a nostra aetate remotis (quod Vos ex historia Ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptycis (sic enim vocabantur) ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio numquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi diptycorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis, et Sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

15. Quemadmodum vero, loquendo de Missa parochiali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de praecepto; ita pariter usuvenit quoad applicationem quotidianam Missae conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores provide e medio sublatae fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Nostra approbamus et confirmamus.

16. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae

potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

17. Alii a Missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii canonicatus aut alterius beneficii ecclesiastici quod insimul cum canonicali praebenda obtinent; vel quia, praeter munus canonici, seu beneficiati, aut mansionarii in ecclesia cathedrali, seu collegiata, quum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum Missam conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis praedictis, ut Missam conventualem quam canunt, pro Ecclesiae benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret applicetque.

18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis aut mansionariis; quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando ut ea desumatur ex massa distributionum.

19. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum quae, ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa conventuali, ad nihilum fere redactae, vix foret ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii Ecclesiae praestandi. Tridentina quidem Synodus, *sess. XXIV, cap. XV*, opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere; cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Praedecessoribus Nostris eidem impartita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

20. Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in Rubricis Generalibus quarum exactissimam Fraternitatibus Vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae atque etiam aliquando tres Missae conventuales uno die

celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit primam Missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse, nunc expendendum superest, an earumdem ecclesiarum Capitula jurisdictioni vestrae respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

21. Hujusmodi quaestio aliquibus ex Vobis, ecclesiastico zelo flagrantibus, supradictae Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Jamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam ac tertiam Missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta canonicatuum et beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat hujusmodi applicationis debitum manere ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur.

22. Verum quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit; Nos ita judicamus idque Vobis tenendum indicimus: laudandos, nempe, et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem Missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque Missae conventualis applicationem celebrantibus reliquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.

23. Huic demum epistolae Nostrae finem imponentes, Fraternitates Vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum vestrarum choris, praeter devotam celebrationem debitamque applicationem Missae conventualis, horae canonicae non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima qua decet, reverentia ac religione canantur.

24. Equidem scimus, in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis inter canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu se adjungant. In hujusce

vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam praetensa ecclesiarum suarum privilegia. Atque quum Synodus Tridentina, *sess. XXIV, cap. XII*, loquens de dignitatibus et canonicis qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare*; quumque pauca omnino sint Capitula in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque receptae in universa Ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa numquam in Congregatione, Concilii Tridentini interpretationi praeposita, examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam ecclesiarum patriarchalium hujus Nostrae Urbis super hoc instantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis Provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis, et confirmatis; nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius ecclesiae canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam, absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit Apostolicum non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant et consequenter ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec omnia illis aperire, ut neque Nobis neque Vobis apud divinum Judicem fraudi sit, si in hujusmodi re quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus Vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die XIX Augusti MDCCLIV, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

ALLEGATUM III

CONSTITUTIO INNOCENTII XII DE MISSARUM MANUALIUM AUT FUNDATARUM APPLICATIONE (1).

Nuper a Congreg. Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum prodierunt decreta tenoris infrascripti, videlicet (2) :

« Alias super celebratione Missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicae licentia, necnon super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis et Religiosorum numero ultra reditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo, emanarunt ab hac Sac. Congreg. S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII illi specialiter attributa, quamplura decreta tenoris sequentis :

1. « § I. Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis aut piorum eleemosynis, impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera

(1) In *Congregationis Passionis D. N. J. C., 16 Dec. 1893*, proposita fuerunt S. C. C. sequentia dubia : « 1° An decreta super celebratione Missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi, etc., emanata a S. C. S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum ac inserta ab Innocentio PP. XII in sua const. diei *23 Nov. 1697* quae incipit *Nuper*, obligent, cum poenis in eisdem decretis contentis, non solum in Italia et insulis adjacentibus, sed etiam in aliis regionibus in casu ; 2° An haberi debeat legitime celebratum capitulum provinciale extra Italiam, cui interfuit cum voce activa et passiva quidam superior localis qui ob meram oblivionem, prout ipse ait, secum non detulerat attestationem ab omnibus sacerdotibus sui recessus subscriptam et juratam de Missarum onerum integra satisfactione in casu ». S. C. C. reposuit : « Ad 1um : Affirmative. Ad 2um : Pro gratia sanationis ad cautelam ».

(2) Ex decretis Urbani VIII, dubiis et responsis S. C. C., ab Innocentio XII relatis et confirmatis, praetermittimus quae ad SSmam Eucharistiam directe non referuntur.

Missarum in dies suscipiantur : indeque fiat, ut depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus ac christifideles gravi scandalo affecti plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur: cumque his malis maximum inter cetera fomentum praebeat, aut quod ii qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductas iri : aut quod ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento : aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, et reditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur, Sac. Congreg. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, animadvertens facturam se rem Deo gratissimam charitatique ac justitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat, hunc teterrimum abusum e christiana republica convellere atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani divina providentia Papae VIII auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit :

2. « § II. Ac primo districte prohibet atque interdicit, ne Episcopi in dioecesana synodo, aut Generales in capitulis generalibus vel alias quoquomodo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis : sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur : alioquin reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit (1).

3. « § III. Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, stipendia quantumcumque incongrua et exigua sive ab una sive a pluribus personis collata fuerunt aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, collegiis, capitulis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, domibus ac locis piis quibuscumque, tam saecularibus, quam regularibus, Sac. Congreg. sub obtestatione divini judicii mandat ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae

(1) Nisi Episcopi aut Generales Ordinum indultum a Sede Apostolica obtinuerint (*n. 617 sequ.*). Hoc indultum numquam conceditur perpetuum seu indeterminatum, sed vel pro una vice, vel pro definito tempore, *e. g.*, triennio.

eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.

4. « § IV. Id vero, ut deinceps observetur exactius, Sac. Congreg. eadem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis ac locis piis, tam saecularibus, quam regularibus cujuscumque ordinis, congregationis et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

5. « § V. Et similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

6. « § VI. Praeterea, ne in ecclesiis in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla aut parva sint utilitate conjuncta, statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus ac locis omnibus, tam saecularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes aedem sacram vel personam fide ac facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris quod illis annexum reperitur.

7. « § VII. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem poena, ut supra, deponi atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.

8. « § VIII. Ad haec Sac.Congreg. quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum locorum,tam saecularium,quam regularium Superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum : saeculares quidem sine Episcopi vel ejus Generalis Vicarii; regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia

in scriptis et gratis concedenda : alioquin saecularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso ; regularis vero poenam privationis omnium officiorum quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda vocisque activae et passivae absque alia declaratione incurrat.

9. « § IX. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant ; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illa — *Eleemosyna pro Missis* — vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

10. « § X. Episcopus vero seu ejus Vicarius, aut Generalis vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique ecclesiae, monasterio, aut loco pio incumbentibus : nec antea assensum hujusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes, tam novi oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut reditus qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusque civitatis vel provinciae : intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die se hujus praetermissi muneris rationem esse reddituros (1)..... ».

21. Excitatis autem super praemissorum decretorum intelligentia seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congreg., simili auctoritate illi a praefato Urbano Papa VIII, specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendae :

« I. Super primo Sac. Congreg. decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, ne Episcopi in dioecesana synodo, aut Generales in capitulis generalibus vel alias quoquomodo redu-

(1) Episcopus aliique non possunt sine apostolico indulto licentiam acceptandi nova Missarum onera concedere. In *S. Galli, 1 Sept. 1894*, S.C.C. reposuit : « Pro facultate excipiendi nova legata ad decennium, et quatenus tum vetera tum recentiora adimpleri nequeant in ecclesia cui oblata sunt, eadem transferendi ad alias ecclesias intra tamen dioecesim ; excepto casu in quo oblator expresse designaret ecclesiam vel altare ob specialem ecclesiae cultum ve ex speciali sua devotione ».

cant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; quaeritur, quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

« Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

« II. Super secundo ejusdem Congreg. decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missae, quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fuerint; quaeritur, an verba illa: *Praescriptae fuerint*, intelligenda sint de praescriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

« III. An, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente praescriptas celebrare?

« IV. An sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellae, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis aut defunctorum recipere, et unico Missae sacrificio utrique oneri satisfacere?

« V. Posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missae, absque ulla praescriptione eleemosynae; quaeritur, an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

« VI. Super tertio Congreg. decreto, in quo eadem Congreg. revocat privilegia quibus indulgetur, ut certarum Missarum vel anniversariorum celebratione aut aliquibus collectis seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat; quaeritur, an verba: *In futurum suscipiendis*, intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

« VII. Super quarto eiusdem Congreg. decreto, quo prohibetur sacerdoti qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat; quaeritur, an permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam elemosynarum portionem pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium?

« VIII. An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum; idest, an rector beneficii qui potest per

alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficii.....

« X. An sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis quibus Missas celebrandas committunt ; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam.

« XI. Super quinto ejusdem Congreg. decreto, quo inter cetera statuitur in haec verba : *Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant : alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis et capsulas auferant*, etc. ; quaeritur, an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii qui acceptis non satisfecerunt : et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere ?

« XII. Quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos Missam celebret, cum primum poterit ?

« XIII. An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto afficiant tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos qui non auferunt capsulas ab ecclesiis, ut ibidem praecipitur ?

« XIV. An in hoc decreto comprehendantur illae capsulae quae apponi solent in ecclesiis in die Commemorationis Omnium Defunctorum et vulgo dicuntur *casse de morti* ?

« XV. An administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiae et devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur ?

« XVI. Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum, piorum locorum, tam saecularium, quam regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali : *et aliis ad quos pertinet*, supplicatur pro opportuna declaratione..... ».

22. Sac. Congreg. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, videlicet :

« Ad I. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra, impositi, ab iis ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet,

quod magis in Domino e re esse judicaverit. Verumtamen, si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

« Ad II. Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario ; quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius, secundum morem civitatis vel provinciae.

« Ad III. Teneri.

« Ad IV. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellae, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

« Ad V. Censuit, ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem civitatis vel provinciae.

« Ad VI. Ita esse intelligenda.

« Ad VII. Respondit,permittendum non esse,ut ecclesia ac loca pia seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint : et tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae sacrificio necessario sunt subeundae ; et nihilominus, eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis quae supersunt, expensis, ut supra, deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

« Ad VIII. Non habere locum, sed satis esse, ut rector beneficii qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam,secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.....

« Ad X. Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse (1).

« Ad XI. Respondit, non prohibere absolute : ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam

(1) Nisi de consensu oblatorum (*n.571* in fine).Insuper vide *n.602 sequ.*

onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

« Ad XII. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis, juxta benefactoris consensum celebrandis.

« Ad XIII. Has poenas non habere locum, nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis vel Provincialis.

« Ad XIV. Comprehendi.

« Ad XV. Non posse, nisi de consensu eorum qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad XII.

« Ad XVI. Comprehendi etiam privatos sacerdotes (1)... ».

23. Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quamplures querelae et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congreg. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum hujusmodi detestabiles abusus e christiana republica pro viribus evellere ac opportune providere, ut, sublatis fraudibus ac emendata negligentia, piae disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta praestentur suffragia, itidemque Deo major gloria et Ecclesiae praestantior cultus reddatur, praevia auctoritate per SSmum D. N. Innocentium divina providentia PP. XII ei specialiter attributa, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata et postea in generali hujusmodi Cardinalium Congregatione mature et accurate discussa, recognita et examinata edidit.

24. In primis praeinserta decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat, omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit ac ab omnibus et singulis, etiam speciali et individuali nota seu expressione dignis, penitus observari et omnimodae executioni demandari decernit, sancit et praecipit.

25. Insuper, ut in re tanti momenti consultius ac majori, ut par est, circumspectione procedatur : si qui forsan fuerint vel sint,

(1) Quando S. C.C. praecedentia decreta et responsa edidit, munere Secretarii fungebatur celebris Prosper Fagnanus.

qui suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittant sub malitiosa vel irrationabili spe earumdem condonationem vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi, Congreg. praefata tum eosdem, tum quoscumque alios qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones ab eadem Sede nonnisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta Fabrica, utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili et cum clausulis opportunis et praesertim cum illa : *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur*, admitti consuevisse et solere : quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congreg. tales intentiones, opiniones, seu spes, ac eleemosynarum sive in toto sive in parte versiones in alium quam praefatarum Missarum usum seu satisfactionem, et quascumque alias directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones declarat prorsus irrationabiles, injustas et illicitas illasque omnino reprobat et damnat et interdicit.

26. Cumque hujusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli rectores, superiores et ministri quarumcumque tum saecularium, tum regularium ecclesiarum, seu illarum capitula, ne onera seu Missas tum perpetuas tum temporales tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant ; utque idipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium literis perspicuis et intelligibilibus descriptorum ; et quorum implemento, si moraliter et intra praescriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint seu credere debuerint, alias Missas sive perpetuas sive temporales sive manuales per se vel per interpositas personas quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant, seu abstineant ; et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis Missis acceptandis et celebrandis impares esse.

27. Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere ; ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum, quam istarum

adimplementum, et eleemosynas distincte ac diligenter annotare, et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere, ac omnes et singulas rationes hujusmodi in praefatis respective libris simili distinctione et diligentia, tam praefati a quibus rationes debent reddi, quam Superiores quibus reddendae erunt, describere sive annotare sive describendas vel annotandas respective curare.

28. Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares praedicti omnes et quascumque eleemosynas tam manualium tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in [illegible] particulari sub duabus clavibus, quarum una penes Superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione Missarum, coram patribus discretis seu consiliariis vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

29. Quod si praedicti, ad quos cura tabellae, capsae et librorum praefatorum respective pertinet seu pertinere debet, suum operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et Superiores tum saecularium tum regularium ecclesiarum rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod praefati, qui in curam tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus saeculares poenam suspensionis incurrant, regulares vero voce activa et passiva ac gradibus et officiis quae obtinent, ipso facto et absque alia declaratione privati sint et intelligantur, necnon ad hujusmodi gradus et officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint et intelligantur.

30. Porro, ne ullo unquam tempore omnia et singula decreta praedicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula ecclesiarum saecularium illa retineant publice exposita in eorum sacrario; superiores vero locales cujuscumque monasterii, conventus ac domus regularis curare et efficere teneantur sub poena privationis officiorum quae obtinent, vocisque activae et passivae ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae tum insertae seu confirmatae, tum in praesens factae ordinationes una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

31. Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis et

in ecclesiis quoquomodo, etiam in vim decretorum Conc. Trid., sibi subjectis, Missae ea qua par est, fide et diligentia celebrentur; et cuncta et singula decreta hujusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum justitiam requirentibus seu instantibus reddentes, sed ex officio tum in visitationibus, tum in aliis actibus et modis quos expedire et convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur.

32. Caveant etiam respective omnes Regulares, tum Superiores quicumque, nedum locales, sed etiam Provinciales et Generales, ne Missarum celebratio et omnium decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praejudicio illarum quibus Missae sunt applicandae et cum magno Christifidelium scandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, seu pervertantur; alioquin ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae et passivae ac graduum et officiorum quae obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

33. Curent propterea praefati superiores regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte, etiam per inquisitionem, animadvertere; et insuper teneantur omnes et singuli superiores locales in provincialibus capitulis seu congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii, seu cujuscumque domus regularis subscriptam et juratam, quod omnibus et singulis tam perpetuis quam manualibus Missarum oneribus seu obligationibus, ad limites et tenorem horum praesentium decretorum, tempore regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum; vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam huiusmodi residuali implemento Missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adjecta et omnino adimplenda conditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis capitulis seu congregationibus omnino habere non valeant.

34. Praeterea Provinciales, Vicarii et Visitatores provinciarum, seu congregationum debebunt in fine eorum regiminis superioribus generalibus in forma probante ostendere; quod executioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint; et ad eorum tenorem in omnibus et singulis conventibus seu monasteriis, vel domibus regularibus provinciae seu congregationis, de omnibus

et singulis oneribus et obligationibus, ac insimul satisfactionibus Missarum exactam et diligentem rationem exegerint; ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective poenarum in decretis contentarum processerint; et de adimplemento circa ea quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint; alias ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus nullatenus admittantur.

35. Ceterum, quia etiam ad quamplures archiconfraternitates, confraternitates, societates, congregationes, hospitalia, altaria, capellas, oratoria et ecclesias, ac alia loca et opera pia, quomodolibet nuncupata, cuicumque curae seu regimini aut administrationi vel directioni laicorum cujuslibet gradus, status, conditionis, et praeeminentiae, etiam speciali et individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque ecclesiasticorum et laicorum hujusmodi mixtim commendata, annexa, seu quomodocumque commissa, vel attributa sunt, onus seu cura celebrationis Missarum sive manualium sive ad tempus vel in perpetuum pertineat: hinc, salvis semper iis quae in praeinsertis decretis continentur, omnes et quicumque hujusmodi archiconfraternitatum, societatum et congregationum, hospitalium, altarium, capellarum, oratoriorum et ecclesiarum, ac aliorum locorum et operum piorum rectores, seu administratores, vel directores, et alii hujusmodi officiales, necnon ii ad quos cura tabellae et librorum in praemissis spectat, tabellam, libros et haec decreta respective, juxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis ad quos pertinet, reddere, sub poenis arbitrio et in subsidium, excommunicationis, teneantur (1).

36. Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis cujuscumque ordinis, status, gradus, regulae, congregationis, societatis, conditionis et dignitatis existant, quam laicis, quocumque honore ac potestate praeditis omnia et singula praemissa decreta interpretandi, necnon ecclesiasticis praedictis poenas in hujusmodi decretis (statutas) relaxandi, seu quoquo modo circa praemissa dispensandi omnis et quaecumque facultas erit penitus interdicta.....

Datum Romae die *23 Novembris 1697*.

(1) Vide insuper quae hac de re eadem S. C. C. recenter constituit in decreto *Vigilanti* (*n. 572*).

ALLEGATUM IV

INSTRUCTIO CLEMENTINA PRO QUADRAGINTA HORARUM EXPOSITIONE ROMAE FACIENDA (1).

Instructio et ordines servandi in perpetua quadraginta horarum oratione cum expositione SSmi Sacramenti propter S. Ecclesiae necessitates, ad piam mentem Summorum Pontificum, denuo confirmata et edita jussu D. N. Clementis PP. XII.

Prosper tituli S. Silvestri in Capite S. R. E. Cardinalis Marefoschi Sanctitatis D. N. Vicarius Generalis.

1. Cum ab eo tempore quo introduci caepit expositio SSmi Sacramenti per perpetuam quadraginta horarum expositionem, plura praescripta fuerint quae decorem hujus functionis spectant, ut hujusmodi praescriptiones rite serventur et abusus in aliquibus ecclesiis introducti removeantur, expresso Sanctitatis D. N. jussu, nobis oraculo vivae vocis patefacto, decernimus atque mandamus, in omnibus ecclesiis hujus civitatis tam patriarchalibus quam collegiatis et parochialibus et in quacumque alia ecclesia tum saeculari tum regulari quomodocumque privilegiata et speciali mentione digna, in qua praedicta fiet quadraginta horarum oratio, omnia inviolabiliter observari quae in hac novissima Instructione praescribuntur sub poenis infra notatis.

2. Super valvas Ecclesiae in qua expositio facienda erit, et ad caput propinquae viae mittetur signum SSmi Sacramenti, sertis ornatum, quo fideles transeuntes admoneantur in Ecclesia SSmum Sacramentum expositum esse.

3. SSmum Sacramentum exponendum erit in altari majori, exceptis basilicis patriarchalibus in quibus exponi solet in alio altari : velabitur imago vel statua ejusdem, si quae erit ; item parietes tribunae aliique altari proximi, si ornamenta perma-

(1) Haec instructio ex italica in latinam linguam versa est. Vide *n. 1032*.

nentia non habent, telis sericis cooperientur, quae non contineant historias resve profanas.

4. In altari non apponantur reliquiae aut statuae Sanctorum (exceptis Angelorum statuis quae candelabrorum vices gerunt) et multo minus imagines quaecumque animarum in purgatorio degentium; quod prohibetur etiam in particularibus expositionibus, licet in suffragium earumdem animarum fiant.

5. Super idem altare in eminenti loco adsit tabernaculum seu thronus cum baldachino proportionato albi coloris : in basi throni ponatur corporale super quod collocabitur ostensorium seu custodia, cujus orbis erit circumdatus radiis, et nullum aderit ornamentum quod visionem SSmi impediat.

6. Super altare continuo ardeant ad minus viginti lumina; idest sex candelae unius librae (tres in unaquaque crucis parte); octo in parte superiori; quatuor in ostensorii lateribus; in parte posteriori ostensorii nullum omnino lumen apponatur; tandem duo ad minus trium librarum in magnis candelabris. Etiam noctu, clausis ecclesiae januis, totidem collucescant lumina : sero antequam januae ecclesiae claudantur, ponantur lumina ad confusionem evitandam. Fenestrae quae altare expositionis circumstant, poterunt etiam in die obscurari, ut adstantium mens orationi magis intenta sit.

7. Nemo ex laicis, licet veste cujuscumque societatis indutus, audeat expositionis altare circumire, lumina disponens vel quidquam aliud praestans : hoc enim munus reservatur sacerdoti vel saltem clerico cum superpelliceo; quod etiam religiosi cujuscumque Ordinis super proprium habitum gestare debebunt : insuper notandum omnes cujuscumque conditionis et ordinis qui ad SSmum Sacramentum expositum accedunt vel ab eo recedunt, ex decreto S. R. C. in *Urbis, 19 Aug. 1631*, debere utrumque flectere genu. Sacerdos autem, Missam privatam celebraturus, transiens ante altare ubi expositum est SSmum Sacramentum, ex decreto ejusdem S. C. in *Urbis, 7 Sept. 1638*, post adorationem utroque genu factam, nudo capite, surgens caput cooperit.

8. Tempore expositionis ad ecclesiae januam interius vel exterius, prout commodius erit, apponatur velum, januam claudens, ita tamen ut a lateribus sufficienter pro populi commoditate sublevari queat, atque impediens ne SSmum Sacramentum e via conspici possit.

9. Unus vel duo ex sacerdotibus, aut saltem ex clericis in sacris ordinibus constitutis, si haberi possunt, superpelliceo induti

(etsi sint Regulares) continuo assistant genuflexi non in genuflexoriis, sed ad scamnum coopertum tapete seu panno rubro aut alterius coloris, decentisque qualitatis, propre infimum altaris gradum, orantes diu noctuque per turnum. In ecclesiis ubi aliqua est confraternitas, assistant pariter per turnum duo saltem confratres, ad scamnum coopertum panno viridi aut alterius coloris convenientis, sed extra presbyterium, longe ab ecclesiasticis supranominatis, orantes devote ut aedificationi, ac submissa voce ne aliis distractioni sint.

10. In sacrario sit horologium (saltem pulvere motum) quo turnus determinatur ; et qualibet hora dabitur signum pulsatione majoris campanae diu noctuque.

11. Vespere ante expositionis diem, post salutationis angelicae signum, solemniter pulsentur campanae, ut populus moneatur ; item mane ad solis ortum et post omnia consueta signa salutationis angelicae tempore expositionis ; tum etiam tribus iteratis vicibus, uti assolet, ante Missas solemnes.

12. In altari ubi expositum est SSmum Sacramentum ne alia celebretur Missa praeter solemnes expositionis et repositionis ; in his autem duobus diebus,praeter conventualem (ubi celebrari debet), celebrabitur post nonam Missa SSmi Sacramenti votiva pro re gravi ; exceptis tamen dominicis primae aut secundae classis ; omnibus diebus in quibus juxta Kalendarium sive universale sive particulare ecclesiae expositionis fit officium pariter primae aut secundae classis ; feria IV cinerum, feria II, III, IV majoris hebdomadae , omnibus diebus octavae Paschatis et Pentecostes ; vigilia Nativitatis, Pentecostes et octava Epiphaniae : in his enim dominicis diebus et feriis exceptis cantabitur Missa conventualis cum oratione SSmi Sacramenti *sub unica conclusione* idque inviolabiliter servabitur in omnibus ecclesiis tum saecularibus tum regularibus.

13. In die medio, praeter Missam conventualem, celebrari debebit post nonam Missa votiva *pro pace* vel alia quam D. N. jusserit, prout notabitur in tabella quadraginta horarum, cum iisdem exceptionibus praedictorum dierum eademque regula quoad orationem.

14. In ecclesiis non collegiatis et ubi obligatio non est celebrandi Missam conventualem, in dicto medio die una celebrari debebit Missa praefata votiva, cum exceptione et regula supra praescripta pro Missa SSmi Sacramenti ; haec vero celebrari debebit in alio altari, praeter altare expositionis illudve in quo est tabernaculum cum SSmo Sacramento incluso. Etiam Missa

conventualis in ecclesiis quae ad ejusdem celebrationem adstringuntur, celebrari debebit in alio altari, ut supra.

15. Expresse praecipitur Missas in die expositionis, medio et repositionis esse celebrandas cum ministris paratis et non aliter, etiam in ecclesiis Regularium, non obstante quocumque eorumdem usu vel consuetudine in contrarium.

16. In Missis privatis quae tempore expositionis celebrantur tintinnabulum pulsandum non est momento elevationis ; sed solum, cum celebrans e sacrario egreditur, parvulum signum detur cum solita campanula.

17. Tempore quo oratio quadraginta horarum perduraverit, Missae *de requie* ne celebrentur ; et Missae de SSmo Sacramento quae diebus a Rubrica permissis celebrabuntur, erunt mere votivae sine *Gloria* et *Credo*. In aliis Missis privatis occurrentibus, post orationes praescriptas a Rubrica, addetur jussu D. N. oratio de SSmo Sacramento.

18. Celebrans, si SSmum Sacramentum in processione deferre debet, assumet pluviale album, dummodo Missam non celebraverit cum paramentis alterius coloris, quia in tali casu color Missae perdurabit ; sed in omni casu velum humerale erit coloris albi, etsi SSmum Sacramentum deferri debeat feria VI majoris hebdomadae ; paramenta ministrorum sacrorum erunt ejusdem coloris ac paramenta celebrantis, ut supra. Pariter pallium altaris expositionis erit semper coloris albi, etsi Missa solemnis ibi celebretur in alio colore : item baldachinum in processione erit semper ejusdem albi coloris.

19. Absoluta Missa solemni pro expositione, celebrans ac ministri, post debitas Sacramento reverentias, secedunt e cornu epistolae ; ubi celebrans (item et ministri) deponet manipulum et casulam, assumens pluviale ; ponet absque benedictione incensum in duobus thuribulis ; ac deinde, genuflexus una cum ministris in medio altaris, ter incensabit SSmum. In fine processionis (quae anticipate instruetur, scilicet post elevationem SSmi vel etiam ante, prouti fuerit plus minusve numerosa) diaconus, tempore congruo, facta genuflexione in suppedaneo, suscipiet Sacramentum stansque tradet celebranti genuflexo ac statim genuflectet : celebrans illud accipiet manibus extremitatibus veli humeralis coopertis et surget. Cum a cantoribus intonari coeperit hymnus : *Pange lingua*, celebrans descendet supponens se baldachino, recitans voce submissa psalmos et hymnos una cum ministris sustinentibus fimbrias pluvialis.

20. Totus ecclesiae clerus processioni aderit ; crucifer in hac

functione non induet habitum subdiaconalem, sed superpelliceum. Octo ad minus sacerdotes cum superpelliceo, intortitia accensa in manibus gerentes, aderunt, qui incedent hinc inde ante baldachinum; et post ipsos sequentur duo acolythi cum thuribulis, SSmum in via continuo thurificantes; et durante processione campanae solemniter pulsabuntur.

21. Processio per ecclesiae ambitum fiet aut ad summum per plateam, si ecclesiae angustia id exigat: quo in casu via plateae bene mundetur et claudantur officinae, si quae in platea sunt.

22. Si laicorum confraternitates, sive habitu proprio utentes, sive non, in loco institutae sunt, earumdem guardiani et officiales ac confratres omnes procedent una simul ante clerum saecularem et regularem, cui semper debebunt digniorem cedere locum. Praeterea expresse vetatur ne earumdem guardiani et officiales sub nullo consuetudinis aliove praetextu umquam audeant incedere post baldachinum sub poena vigintiquinque scutatorum in quemlibet confraternitatis confratrem, guardianum vel officialem qui hanc dispositionem violabit, conformiter edicto publicato *an. 1689*; quae summa applicabitur eidem confraternitati, si pauper est, vel monti SSmi Viatici, arbitrio nostro. Primicerius autem incedere debebit post baldachinum, indutus suo habitu praelatitio et rocchetto, si ejusdem usu gaudet, non autem in veste confraternitatis. Officiales autem possunt hastas baldachini tenere; officium perhonorificum, ad quod, ait *Caeremoniale episcoporum, lib. II, cap. XXXIII*: *Deputentur viri nobiles Barones*, etc.

23. Praeterea sub poenis in praecitato edicto contentis, nempe viginti quinque scutatorum in Superiores et Rectores ecclesiarum saecularium, et privationis vocis activae et passivae in Superiores Regulares, aliisque arbitrio nostro infligendis, omnibus saecularibus et regularibus clericis praecipimus ne in suis ecclesiis sinant praemissas regulas infringi. Quod si quis id audeat, sciat, praeter memoratas poenas, ipso facto se privari officio; guardianum vel guardianos et officiales has regulas infringentes ex sodalitatis albo expungi; ipsamque confraternitatem et ecclesiam prohiberi ab hac sancta expositione peragenda, donec a nobis in hac licentia reintegretur. Notum etiam fit illum qui hos abusus denuntiabit, accepturum esse medietatem poenalis summae ejusque denuntiationem secretam mansuram esse. Volumus tandem ut praedicta dispositio servetur in omnibus processionibus et expositionibus particularibus.

24. Cum processio in ecclesiam redierit, celebransque ad infi-

mum altaris gradum pervenerit, diaconus genuflexus recipit SSmum ab eodem celebrante (qui immediate genuflectet, deponens velum humerale), illud ponet in basi throni et, factis debitis reverentiis, rediet ad locum suum. Cantores devote ac lente intonabunt: *Tantum ergo*, et ad versiculum: *Genitori Genitoque*, celebrans, una cum ministris surgens, in medio altaris immittet in thuribulum incensum absque benedictione et genuflexus ter Sacramentum thurificabit. Expleto hymno, praetermissis versiculis: *Panem de coelo*, etc., cantores intonabunt litanias quae prostant in libro pro oratione quadraginta horarum impresso (qui liber absque ulla immutatione adhiberi etiam debebit in omnibus expositionibus particularibus). Post has preces, celebrans surgens, ministris librum sustinentibus, absque alia genuflexione, junctis manibus, cantabit versiculos: *Dominus vobiscum*, etc., cum orationibus: quibus expletis, breviter orabunt et postea recedent, capite discooperto, per congruam a SSmo Sacramento distantiam. Hoc modo initium fit orationi quadraginta horarum.

25. Celebrans non utatur sede camerali, uti habetur in decreto S. R. C., sed scamno brachiis carente cum postergali ornato panno rubro vel alterius decentis coloris, in quo una cum ministris sedebit. Multo minus umquam sedibus cameralibus in ecclesiis uti poterunt guardiani, deputati et officiales confraternitatum, societatum, congregationum laicalium; sed sedebunt in scamno cum postergali absque lateralibus brachiis, cussinis, gradibus, genuflexoriis, cooperto panno non serico et posito omnino extra presbyterium, quando assistunt Missis vel vesperis solemnibus vel quando in presbyterio aliqua caeremonia sacra a clero peragitur, juxta plura S. R. C. decreta et nominatim decretum generale diei *13 Martii 1688*, sub poenis superius § **22**, **23**, indicatis. Primicerius autem sedebit in presbyterio a cornu evangelii in scamno cooperto panno, suo habitu praelatitio indutus, prout dictum est § **22**.

26. Quod si ecclesiae structura non exhibet locum congruum extra presbyterium, in hoc necessitatis casu ad Nos recurrendum erit, qui, magistris pontificiarum caeremoniarum consultis, permittemus ut scamnum guardianorum extra presbyterii terminos ponatur e conspectu presbyterii in cornu epistolae vel in cornu evangelii.

27. Expresse vetatur ne viri et mulieres cujuscumque status et conditionis (exceptis personis regalibus, si quae sunt) pro adoratione presbyterium seu septa altaris in quo Venerabile exposi-

tum est, sub quocumque praetextu ingrediantur, cum hic locus reservatus sit clericis ministerio divino vel assistentiae orationis destinatis. Id autem servandum erit non solum in ecclesiis ordinariae expositionis, sed etiam in omnibus aliis in quibus ex indulto apostolico vel alia legitima licentia expositio etiam ad breve tempus facienda erit ; et huic rei vigilabunt Superiores vel Sacristae, etiam per appositionem scamnorum, si opus fuerit. Praeterea Rectoribus et Superioribus sive saecularibus sive regularibus cujuscumque ecclesiae jubemus atque mandamus, ne sediarum quarumcumque introductionem in Ecclesiam cuicumque personae cujuscumque sexus, gradus,conditionis permittant, sub poenis pro Rectoribus saecularibus decem scutatorum usibus piis applicandorum, tertia parte accusatori reservata ; et pro Rectoribus regularibus privationis vocis activae et passivae, aliisque arbitrio nostro infligendis.

28. In ecclesiis ubi expositio etiam particularis fit, non erunt lances pro eleemosynis colligendis ; pro earumdem collectione ibi non assistent religiosi aliaeve ecclesiasticae seu laicales personae ; nec clerici, confratres, mandatarii aliive ecclesiam circumibunt, eleemosynas sollicitantes. Multo magis id prohibetur pauperibus, qui extra ecclesiam stabunt per spatium decem cannarum, sub poenis contentis in edicto seorsim typis edito. Hinc superiores, sacristae ac executores assistentes curent ne ecclesiam ingrediantur, fideles orationi intentos distrahentes, cum benefactores eisdem eleemosynas praebere valeant extra ecclesiam, quod s. m. Clemens XI speciali edicto jussit, prohibens eleemosynas pauperibus elargiri in ecclesia.

29. Sedulo adverti debet ne oratio in una ecclesia terminetur priusquam in alia incipiatur ; idque servabitur in quolibet ecclesia etiam basilica et collegiata aut quomodocumque privilegiata.

30. Missa repositionis absoluta, celebrans assumet pluviale (servans respective ritum supra descriptum post Missam expositionis), et una cum ministris genuflectet ante SSmum Sacramentum in medio in infimo altaris gradu. Cantores statim incipient litanias usque ad versiculum : *Domine, exaudi orationem meam*, inclusive. Deinde sacerdos cum ministris surgens in medio ponet incensum absque benedictione, et genuflexus ter thurificabit SSmum Sacramentum, et assumet velum humerale. Thurificatione peracta, diaconus cum debitis reverentiis e throno descendet Sacramentum, et immediate stans illud tradet celebranti genuflexo, statim et ipse genuflectens. Deinde respective serventur ea quae pro expositione praescripta sunt circa caeremonias, ritum processionis, etc.

31. Cum celebrans post processionem redierit ad infimum altaris gradum, diaconus genuflexus ab eodem stante recipiet SSmum, ante quem celebrans statim genuflectet et deponet velum humerale. Diaconus illum collocabit super corporale in medio altaris et redibit ad locum suum. Celebrans ad versiculum : *Genitori genitoque*, surgens cum ministris, ponet, ut supra, incensum sine benedictione ; et postquam Sacramentum thurificaverit, cantores dicent versiculum : *Panem de coelo*, etc. (cui addetur *alleluia* solum tempore paschali et per totam octavam festivitatis Corporis Christi in qualibet expositione). Celebrans surgens, absque nova genuflexione, ministris librum sustinentibus (quin dicat : *Dominus vobiscum*, ex decreto S. R. C.), junctis manibus, cum cantu recitabit orationes ; quibus absolutis, genuflexus assumet velum humerale, et ascendens solus ad altare, factis debitis reverentiis, in manibus coopertis, ut dictum est, extremitatibus veli humeralis assumet Ostensorium et cum eodem benedicet populo, rursus Sacramentum reponet super corporale, descendet et genuflexus stabit in loco suo. Immediate diaconus vel sacerdos cum stola, factis debitis reverentiis, claudet Sacramentum in tabernaculo ; quod proinde erit in altari expositionis, hostiaque consecrata consumabitur in Missa vel eodem vel sequenti mane celebrata. Tandem omnes recedunt ; et ita finem habet oratio quadraginta horarum.

32. Tempore hujus expositionis expresse prohibetur praedicare; quod si post vesperas brevis concio fieri velit ad excitandam in fidelibus devotionem erga SSmum Sacramentum, a Nobis vel a nostro Vices-gerente licentia ac benedictio peti debebit etiam pro ecclesiis Regularium et quomodocumque privilegiatis, non solum in expositione quadraginta horarum, sed in qualibet alia expositione ; quae licentia dabitur in scriptis. Concionator vero erit saltem in ordine diaconatus constitutus, superpelliceo indutus, licet sit Regularis, sed sine stola, nudo capite, prope altare expositionis, tali loco ut circumstantes non cogantur terga irreverenter vertere erga SSmum Sacramentum.

33. Januae ecclesiae in qua fit oratio quadraginta horarum sero apertae patere debent, donec populus adorans aderit : sed quoniam in hoc hora determinata indicari nequit sive propter ecclesiarum situm sive propter temporum varietatem, hinc aestivo tempore claudi poterunt circa horam tertiam, hyemali circa horam quintam. At, januis clausis, oratio continuare debet, ut dictum est § *9*, cum oratio quadraginta horarum ex decreto S. R. C. numquam interrumpi debeat.

34. In qualibet Urbis ecclesia loco patenti affigatur elenchus quadraginta horarum ad devotorum fidelium notitiam.

35. Pariter omnes ecclesiae determinatae pro expositione hanc instructionem in sacrario affixam continuo habere debent, ut nemo ignorantiam regularum ac praeceptorum in eadem contentorum allegare possit.

36. Nullus Rector, Parochus vel Sacrista extra ordinem in albo quadraginta horarum indicatum, audebit SSmum Sacramentum sub consuetudinis praetextu aliove propter quamcumque causam gravem aut pro infirmis exponere absque speciali Brevi Sanctitatis Suae aut saltem absque licentia a Nobis vel a nostro Vicègerente concessa ac subsignata a Deputato quadraginta horarum. Hac obtenta licentia, Venerabile in aliquo altari vel capella exponetur cum velo praeposito, eodemque viginti luminum numero ; et tempus exacte servetur quo expositio perdurare debet, in praedicta licentia indicatum, sub poenis infra notandis et officii privationis.

37. Denique expresse praecipitur ut omnes et singulae regulae suprapositae inviolabiliter observentur ; in reliquis omnibus obedientia praestetur nostro Deputato in expositionem quadraginta horarum. Alioquin magistri caeremoniarum qui functionibus assistent in quibus omnes caeremoniae ritusque praescripti servati non fuerint (qui caeremoniarum magistri sive in hac sive in alia qualibet solemni functione debent esse saltem in sacris constituti, juxta *Caeremoniale episcoporum, lib. I, cap. V*), aliique praecedentium regularum transgressores punientur mulcta decem scutatorum aureorum locis piis applicandorum ; Regulares vero privatione vocis activae et passivae, carcere et aliis gravioribus poenis arbitrio nostro ; et si inobedientia perdurat, etiam majori rigore procedemus in Superiores et Sacristas ad quos prae ceteris omnibus pertinet in harum regularum observantiam vigilare.

Datum Romae ex nostra consueta residentia die *1 Sept. 1736.*

7579

INDEX RERUM QUAE IN UTROQUE VOLUMINE CONTINENTUR

Numerus romanus indicat *volumen*, arabicus *numerum marginalem*.

A

Abbatis privilegia, II, 677 ; quoad ecclesiae dedicationem, I, 157 ; altaris consecrationem, 312.

Ablutio sacrae supellectilis, II, 758 ; manuum ante et post Missam, 843 ; ante ministrationem sacrae communionis, 1099 ; digitorum post purificationem calicis, 922.

Absys, I, 138.

Accidentia vide *Species*.

Acolythus Ordinis Praedicatorum alba utitur, II, 688.

Aedificatio ecclesiae, I, 125 sequ. Vide *Ecclesia*.

Agapa, I, 6.

Albae notio, origo et materia, II, 688, 689 ; benedictio, 709 sequ. ; quinam albam deferre nequeant, 705 ; locum tenet superpellicei, 1105.

Alleluja quando post graduale dici coeperit, II, 897 ; quando dici debeat in benedictione cum SSmo, 1061 ; et in ministratione sacrae communionis, 1106.

Altaris notio, I, 281 ; immobile seu fixum et mobile seu portatile, 282 sequ. ; privilegiatum seu locale seu personale, 286 ; quando censeatur fixum et portatile in ordine ad privilegium, 285 ; altaria in ecclesiis Graecis et Latinis, 284, 287, 288 ; altaris structura ex lapide unico et integro, etsi diversae formae, 289, 291, 294 ; ejus sepulchrum seu confessio et sigillum, 295 sequ. ; altaris mobilis et immobilis sepulchrum, 296 sequ. ; sigillum, 299 sequ. ; forma, 302 ; distantia a sepulchris, 303 sequ. ; imagines, 307 ; predella et baldachinum, 308 ; consecratio, 309 sequ. ; quando in altari consecrato apud Graecos et Latinos non deceat aut non liceat celebrare, 351 sequ. ; quid de celebratione in altari Graecorum pro Latinis, et viceversa, 352 ; utrum in altari in quo custoditur aut exponitur SSmum Sacramentum, Missa celebrari possit, 354, 355 ; quibus competat privilegium altaris portatilis, 265, 271, 272 ; altaris ornatus, II, 766 sequ. ; quale altare aptum sit vel non custodiae Eucharistiae, 984 sequ. ; altare expositionis quoad communionem ministrandam, 1086.

Ambo, I, 158.

Ambrosianus ritus quoad diem celebrationis Missarum, I, 69 ; quoad Missam in territorio alterius ritus, II, 842 ; quando in ritu Ambrosiano sacerdos recitet *Kyrie eleison*, 891.

Amen in ministratione ac receptione sacrae communionis, II, 1101.

Amictus notio, origo, materia, co-

lor, II, 686, 687; benedictio, 709 sequ.

Ampullae vide *Urceoli*.

Anniversarium defunctorum, II, 877. Praeterea vide *Festum*.

Annulus num et quibus liceat in Missae celebratione, I, 418, 419, 422; episcopalis, II, 735.

Antimensia Graecorum, I, 290.

Antipendium vide *Pallium altaris*.

Apostoli quando sacrificium Missae primo obtulerint, I, 97; quo altari usi, 289; quas vestes adhibuerint, II, 654; quamnam liturgiam, 841.

Applicatio Missae est actus voluntatis quo sacerdos intendit sacrificium offerre sive simpliciter sive ad determinatum finem pro aliquo vel aliquibus, I, 34, 466, 467; quousque perduret et quae applicatio praevaleat in casu mutatae voluntatis, 468; quid de Missa nemini applicata, 469; applicationis intentio quando facienda, 470; applicatio sub conditione de praeterito, praesenti et futuro, 471; aut cui error aliquis dederit causam, 472; persona aut finis debet esse determinatus et existens ut applicatio sit valida, 473 sequ.; num valeat applicatio pro eo qui primus moriturus est aut stipendium oblaturus, 477, 537; pro quibus fieri possit, 478 sequ.; applicatio quae dicitur secundae intentionis quomodo licite fiat, 490, 491; num Missa applicata uni aeque prosit ac pluribus, 492, 493; num applicatio includatur in petitione celebrationis Missae, 494.

Applicatio Missae ratione curae animarum debita, I, 496 sequ.; haec obligatio tenet Romanum Pontificem et episcopos vere dioecesanos, non alios, nec vicarios apostolicos, 497 sequ.; item parochos, et qui veniant heic nomine parochorum, 502 sequ.; num teneat superiores regulares, 506; quae obligatio applicandi sit pro episcopo habente duas dioeceses, pro abbate habente duas abbatias, pro parocho habente duas parochias, 508 sequ., 531; haec obligatio quando incipiat, 511; num exiguitas redituum vel consuetudo ab ea excuset, 512, 513; quibus diebus urgeat, 514, 515; quo die teneat si festum, applicationem secumferens, transferatur, 516 sequ.; saltem ex parte remitti potest a Romano Pontifice, 520; est affixa suis diebus, 521; sed jure communi non respicit Missam solemnem, 522; est personalis, a qua non eximit consuetudo, 523 sequ.; quae causae excusent a personali obligatione, 527 sequ.; tandem pro parochis est obligatio localis, 533; applicationis obligatio num se extendat ad tres Missas in die Nativitatis, 519; applicatio Missae a binantibus parochis aliisque sacerdotibus quomodo facienda, 395 sequ.; applicationis lex divino-ecclesiastica quoad Orientales, 534.

Applicatio ratione stipendii seu eleemosynae quoad originem, naturam et liceitatem, I, 535 sequ.; num facta intuitu stipendii sit simoniaca, 544; vel sit generatim illicita sacerdoti diviti, 545; applicatio cum eleemosyna in tribus Missis in die Nativitatis, 395, 546; num fieri possit in Missa celebrata cum episcopo ordinante, 547; et in Missa cujus celebratio sine applicatione alii debetur, 548; non licet in Missa applicanda alio titulo, 549; num liceat applicatio intentionis secundae de consensu dantis stipendium, 549. Quoad cetera vide *Stipendium*.

Applicatio tot Missarum fundatarum seu manualium quot praescriptae seu datae sunt, obligat ex justitia, non obstante exiguitate stipendii, neque unica Missa potest duabus intentionibus satisfieri, I, 584 sequ.; non tamen urget, deficientibus reditibus fundationis absque culpa

instituti aut beneficiati, 588 ; quomodo in hujusmodi Missis manualibus aut fundatis obligent determinatae circumstantiae loci, temporis, qualitatis Missae et ipsius personae celebrantis ut plene satisfiat, 590 sequ.

Applicatio ratione beneficii, I, 622 ; num possit interrumpi si sit quotidiana et quid faciendum in casu a beneficiato, 623 sequ. ; applicatio Missae conventualis in quibus capitulis, a quibus, pro quibus et quomodo sit facienda, 627 sequ. ; num si plures conventuales Missae dicendae sint, omnes applicari debeant pro benefactoribus in genere, 635.

Applicatio Missae ratione praecepti a quibus possit imponi, I, 636 sequ. ; applicatio contra praeceptum superioris valida, sed illicita, 639 : quomodo praeceptum sit interpretandum, 640.

Applicatio Missae ratione promissionis, I, 641 sequ.

Aqua vino quod consecratur, addenda, II, 821, 822.

Assistentia fidelium sacrificio Missae qualis sit actus cultus et num necessarius ipsi sacrificio, II, 930, 931 ; num utilior sit sine applicatione, quam applicatio sine assistentia, 932 ; quomodo impediatur ratione excommunicationis, interdicti, censurae loci vel ipsius assistentis aut celebrantis, 934 sequ., 961 ; quo Ecclesiae loco assistere possint aut debeant clerus, principes, dignitates, varii coetus personarum et simplices fideles, 937 sequ. ; num liceat in ecclesia locare sedilia, 940, 943.

Assistentia Missae quoad ejus obligationem. Num aliqua assistentia praecepta sit jure divino, II, 946, 947 ; est certe praecepta et quidem sub gravi ab Ecclesia, 948 sequ. ; quae praesentia physica vel moralis requiratur, 953 ; debet esse actus humanus et religiosus habens pro objecto totam Missae liturgiam ordinatam ac unitam, quicumque sit sacerdotis ritus aut Missae qualitas, 954 sequ., 961 ; qua parte Missae omissa, assistentia sit leviter, aut graviter illicita, aut insufficiens praecepto adimplendo, 958 ; quid in casu Missae non integre auditae, aut quae non possit integre audiri, 959, 960 ; quibus in locis juxta praesentem disciplinam satisfiat praecepto, 962 sequ. ; quinam obligentur ad hanc assistentiam, 965 ; quae causae ab eadem excusent, 966 sequ.

Attentio requisita in Missae celebratione, II, 839.

Aurora vide *Tempus*.

Azymus panis non est essentialis sacrificio eucharistico, II, 803 ; in Ecclesia Latina et nonnullis Ecclesiis Orientalibus adhibitus et adhibendus, II, 804, 805 ; utrum sacerdos Orientalis possit sacram communionem in azymo ministrare, 1094 : aut fidelis Orientalis recipere, 1178.

B

Baculus num et quibus liceat in Missa, I, 419, 423 ; II, 677, 678, 679 ; episcopalis, 734.

Baldachinum apponendum altaribus, I, 308 ; praesertim SSmi Sacramenti, II, 989 ; pro translatione Eucharistiae, 1016.

Beati num capaces sint applicationis Missae, I, 482.

Benedictio et impositio primarii lapidis ecclesiae, I, 136 ; benedictio simplex ecclesiae pertinet ad episcopum qui potest eam committere simplici sacerdoti, 156 ; in quo consistat essentialiter, 167. Quoad effectus vide *Dedicatio*.

Benedictio sacrorum indumentorum, II, 710 sequ. ; corporalis et pallae, 735 ; quibus competat jure proprio vel privilegio, 714 sequ. ; formula, 718, 719 ; quomodo amittatur, 720, 721 ; bene-

dictio indumentorum privative episcopalium, 735.
Benedictio cum sacra pyxide ex consuetudine dari potest post quamvis expositionem privatam, etiam pluries in die, II, 1057; quo ritu, 1058; solemnis cum ostensorio quando danda, 1059; quo ritu, 1060 sequ.; benedictio in processione Corporis Christi praescripta, non tamen saepius iteranda, 1053.
Benedictio post communionem ministratam extra Missam, 1107.
Benefactoribus in genere Missa conventualis applicanda, I, 627. Vide *Applicatio ratione beneficii*.
Beneficiati quoad obligationem applicandi Missam, vide *Applicatio ratione beneficii*.
Binatio Missae conceditur Vicariis Apostolicis a S. Sede et sacerdotibus, praesertim parochis, a suis episcopis vel a S. C. C. in casu necessitatis populi, I, 379, 380; in quibus casibus haec verificetur necessitas, 384 sequ.; ritus servandi quando binatur in eadem vel diversa ecclesia, in eodem vel diverso calice, 403 sequ.
Birretum, II, 736.
Bugia vide *Palmatoria*.
Bursa, II, 760; non adhibenda pro colligendis eleemosynis, 674; nec in receptione sacrae communionis, 1182.

C

Caeremoniae vide *Ritus*.
Caeremoniale Episcoporum, I, 61.
Caligae adhibendae in Missa, I, 415, 416; episcoporum solemniter celebrantium, II, 707.
Calicis origo, II, 739; species, 740; materia in antiqua et hodierna disciplina, 741 sequ.; forma, 749; consecratio, 750, 751; execratio, 752. Calicis usus prohibetur fidelibus in Ecclesia Latina, 1175; non autem in Ecclesia Orientali, 1177; a qua prohibitione Romanus Pontifex potest dispensare, 1176.
Campanula pro sacrificio Missae, II, 765.
Candelabra altaris, II, 776; quot adhibenda in Missis lectis, solemnibus, pontificalibus, 778 sequ.; eorum forma et materia, et utrum panno cooperiri valeant, 782.
Candelae quando accensae manere debeant tempore Missae et ex qua materia conficiendae, II, 783.
Canon Missae, I, 55; II, 909 sequ.; grave foret unam canonis orationem praetermittere, 844.
Cantus in Missa et regulae servandae, II, 835 sequ.; in expositione, 1044; et benedictione, 1061.
Capella vide *Oratorium*.
Capellania adnexum habens Missarum onus, vide *Applicatio Missae ratione beneficii*.
Cappa vide *Pluviale*.
Cardinales quoad privilegium altaris portatilis, I, 265; vestis, et pileoli, 416, 421; birreti rubri, II, 736; palmatoriae, 781; sacram communionem recipientes, 1101, 1132.
Catechumeni olim ab ecclesia pellebantur post symboli et homiliae recitationem, II, 900; non sunt sacrae communionis capaces, 1118; pro eis Missa applicari utique potest, I, 487.
Celebratio vide *Missa* et *Applicatio*.
Celebret, I, 363. Vide *Sacerdos*.
Cereus ad elevationem in Missa, II, 777.
Cessatio a divinis quid et quomodo impediat Missae celebrationem, I, 241, 242.
Chirothecae episcopales, II, 731, 707; chirothecae comprehenduntur sub generico ornamentorum pontificalium vocabulo, 678, 8°.
Ciborii notio, materia, forma, mundities, 1004 sequ.; benedictio, 1008; velo albo operiendum, 1009;

allatum post offertorium num valeat consecrari, 836.

Cinguli origo, materia, color, II, 690 ; num benedicendum, 710 ; quomodo benedictionem amittat, 720.

Clavis tabernaculi, II, 997 ; a quonam custodienda, 998 sequ. ; sepulchri feria V majoris hebdomadae, 1001 ; fenestellae per quam moniales communionem recipiunt, 1108.

Coena dominica, I, 6.

Colatorium ad vinum defaecandum, II, 761, 812.

Collectio vel collecta, II, 893 ; quaenam dicendae, 894 sequ.

Color sacrorum indumentorum quotuplex et qualis pro diversitate temporum et officiorum adhibendus, II, 693 sequ.

Coma fictitia num possit adhiberi a celebrante, I, 419, 420.

Commemorationes Papae, Episcoporum aliorumque in canone, II, 911 sequ.

Commendatitiae litterae ad celebrandum, I, 363.

Communio quandoque significat ipsum sacramentum eucharisticum, I, 6 ; sacerdotis est pars integralis tantum, 23 sequ.

Communio sacra triplex, II, 1066 sequ. ; sacramentalis a, quibus possit vel debeat ministrari, 1068 sequ. ; vide *Minister communionis*.

Communionis quinam sint jure divino aut ecclesiastico incapaces, II, 1116 sequ. ; non potest bis sumi eadem die, 1125, 1152 ; quibus petentibus deneganda, 1135, 1136 ; quomodo frequentari conveniat pro diversa dispositione animarum, 1137 sequ., 1174 ; est aliquando sumenda de praecepto divino, 1142 sequ. ; quinam hoc praecepto teneantur, 1145 ; et quando, 1146 sequ. ; de obligatione communicandi in periculo mortis, 1147 sequ. ; quid de moribundo qui paucis ante diebus aut eodem die communicavit sanus, 1151, 1152 ; num satisfiat divino praecepto communione sacrilega, 1153 ; quibus in casibus hoc praeceptum non urgeat ob periculum irreverentiae, 1154 ; de communione sumenda semel in anno Paschatis tempore ex praecepto ecclesiastico, 1155 sequ. ; et a clericis in feria V majoris hebdomadae in suis ecclesiis, 1159, 1160 ; quomodo computandum paschale tempus ad implendum praeceptum, 1156 ; communio paschalis recipienda est a proprio sacerdote idest in propria parochia, 1161 ; nec ei satisfit per communionem sacrilegam, 1163 ; quinam ad eam teneantur ex praecepto Conc. Later., 1165 sequ. ; quandonam hoc praeceptum urgere incipiat, seu aetas primae communionis, 1166 sequ. ; prima communio laudabiliter solemnius ministratur ; plures consuetudines circa eam reprobandae, 1170 ; ex lege dioecesana fieri debet in propria parochia, 1171 ; quibus poenis subjaceant negantes aut violantes annuae communionis praeceptum, 1172, 1173.

Communio sub utraque specie est materia disciplinaris subjecta Ecclesiae auctoritati, II, 1175, 1176 ; num plus gratiae conferat quam si fiat sub unica specie, 1191 ; quomodo observetur in Ecclesia Orientali, 1177.

Communio sub specie panis sumenda in azymo a Latinis, in fermentato a Graecis, II, 1178 ; nec potest ministrari in fermentato a sacerdote Latino, in azymo a Graeco, 1094.

Communio ante, post, intra et extra Missam ministrari potest in Ecclesia Occidentali, II, 1095 ; qui ritus servandi in ejus administratione, 1096 sequ., 1182 ; peculiaria pro communione monialium, 1108 ; et pro casu quo debet dari extra ecclesiam, 1109 sequ. ; aliquando occulte deferenda extra ecclesiam,

1112 sequ.; quando jure communi ministrari queat, 1085, 1090, 1091; et ubi, 1088; non est distribuenda generatim in altari expositionis SSmi Sacramenti, 1086; nec fidelibus nimium distantibus ab altari, 1087; quando et quibus liceat ministrari in loco subjecto interdicto seu generali seu particulari, 1089.

Concelebratio plurium sacerdotum una simul licita, I, 360; et eleemosyna pro applicatione recipi potest, 547.

Condonatio Missarum vide *Missa*.

Confessio sacramentalis praemittenda celebrationi Missae et communioni ad recuperandum statum gratiae, nisi urgeat necessitas et desit copia confessarii, I, 441 sequ.; quo in casu quamprimum sacerdos supplere debet confitendo, 449, 450; quid de obligatione praemittendi confessionem in dubio peccati mortalis et in casu peccati gravis bona fide omissi in confessione, 443, 444.

Confiteor in Missa recitandum prout jacet, nullius Sancti addito nomine, II, 890; in ministratione sacrae communionis non urget sub gravi, 1096.

Confraternitas SSmi Sacramenti, II, 1056.

Conopoeum tabernaculi, II, 995; altaris expositionis, 1040.

Consecratio ecclesiae est actus ordinis episcopalis, solum ex commissione Sedis Apostolicae simplici sacerdoti delegabilis, I, 156; ad quem episcopum pertineat jus consecrationis ecclesiae et facultas eam alii episcopo concedendi, 157; quo tempore fieri possit, 158; debet fieri ab eodem episcopo cum consecratione altaris, 159 sequ.; quibus ritibus expleatur, 163 sequ.; de jejunio servando in vigilia consecrationis et reliquiarum praeparatione, 163, 164; in quo consistat consecrationis essentia, 167; de Missa celebranda post consecrationem et de officio recitando a clero ecclesiae consecratae, 168, 169; quando incipiat et absolvatur ritus consecrationis, 176. Quomodo cesset consecratio ecclesiae vide *Execratio*.

Consecratio altaris necessaria pro sacrificio eucharistico, I, 309 sequ.; ejus minister ordinarius et extraordinarius, 312, 313; quo ritu praesertim precum, unctionum et repositionis reliquiarum juxta Pontificale sit perficienda, 314 sequ.; sine reliquiis nonnisi indulto apostolico licet, 325; de numero et qualitate reliquiarum, de vigilia ante eas celebranda earumque delatione ac repositione, 324 sequ. De execratione altaris vide *Execratio*.

Consecrationis calicis minister, ritus, essentia, II, 750, 751.

Consecratio Eucharistiae vide *Sacrificium*.

Conventualis Missa, vide *Applicatio Missae ratione beneficii*.

Corporale, II, 753; ejus benedictio, 755.

Corrigiae in Missae celebratione, I, 422.

Crux altaris qualis et quando apponenda pro Missae celebratione, II, 769 sequ.; num sit benedicenda, 775; crux pectoralis Episcoporum, 729; transmittenda ab Episcopis eorum successoribus tantum quoad reliquiam, 730; deferenda ab episcopo celebrante, I, 418; crux apponenda in summitate ostensorii, II, 1058; num tabernaculo superimponi queat, 1003.

Cultus latriae exhibendus Eucharistiae, II, 1017; est publicus et privatus, 1018 sequ.

Cussinus, II, 785.

Custodia seu vasculum in quo reponitur hostia magna, II, 1030, 1031.

Custodia Eucharistiae juxta veterem disciplinam, II, 971, 972; praescripta hodie in ecclesiis parochialibus, 973, 974; in quibus aliis

locis quibusve de causis liceat, 975 sequ. ; num possit servari ex consuetudine, 981 ; de indulto eam custodiendi, 982 sequ. ; in quibus altaribus debeat aut possit custodiri, et num in pluribus simul, 984 sequ. ; de modo eam custodiendi, 992 sequ. ; requirit sacerdotem ejus custodiae addictum, 990, 991.

D

Dalmatica, II, 704, 705 ; ejus benedictio, 706 sequ.

Damnati ad inferos incapaces sunt applicationis Missae, I, 479.

Decreta S. R. C. quoad Eucharistiam, I, 64.

Dedicationis ecclesiae natura et species, I, 149 ; origo, 160 ; effectus, 152, 153 ; quae sit eam perficiendi obligatio, 151 ; num in dubio facti sit repetenda, 154 ; num et quando in ecclesia nullatenus dedicata possint divina officia permitti ab episcopo, 155 ; dedicationis minister,156 ; de obligatione dedicandi oratorium publicum aut semi-publicum, 199, 216.

Defectus occurrentes in administratione Eucharistiae, II, 1102 ; post susceptionem communionis, 1195 ; in ipsa Missa, I, 59.

Defuncti sunt capaces applicationis Missarum, nisi certo constet esse in paradiso aut in inferno, I, 479 ; Missa pro defunctis vide *Missa* ; defunctorum cadavera ne sint prope altare, I, 303.

Digiti quibus sacra communio ministratur, II, 1099.

Dyptica Sanctorum et fidelium vivorum et mortuorum in Missa, II, 910, 916.

Dispositiones ex parte corporis et animae pro Missae celebratione, I, 414 sequ. ; et pro sacra communione, II, 1125 sequ.

Dominicum aliquando est ipsa Eucharistia, I,6 ; aut ecclesia, 123, 124.

E

Ecclesiae notio, I, 122 ; origo, 123 ; nomina ac multiplex distinctio, 124 ; ejus aedificatio sub quibus praescriptionibus permittenda ab Episcopo, 125 sequ. ; forma et ornatus, 128, 129 ; num subter ejus pavimentum et supra lacunar possint extrui cubicula, 130, 217; a quibus sustinendae sint expensae pro ecclesiarum diversarum aedificatione et reparatione, 131 sequ. ; quibus de causis polluatur in ordine ad sacrificium Missae, 250 sequ. ; quomodo et a quo reconcilianda post pollutionem, 255 sequ.

Effectus sacrificii vide *Fructus* ; effectus sacrae communionis, II, 1186, 1187 ; quomodo et quando producantur, 1190 sequ.

Eleemosyna Missae vide *Stipendium*.

Elevatio specierum consecratarum in Missa quando introducta, II, 915 ; ad elevationem campanula pulsatur, 765 ; cereus accenditur, 777.

Episcopus dispensationem celebrandi ante horam praescriptam dare potest, I, 114 ; num possit prohibere ne aliquando celebretur aut satisfiat praecepto assistentiae in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico quod aedificare permisit, 126, 204 ; consecrans ecclesiam sine debita licentia suspenditur ab exercitio pontificalium, 158 ; num et quando possit permittere Missam in oratorio privato, 205 sequ. ; num id possit per modum actus absque indulto apostolico, 225, 226 ; habet privilegium oratorii privati in aede episcopali ad instar semi-publici, 228, 229 ; altaris quoque portatilis, 263 sequ. ; sub quibus conditionibus et quando hoc privilegio ipsi uti liceat, 267 sequ. ; num et quando possit cogere ad celebrandum suos sacerdotes, 413 ;

quibus vestibus et insignibus debeat celebrare, 418 ; pileoli usum in Missa nec habet nec dare potest, 421 ; potest Missarum eleemosynam determinare,552 sequ. ; consensum praestat pro acceptatione oneris Missarum, 561 sequ. ; Missas condonare,reducere, transferre nequit, 612 sequ. ; sed vigilare debet in adimplementum onerum Missarum in ecclesiis sibi subjectis, 565 ; num possit prohibere ne Missae manuales mittantur extra suam dioecesim, 583 ; jus habet benedicendi indumenta sacerdotalia, II,714 ; episcopi mentio in canone facienda, 911, 912 ; nequit dare licentiam asservandi Eucharistiam ubi jure communi servari non potest, 980 ; est minister ordinarius consecrationis sive ecclesiarum sive altarium sive vasorum sacrorum; vide *Consecratio.*

Epistola Missae, II, 897.

Eucharistiae institutio,I, 1 sequ. ; definitio, 3 ; variae appellationes, 6 ; dogma de praesentia reali Christi Domini, 8 sequ. ; est verum sacrificium, 20 ; et Sacramentum, 43, 44 ; quomodo differat Sacramentum a sacrificio, 53 ; de ejus asservatione, cultu et susceptione vide *Custodia, Cultus, Communio.*

Euchologia Graecorum, I, 58.

Eulogia, est ipsa Eucharistia, I, 6.

Evangelium Missae, II, 898.

Excommunicatio quomodo impediat celebrationem Missae, I, 439 ; assistentiam, II, 934 ; sacrae communionis ministrationem et susceptionem, 1083, 1135.

Execratio ecclesiae, I, 180 sequ. ; non sequitur ad solius altaris execrationem, 185 ; de execratione oratorii semi-publici, 222; execratio altaris, 334 sequ. ; non sequitur ad execrationem solius ecclesiae, 346 ; execratio calicis, II, 752.

Expositio Eucharistiae publica et privata, II, 1022 ; ritus servandi in utraque, 1023; peculiares privatae, 1024, 1027; quibus liceat hanc peragere et quibus de causis, 1025, 1026 ; expositio publica seu solemnis quibus causis facienda, 1034; quo tempore et in quibus ecclesiis ac altaribus, 1035 sequ.; ritus et ornatus adhibendi in hac expositione; quaeque, ea durante, fieri praecipiantur aut prohibeantur, 1039 sequ.; praecipuae solemnes expositiones, 1032.

F

Feria V majoris hebdomadae solam Missam conventualem admittit, I, 71 sequ.; quandonam Missae privatae permittantur, 75 sequ.

Feria VI majoris hebdomadae est dies stricte aliturgicus, I, 84 ; quid si hac die viaticum ad infirmum deferatur, II, 1115.

Fermentum, II, 706, 891 ; fermentatus vide *Panis.*

Festi Corporis Christi origo et officium, II, 1064, 1065. Festum Annuntiationis B. M. V., S. Joseph aliaque festa primaria occurrentia in triduo majoris hebdomadae quomodo servanda aut transferenda quoad Missae praeceptum, I, 85 sequ. Festum tituli ecclesiae consecratae vel benedictae quomodo et a quibus sit celebrandum quoad Missam et officium, 141 sequ. ; de festo tituli oratorii publici et semi-publici consecrati vel simpliciter benedicti, 200 sequ., 216 ; quibus festis Kalendarii respondeant quidam speciales tituli, 147 ; festum dedicationis ecclesiae, 172 sequ. ; de festo dedicationis omnium ecclesiarum alicujus loci vel Ordinis, 179 ; de festo dedicationis oratorii publici vel semi-publici, 200 sequ., 216. Diebus festis habentes animarum curam debent Missam applicare pro populo,

514 sequ. ; et omnes fideles Missae assistere, II, 949.

Fibulae vide *Corrigiae*.

Flores pro ornatu altaris, II, 787 ; in altari expositionis, 1039.

Foeminae nequeunt in Missa ministrare, I, 649 ; locus quem in ecclesia occupant, II, 941 ; vanos ornatus in ecclesia non habeant, 945 ; maxime accedentes ad sacram communionem, 1132.

Forma consecrationis consistit in verbis Domini, II, 829 ; forma essentialis consecrationis panis ejusque sensus, 830 sequ. ; formae quaedam invalidae, dubiae, illicitae, 831 ; forma essentialis consecrationis vini ejusque sensus, 833, 834 ; formae quaedam invalidae,dubiae, illicitae, 833 ; quam praesentiam materiae requirat utraque forma, 835, 837 ; pronuntianda significative et rite, 838, 839 ; forma pro administratione communionis, 1001.

Fructus sacrificii eucharistici quotuplex, I, 27, 28 ; generalis, specialis, specialissimus, 33 sequ. ; utrum sit valoris finiti,an infiniti, 492; fructus sacrificii applicati nemini aut incapaci cui cedat, 469, 490.

Furtum Eucharistiae, II, 1002 ; sacrae supellectilis, 633.

G

Graduale, II, 897.

Graeci quoad tempus celebrationis Missarum, I, 120 ; in ecclesiis unicum habent altare, in quo unica celebratur Missa, 287 ; et super antimensia celebrant, 290 ; presbyteri conjugati quoad Missae celebrationem, 424 ; consecrant in fermentato, II, 803 sequ. ; nec possunt in azymo consecrare,804 ; aut communionem ministrare vel recipere, 1094, 1178.

Gratiarum actio post Missam, II, 928, 929; post communionem, 1185.

Gregorianae Missae probatae vel vetitae, II, 865.

Gremiale episcoporum, II, 708.

H

Hora celebrationis Missarum, I, 98 sequ.

Hostia est victima sacrificii, I, 16 ; cur panis consecrandus ita appelletur, II, 806 ; non consecrata si admisceatur consecratis quid agendum, 970 ; unica tantum danda singulis communicantibus, 1097 ; hostiae pro conficienda Eucharistia debent esse recentes et frequenter renovandae, 809, 1012 sequ. Quoad cetera vide *Materia*.

Hymnus angelicus, II, 891.

I

Immunitas a censuris, irregularitatibus aliisque impedimentis requisita pro celebratione Missae, I, 439 ; pro communione ministranda, II, 1083 ; pro recipienda, 1135.

Infantes quoad communionem, II, 1120 sequ.

Instrumentum pacis, II, 764.

Intentio sacerdotis necessaria pro validitate consecrationis, I, 453 sequ. ; de intentione consecrandi quoad guttas vini interius parietibus calicis adhaerentes et quoad hostias seu pyxides sive intra sive extra corporale positas, non advertente sacerdote, 456 sequ.; quid de parvis hostiis dubie consecratis, 465.

Interdictum quomodo et sub quibus poenis impediat Missae celebrationem, I, 239, 240 ; assistentiam, II, 935 ; sacram communionem, 1089.

Interruptio Missae illicita,II,847.

Introitus Missae seu ingressa, II, 891.

J

Jejunium naturale ex praescripto Ecclesiae requisitum ad Missam et communionem, I, 425 sequ. ; in quo essentialiter consistat, 448 sequ.; causae ab eo excusantes quoad Missae celebrationem, 433 sequ.; et quoad simplicem communionem, II, 1128 sequ.;

Jus liturgicum eucharisticum quid et quomodo obliget, I, 55, 56 ; ubi contineatur, 57.

K

Kalendarium, indicans officium, sequi debemus in Missae celebratione, II, 863 ; quid si Kalendarium ecclesiae in qua celebramus, non concordat cum nostro, 867 ; quodnam Kalendarium proprium oratorii semi-publici, 868.

Kyrie eleison, II, 891.

Laici Missam celebrantes, I, 361 ; sanctuarium ne ingrediantur, 128, II, 937 sequ. ; exceptis catholicis civitatis principibus, 938 ; idque tum pro Missae assistentia tum pro recipienda sacra communione, 1179.

L

Lampas ante tabernaculum quibus oleis alenda, II, 1010, 1011 ; quid in casu absolutae paupertatis ecclesiae parochialis, 974.

Latriae cultus vide *Cultus*.

Linguam latinam Ecclesia Occidentalis adhibet in Missae celebratione, II, 850 ; et nec fideles queunt preces liturgicas vernaculo sermone recitare, 841 ; num aliquid cani permittatur vernacula lingua, 862 ; quid in Ecclesia Orientali, 852.

Liturgia, I, 56; jus liturgicum, 56, 57.

Locus celebrationis Missae proximus, remotus, I, 121, 280 ; non est ecclesia execrata, 179 sequ. ; nec interdicta aut polluta, 227 sequ.; nec omnino extra ecclesiam aut oratorium, 273 sequ.; num Missa celebrari unquam possit in navi, 277 ; aut in templis haereticorum vel schismaticorum, 279 ; quandonam in altari celebrari nequeat, 351 sequ.; loci circumstantia quoad Missae applicationem, 590 ; locus ad licite ministrandam et recipiendam communionem, II, 1086 sequ.; quo loco fideles ad recipiendam communionem consistere debeant in ipsa ecclesia, 1179.

Lotio vide *Ablutio*.

Lumina vide *Candelae*.

Lunula ad sustinendam magnam hostiam expositionis, II, 1029, 1031.

Lusitania privilegium habet trium Missarum in die commemorationis omnium defunctorum, I, 377.

M

Manipuli notio, origo, materia, color, II, 601 sequ.; benedictio, 709 sequ.

Manus vide *Ablutio*.

Manutergium, II, 785.

Mappae altaris, II, 767.

Martyrologium, I, 63.

Materia sacrorum indumentorum et linteaminum, I, 687, 692 ; sacrorum vasorum vide *Calix*, *Patena*, *Ciborium*.

Materia sacrificii eucharistici duplex II, 788, 789 ; num unica tantum valide consecretur, 790 ; in quibus casibus una tantum species consecretur absque peccato, 791 sequ.; quando materia dubia uti liceat, 797; qualis sit panis validus ac licitus ad sacrificium et quomodo sit conficiendus, 798 sequ. ; ejus forma pro sacrificio, 807 ; de usu azymi apud Latinos et fermentati apud Graecos, 803, 804 ; multiplex materia panis invalida aut dubia 799 ; panis pro Eucharistia recens debet esse, 808 sequ.; quale sit vinum validum ac licitum pro sa-

crificio, 841 sequ.; multiplex materia vini invalida aut dubia, 843 sequ.; vino admiscenda est modica quantitas aquae naturalis, 820 sequ. ; num et quibus conditionibus vino admisceri possit aliqua quantitas spiritus alcoolici, 823.

Matutinum cum laudibus praemittendum Missae conventuali vel privatae, I, 452.

Media nox et medium tempus vide *Tempus*.

Mentecapti quoad sacram communionem, II, 1123, 1124.

Meridies vide *Tempus*.

Minister sacrae communionis principalis et ordinarius est sacerdos, II, 1068, 1069 ; et potest etiam seipsum communicare, deficiente alio sacerdote, 1081 ; minister secundarius est diaconus ex commissione sacerdotis, 1079 ; et in casu extremae necessitatis etiam laicus, 1080, 1081 ; minister tamen licitus ex Ecclesiae determinatione est sacerdos personis suae subjectis jurisdictioni,scilicet Ordinarius,parochus, superior regularis pro suis respective subditis, 1070 sequ.; poenae in regulares ministrantes viaticum sine licentia parochi extra necessitatis casum, 1078 ; minister communionis ex justitia aut ex charitate, 1082.

Minister masculus respondens et inserviens Missae, I, 645 sequ. ; unus pro Missa non solemni 647 ; ejus ministerium, 648 ; in quibus casibus necessitatis foemina possit respondere sacerdoti celebranti, 649 ; de veste ministri pro Missis privatis vel conventualibus, 650, 651.

Minister consecrationis sive ecclesiae sive altaris ordinarius est episcopus, extraordinarius ex commissione apostolica simplex etiam sacerdos, I, 156, 312, 313 ; item de ministro consecrationis calicis et patenae, II, 750, 751.

Minister censura innodatus, celebrans Missam aut distribuens communionem, contrahit irregularitatem, I, 439 ; II, 1083.

Missae notio, II, 853 ; species, 854 ; praesanctificatorum, I, 24 ; sicca,277; solemnis,cantata, lecta, II, 855 ; quid observandum in Missa solemni quoad musicos concentus et cantum, 856 sequ., 862 ; num cani possit multiplex Missa eodem die et in eadem ecclesia, 861 ; Missae in honorem Sanctorum licitae, sed approbandae a S. R. C., 864, 865; Missa regulariter debet respondere officio, 863, 866 ; quando et ubi dici possit Missa non respondens officio, 866 sequ., 873 ; dies et ritus pro Missis votivis privatis aut solemnibus ex causa gravi et publica, 870 sequ. ; Missae variae defunctorum, 874 ; de earum orationibus et sequentia, 879 ; de diebus pro Missis defunctorum quotidianis aut privilegiatis, 875 sequ. ; de Missis defunctorum, exposita Eucharistia, 880 sequ. ; peculiaria de Missa expositionis, repositionis SSmi Sacramenti, et in Ecclesia vel in ipso altari expositionis, 1036, 1046, 1047 ; Missa solemnis in feria V coenae Domini, in Sabbato Sancto et in nocte Nativitatis, I, 71 sequ., 87, 111 ; Missa pro benedictione primarii lapidis, 136 ; in die consecrationis ecclesiae, 168 ; Missa altaris privilegiati, 590. Missa quoad tempus et locum celebrationis vide *Tempus*, *Locus*.

Missae conventualis origo, obligatio, qualitas et tempus, I, 627 sequ. Vide *Applicatio Missae ratione beneficii*.

Missae celebratio sine vestibus sacris, vel non benedictis, aut sine lumine quale peccatum sit, II, 702, 713, 778.

Missae celebratio a non -sacerdote I, 361.

Missae fundatae, I, 559 ; num ea-

rum fundatio valeat in testamento irrito civili iure, 560 ; a quibus superioribus et sub quibus conditionibus earum onus acceptari debeat, 561 sequ. ; de officio praelatorum invigilandi earum applicationi, 565, 566 ; num praescribi possit contra onera fundationum, 567 ; Missarum tum fundatarum tum manualium tabella et liber habendus in sacrariis ecclesiarum, 568, 581.

Missae manuales quae et intra quale temporis spatium celebrandae, I, 569 ; studiosa earum collectio ab Ecclesia prohibita, 570 sequ. ; non tamen omnis collectio illicita est aut prohiberi ab Episcopo potest, 573 sequ. ; quid agendum si Missarum manualium oblationes superabundent aut jam acceptatae celebrari tempore debito amplius non possint, 577 sequ. ; earum commissio caute facienda, 582 ; num ab episcopo prohiberi queat ut extra dioecesim committantur, 583. Vide *Stipendium*.

Missarum condonatio, reductio et translatio, I, 612 ; sub quibus conditionibus concedatur Missarum condonatio, 631 sequ. ; et reductio, 617 sequ. ; a quibus pro diversis casibus concedenda Missarum translatio, 621.

Missale, I, 58, 59 ; num necessarium ad Missae celebrationem, II, 785.

Mitra, II, 732.

Monstrantia vide *Ostensorium*.

Mulier vide *Foemina*.

Muti surdi vide *Surdi muti*.

N

Navicula vide *Thuribulum*.

Navis ecclesiae, I, 138 ; num Missa in navi celebrari queat, 277.

Narthex ecclesiae, I, 138.

Nativitatis Domini festo tres Missae celebrantur, I, 376 ; sed in Missa mediae noctis sacra communio distribui nequit, II, 1091.

O

Oblationes olim a fidelibus fiebant in Missa, I, 535 ; quando fiebant juxta diversas liturgias, II, 901.

Offertorium Missae, II, 902 ; quomodo intelligendum offertorium in Missa defunctorum, 903 ; ritus ac caeremoniae servandae in offertorio, 903 sequ.

Omophorium Graecorum Episcoporum, II, 728.

Orarium idem est ac stola, II, 696.

Oratio quadraginta horarum, II, 1032.

Orationes in Missa, II, 893 sequ. ; secretae, 907.

Oratorii notio, I, 187 ; origo, 194 ; stricte ac late publicum et stricte ac late privatum, 189 ; quae sint oratoria publica, 190 sequ. ; quae semi-publica seu semi-privata, 191 ; quae stricte privata, 223 ; inter semi-publica recensenda capella aedis episcopalis, 228, 229. Oratorium publicum aequiparatur plerumque ecclesiae, 196 ; quid requiratur ut episcopus ejus aedificationi consentiat, 197 ; de ejus titulo, dedicatione et utriusque festo, 198 sequ. ; quomodo execretur, 180 sequ. ; quando in eo liceat celebrare, 204. Oratorium stricte privatum non est aptum Missae celebrationi ex sola episcopi licentia, 205 sequ. ; bene vero oratorium publicum privatae domus, 227 ; et semi-privatum ex episcopi consensu, dando sub quibusdam conditionibus, 213 sequ. ; de oratorio semi-privato Regularium, 221 ; num per modum actus episcopus concedere possit ut Missa celebretur in oratorio stricte privato, 220, 225. Oratorii privati privilegium a S. Sede conceditur sub quibusdam clausulis, 232 sequ. ; est privilegium personale, 236 ; oratorium privatum quoad satisfactionem praecepti assistentiae

Missae, II, 963, 964 ; et quoad sacram communionem, 1088.

Ordo Missae, I, 59 ; ordo ad faciendam aquam benedictam, II, 889 ; ordo communionis ministrandae, 1187 ; ordo actionum Christi instituentis Eucharistiam, 827, 828 ; formula communionis in Missa ordinationum, 1101.

Orientales vide *Graeci*.

Ornamenta sacerdotalia quae sint et eorum origo, II, 684, 685.

Ornatus altaris, II, 766 ; excludit extranea sacris officiis, 786 ; ornatus corporis pro Missae assistentia, II, 944 ; pro communione, 1132.

Osculum libri evangeliorum, II, 898 ; osculum pacis, 920 ; osculatorium, 764.

Ostensorium, II, 1028, 1031.

P

Pactum de eleemosyna Missae non est necessario simoniacum, I, 541 sequ.

Palla, II, 754 ; ejus benedictio, 755.

Pallium altaris, II, 768 ; altaris expositionis, 1040 ; pallii archiepiscopalis origo, quibus et a quo detur, 722 sequ. ; pallii petitio et effectus, 725 ; de usu pallii et quid in casu translationis, renuntiationis, mortis archiepiscopi, 726, 727.

Palmatoria seu bugia quid sit et quibus competat, II, 781.

Panis vide *Materia*.

Parecclesiae Graecorum, I, 287.

Parochus quoad obligationem applicandi pro populo et binandi vide *Applicatio Missae* et *Binatio*.

Particula pro sacra communione, II, 1098 ; in oratione : *Deus qui*, particula *seu* pertinet ad orationem, 879 ; particula quae in fractione hostiae in calicem immittitur, ex inferiori parte praecidenda, 919.

Pascha est ipsa Eucharistia, I, 6 ; sacra communio in die Paschatis distribui nequit a Regularibus in suis ecclesiis, II, 1078.

Patena, II, 739 ; ejus materia, 748 ; est consecranda et quo ritu, 750, 751 ; quomodo execretur, 752 ; in communione fidelium aliquando mento supponitur, 1182.

Patronus ecclesiae, I, 137 sequ. ; vide *Titulus*.

Penula vide *Planeta*.

Pileolus num et quibus liceat in Missae celebratione, I, 421.

Planetae origo et forma, II, 699, 700 ; materia et color, 692 sequ. ; benedictio, 709 sequ.

Pluvialis origo et forma, II, 703 ; color, materia, 692 sequ. ; benedictio, 709 sequ. ; quinam illud deferre prohibeantur, 705.

Poenae in violantes interdictum locale per celebrationem Missae, I, 240 ; in celebrantes Missam absque presbyteratu, 361 ; in admittentes ad celebrandum sacerdotem commendatitiis carentem, 371 ; in illicite binantes, 393 : in frangentes jejunium ad Missam requisitum, 438 ; in studiose colligentes Missarum eleemosynas, 576 ; in retinentes partem stipendii Missae, 600, 601 ; in regulares ministrantes viaticum non subditis extra necessitatem absque parochi licentia, II, 1078 ; in negantes et violantes praeceptum annuae communionis ; 1172, 1173 ; in furantes Eucharistiam, 1002.

Pollutio ecclesiae quid sit et quomodo impediat Missae celebrationem, I, 243 ; ex quibus actionibus locum habeat, 246 sequ. ; his actionibus non polluitur sacra supellex, II, 682 ; pollutio carnalis num et quando impediat Missae celebrationem, I, 424 ; aut sacram communionem, II, 1131.

Pontificale Romanum, I, 60.

Praeceptum Missae celebrandae, I, 410 sequ. ; vide *Sacerdos* ; Missae audiendae, II, 946 sequ. ; vide *Assistentia* ; communionis reci-

piendae, II,1142 sequ., 1147 sequ., 1155 sequ.; vide *Communio*.
Praefatio in Missa, II, 908.
Praeparatio remota et proxima ad Missam, I, 452; ad sacram communionem, II, 1141.
Praesanctificatorum Missa non est verum sacrificium, I, 24; apud Orientales et apud Ambrosianos quando celebretur, 68, 69.
Praesbyter celebranti assistens cum pluviali vel superpelliceo, 1, 632. Vide *Sacerdos*.
Praesentia materiae necessaria pro consecratione vide *Materia*.
Processiones cum SSmo Sacramento de jure communi aut consuetudine, II, 1048; ritus in his servandi, 1049 sequ; quaedam consuetudines in eis reprobatae, 1053 sequ.
Purificatio oris post communionem, II, 1184; purificatio calicis vino facienda, 922
Purificatorium, II, 756.
Pyxis vide *Ciborium*.

Q

Qualitas Missae petita a fidelibus quomodo obliget, I, 594 sequ.

R

Reconciliatio Ecclesiae pollutae, I, 253 sequ.
Reductio Missarum vide *Missa*.
Regulares quoad Missae celebrationem extra horas praescriptas, I, 113; tenentur celebrare festum dedicationis ecclesiae cathedralis, 177; a quo episcopo petere debeant aut possint dedicationem propriae ecclesiae, I, 157; habent privilegium erigendi oratorium semi-privatum in propriis domitus et granciis,222 sequ.; non gaudent privilegio altaris portatilis, 262; num superiores regulares teneantur applicare pro suis subditis, 506; tenentur regulares stare taxae synodali, 558; eorum superiores debent vigilare super onera Missarum in suis ecclesiis, 566; regulares quoad privilegium benedicendi sacra indumenta, II, 717; et facultatem asservandi Eucharistiam in suis ecclesiis, 978; et exponendi publice vel private SSmum Sacramentum,1025, 1033; possunt compelli ab episcopo ut intersint processioni Corporis Christi, 1048; quibus possint jure proprio,privilegio et consuetudine ministrare Eucharistiam, 1072 sequ.; non possunt die Paschatis et Romae feria V in coena Domini eam ministrare personis subjectis jurisdictioni parochorum absque debita licentia,neque item per modum viatici, 1077; quibus poenis subjaceant ministrantes viaticum, absque debita licentia, non subditis, praeter casum necessitatis, 1078; recipere possunt communionem a quocumque sacerdote ex hodierna consuetudine, 1072.
Religiosi Societatis Jesu quoad stipendium Missarum, I, 550.
Reliquia SSmae Crucis defuncti episcopi cui cedat, II, 730; reliquiae Sanctorum ad ornatum altaris, 787, 1003, 1039; in consecratione altaris vide *Altare*; in processione cum SSmo Sacramento, 1050.
Reparatio ecclesiae vide *Ecclesia*.
Rex et regina in sanctuario consistere possunt pro Missae assistentia, II, 938; et pro recipienda sacra communione, 1179.
Rituale Romanum, I, 62.
Ritus et caeremoniae, II, 840; origo, 841; ritus Ecclesiarum proprii servandi sunt, 842; qui sint ritus praeceptivi vel tantum directivi, 843; quorum rituum additio, omissio, mutatio sit gravis vel levis, 844, 846; quando liceat vel non Missam abrumpere vel de novo incipere vel ei interm iscere aliquas actiones, 845,847; ritus servandi prout praescripti

sunt, 848, 849 ; de lingua liturgica in Missa ritus Latini et Orientalis, 850 sequ. ; complexus rituum Missam constituit, 853, 854 ; ritus Missae in quibus libris liturgicis reperiatur, 883 ; ritus respicientes sacerdotis vestitionem et accessum ad altare, 884 sequ. ; aspersionis aquae lustralis in dominicis, 889 : ab initio Missae ad offertorium exclusive, 890 sequ. ; ab offertorio ad communionem inclusive, 900 sequ. ; a communione ad finem Missae, 924 sequ. ; ritus servandi in administratione Eucharistiae et viatici, II, 1180, 1181 ; in benedictione cum sacra pyxide, 1058 ; in benedictione cum ostensorio, 1038, 1059 sequ.

Rocchettus deferendus ab episcopo celebrante, I, 418.

Rubricae Missalis. I, 59 : utrum praeceptivae, an indicativae tantum vide *Ritus*.

S

Sabbatum Sanctum non admittit nisi unicam Missam solemnem in ecclesiis quae jus ad eam habent, I, 88 ; quibus in casibus Episcopo aliive liceat in eo celebrare Missam privatam, 90 sequ.

Sacerdos solus potest Missam valide celebrare, I, 359 ; imo plures possunt simul eamdem Missam valide concelebrare, 360 ; sacerdos peregrinus, ignotus, alterius dioeceseos quibus litteris aut aliis documentis egeat ut admitti possit ad celebrandum, 362 sequ. ; num litteris commendatitiis ostensis, possit repelli a celebratione, 373 ; sacerdos laudabiliter celebrat quotidie diebus non impeditis, 374, 408 ; sed nunc regulariter non potest binare ; vide *Binatio* ; numquam vero trinare, excepto die Nativitatis Domini, et in Hispania die commemorationis omnium fidelium defunctorum 375 sequ. ; quando laudabiliter abstineat a celebrando, 409 ; quibus titulis extrinsecis celebrare teneatur, 410 ; num titulo intrinseco ipsius ordinationis teneatur sub gravi et quoties, 411, 412 ; num et quando possit cogi ad celebrandum, 413 ; celebraturus quas dispositiones ex parte corporis praeseferre debeat, 414 sequ. ; et ex parte ornatus vestium, 415 sequ. ; num impediatur a praecedenti pollutione nocturna, 424 ; quomodo debeat esse jejunus, 425 sequ. ; et quando possit celebrare non jejunus, 433 sequ. ; quas dispositiones ex parte animi secumferre debeat, 439 sequ.

Sacerdos proprius pro communione Paschali, II, 1161 ; sacerdos solus est minister benedictionis cum Eucharistia, 1060 ; et minister ordinarius communionis, 1068.

Sacrarium vel sacristia, I, 138 ; vestes sacerdotales in sacrario sumendae, II, 884.

Sacramentalia seu sacramentaria, I, 58.

Sacramentum Eucharistiae utrum habeatur solum in utraque, an in alterutra etiam specie, I, 45 ; ejus essentia, 47 sequ. ; num unum numero vel multiplex, 51 ; quinam ejus effectus, 52 ; differentia inter sacramentum et sacrificium, 53 ; et ab aliis sacramentis, 54.

Sacrificii in genere notio, I, 16 ; eucharisticum quomodo dari possit post sacrificium crucis, 17 sequ. ; ejus victima est Christus, 21 ; et sub qua ratione formali, 40 ; multiplex ejus sacerdos, 22 ; ejus essentia, 23 sequ. ; differt essentialiter a sacrificiis V. T., sed idem est substantialiter cum sacrificio crucis eique relativum, 39, 40 ; quoad fructus, est latreuticum, eucharisticum, propitiatorium ; et, quatenus propitiatorium, est impetratorium, placatorium,

satisfactorium, 27; ejus diversus valor juxta diversitatem offerentium et modum offerendi, 32; quibus et quo tempore prosit, seu ejus fructus generalis, specialis, specialissimus, 33 sequ.; quandonam primo celebratum fuerit ab Apostolis, 97.

Sacrilegium in Missa, I, 440; in communione, II, 1134; post Missam et communionem, 1196.

Sacrista major et minor, II, 666.

Sanctitas requisita ad celebrandum, I, 451; et ad saepe communicandum, II, 1137.

Sanctuarium ecclesiae, I, 138; laici ingredi nequeunt pro Missae assistentia, II, 937 sequ.; et pro sacra communione, 1179.

Sandalia vide *Caligae*.

Secreta, II, 907.

Sequentia, II, 897; in Missis pro defunctis, 879.

Species sacramentales quamdiu permaneant in stomacho sacerdotis celebrantis aut fidelis communicantis, II, 1194, 1195; natura specierum eucharisticarum, I, 11; Christus D. sub speciebus est, donec ipsae corruptae et immutatae non fuerint, 15.

Spolium, II, 659.

Spongia loco purificatorii in Ecclesia Graeca, II, 756.

Status gratiae requisitus ad celebrationem Missae, I, 440; et ad sacram communionem, II, 1134.

Stipendium (vel eleemosyna) Missarum ab episcopo vel a consuetudine determinandum, I, 552 sequ.; stipendium taxa synodali majus potest recipi sponte oblatum aut exigi pro expensis et incommodis extrinsecis, 556, 557; integre sub gravi stipendium tradendum est sacerdoti cui committitur celebratio, 599 sequ.; quibus in casibus retinere liceat partem stipendii, 602 sequ.; stipendium pro Missa conventuali, 634; stipendium pro unica Missa permittitur quando binatur, excepto die Nativitatis Domini, et compensatione pro extrinseco incommodo alterius Missae, 395 sequ. Vide *Missae fundatae* et *manuales*.

Stolae origo, II, 696; color, materia, 692 sequ.; benedictio, 709 sequ.; non est signum jurisdictionis, 697; quando deferri possit et debeat, 698.

Stomachi lavamen artificiale num frangat jejunium, I, 431. Vide *Species*.

Subjectum communionis vide *Communio*.

Supellex sacra vide *Utensilia*.

Superpelliceum, II, 737; in ministro qui inservit et respondet Missae, I, 650; in ministro expositionis, II, 1027, 1060; in ministro communionis, 1105.

Surdi muti et surdi muti caeci quoad communionem, II, 1123, 1124.

Symbolum in Missa, II, 899.

Synaxis, I, 6.

T

Tabacum num frangat jejunium, I, 430.

Tabella secretarum, II, 784; tabella onerum Missarum, I, 568.

Tabernaculi materia et ornatus, II, 994 sequ., 1003; eius clavis a quo et ubi custodienda, 997 sequ.

Tactus sacrorum vasorum quibus licitus, II, 757.

Taxa synodalis vide *Stipendium*; taxa pro sacris utensilibus, II, 669.

Tempus celebrationis Missarum est totus annus, exceptis quibusdam diebus in utraque Ecclesia, I, 66 sequ.; quanam hora diei licuerit et liceat incipere et absolvere Missas, 98 sequ.; quomodo pro diversitate locorum determinari possit aurora et meridies ad Missae celebrationem, 102 sequ.; de tempore vero aut medio, 105; hora celebrationis sub gravi obligans, 109, 110; in

nocte Nativitatis una Missa conventualis inchoari potest post mediam noctem, 111 ; quibus ex indulto apostolico vel privilegio concedatur extra tempus praescriptum celebrare, 112, 113 ; episcopus et praelatus regularis possunt in hoc dispensare suos respective subditos, 114, 115 ; et etiam citra dispensationem graves causae excusant, 117, 118 ; num et quatenus episcopus prohibere possit quominus festis diebus Missae privatae celebrentur ante parochialem, 119 ; de hora Missae in Ecclesia Orientali, 120 ; tempus celebrandi Missam conventualem, 633 ; temporis circumstantia requisita a petente Missam quomodo obliget, 591 ; quomodo determinandum sit tempus congruum Missae celebrationi a petente non determinatum, 592 sequ. ; tempus quo Missa congruenter perdurare debet, II, 848 ; tempus expositionis, 1025, 1038 ; benedictionis, 1057.

Tempus discretionis pro communione puerorum quando incipiat, II, 1166 sequ. ; tempus communionis recipiendae est quaelibet dies, excepta Parasceve, non tamen noctu, extra necessitatis casum, 1090, 1091 ; et non solum infra Missam, sed etiam ante, post et extra, 1084 ; num liceat communicare in Missa per indultum celebrata extra tempus praescriptum, 1092.

Thuribulum cum navicula et cochleari, II, 763.

Thurificatio seu incensatio, II, 906.

Tiara, II, 732.

Titulus ecclesiae quomodo differat a patrono, I, 137 ; qui possit esse ecclesiae titulus, 138 ; potest esse multiplex, 139 ; num et a quo titulus mutari vel alius addi possit, 139, 140 ; de titulo oratorii publici, 198 ; et semi-publici, 216 ; et altarium, 306 ; de festo titularis vide *Festum*.

Tractus, II, 897.

Translatio Missarum vide *Missa*.

Transsubstantiationis dogma, I, 10.

U.

Umbella pro translatione SSmi Sacramenti, II, 1016.

Urceoli, II, 761 ; pro episcopis, Cardinalibus aliisque privilegium habentibus, 762.

Utensilium notio, II, 653 ; origo, 654 ; num ex rebus profanis confici queant, 655 ; et donatores possint eis apponere suum nomen et stemma eisque uti ad arbitrium, 656, 657 ; regulariter suppeditanda sunt ab iis quibus incumbit onus reparandi ecclesiam, 658 ; defuncti sacerdotis, episcopi, Cardinalis utensilia cui cedant, 659 sequ. ; quo sensu sint sacra et quem cultum mereantur, 662 ; num et quae ad usum profanum converti queant, 663 ; num adhibita ad usus profanos execrentur, 663 ; num eorum furtum sit sacrilegium, 663 ; utensilia sacra debent esse munda, integra ideoque accurate servanda, 664 sequ. ; eo nobiliora sunt adhibenda quo maior dignitas celebrantis aut festi, 667 ; de eorumdem locatione et alienatione, 668 ; utensilia necessaria episcopo celebranti num et quando a cathedrali aliisque ecclesiis sint praestanda, 670 ; num et quomodo beneficiatis, capellanis et sacerdotibus extraneis subministranda sint ab ecclesiis, 671 sequ. ; num taxa utensilium detrahi liceat ex eleemosynis Missarum, 674 ; utensilia sacra adhibenda ad suos usus et pro personis ad quas privative pertinent, 675, 676 ; quae utensilia ex privilegio competant abbatibus, habentibus usum pontificalium et protonotariis apostolicis ad instar, 677 sequ. ; quid de utensilibus quae evadunt inepta, 680 ; num utensilia sacra polluantur ad

instar ecclesiarum, 682; dividuntur apte in ornamenta sacerdotalia, vasa sacra et ornamenta altaris, 683.

V

Vasa sacra, II, 738; num, ut reparentur, prius execrari debeant aut possint, 681.

Velum humerale, II, 706; adhibendum in translatione SSmi Sacramenti, 1016; in processione, 1052; benedictione, 1064; sacra communione, 1109; velum calicis, 759.

Vestis talaris sacerdotis celebrantis, I, 417, 418; vestes sacrae vide *Ornamenta sacerdotalia.*

Viaticum quid sit, II, 1066; differentia essentialis a communione simplici, 1101; a quonam ministretur, 1072 sequ.; ministratur non jejunis, 1128.

Vinum vide *Materia.*

Votiva Missa vide *Missa.*

INDEX SYNOPTICUS VOLUMINIS II

Pag.

CAPUT V. **De sacris utensilibus** 1

ART. I. *De sacris utensilibus in genere*. 1
ART. II. *De sacris utensilibus in specie*. 33

§ 1. De ornamentis sacerdotalibus 34
§ 2. De vasis sacris eorumque accessoriis. 78
§ 3. De altaris ornatu. 97

CAPUT VI. **De materia et forma sacrificii eucharistici.** 112

ART. I. *De materia*. 112
ART. II. *De forma* 140

CAPUT VII. **De ritibus et caeremoniis sacrificii Missae.** 150

ART. I. *De ritibus et caeremoniis sacrificii Missae in genere.* 150
ART. II. *De ritibus et caeremoniis sacrificii Missae in specie.* 187

§ 1. Ab initio Missae usque ad offertorium inclusive. . . . 187
§ 2. Ab offertorio ad communionem inclusive. 199
§ 3. A communione usque ad finem 214

CAPUT VIII. **De assistentia sacrificio Missae.** 219

ART. I. *De assistentia sacrificio Missae in se.* 229
ART. II. *De praecepto assistendi sacrificio Missae.* 229

CAPUT IX. **De custodia Sanctissimae Eucharistiae.** . . 246

ART. I. *In quibus ecclesiis et altaribus Sanctissima Eucharistia custodiri possit* 247
ART. II. *De modo Sanctissimam Eucharistiam custodiendi*. . 262

CAPUT X. **De cultu Sanctissimi Sacramenti.** 279

ART. I. *De expositionibus Sanctissimi Sacramenti* 281
ART. II. *De processionibus cum Sanctissimo Sacramento* . . 301
ART. III. *De benedictionibus cum Sanctissimo Sacramento* . 307
SCHOLION. *De festo Corporis Christi*. 313

CAPUT XI. **De sanctissima communione.** 315

ART. I. *De ministro sanctissimae communionis* 316

§ 1. Quinam sanctissimam communionem ministrare valeant. 316
§ 2. De tempore et loco quo sancta communio distribui potest. 328
§ 3. Ritus servandus in sanctae communionis distributione. 336
ART. II. *De subjecto sacrae communionis* 352
§ 1. Quinam sacram communionem recipere possint . . . 352
§ 2. Quinam sacram communionem recipere debeant. . . 370
§ 3. Ritus servandus in sacrae communionis susceptione. 394
ART. III. *De effectu sacrae communionis* 402
ALLEGATUM I. Epistola Benedicti XIV ad episcopum Oscensem de plurium Missarum eadem die celebratione. 411
ALLEGATUM II. Constitutio Benedicti XIV de Missae pro populo et Missae conventualis celebratione. 425
ALLEGATUM III. Constitutio Innocentii XII de Missarum manualium aut fundatarum applicatione. 436
ALLEGATUM IV. Instructio Clementina pro quadraginta horarum expositione Romae facienda. 448
INDEX rerum quae in utroque volumine continentur. 457

Imp. G. Saint-Aubin et Thevenot.— J. Thevenot, successeur, Saint-Dizier (Haute-Marne).

263.4 Gasparri, Peter
AUTHOR
G 249 Tractatus canonicus de
TITLE
Vol. 2 sanctissima eucharistia

263.4
G 249
V.2